




D. JOANNIS BONA

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

EPISTOLÆ

SELECTÆ

Una cum aliis Eruditorum Virorum ad eumdem.

JOANNIS BONA

S. R. E. TIT. S. BERNARDI AD THERMAS

PRESBYTERI CARDINALIS

ORDINIS CISTERCIENSIS

PEDEMONTANI PATRITII

MONTIS-REGALIS

EPISTOLÆ SELECTÆ

Aliæque Eruditorum sui temporis Virorum ad eumdem scriptæ, una cum nonnullis ipsius Analectis

COLLEGIT, DIGESSIT, ORDINAVIT,

BREVIBUSQUE NOTIS ILLUSTRAVIT

D. ROBERTUS SALA


TAURINENSIS

Ejusdem Ord., & Congr. S. Bernardi Abbas Tit. Sac. Facultatum, & in Vaticana Bibliotheca Latinæ Linguæ Professor.

TOMUS UNICUS

Suis item Indicibus locupletatus.

Giardina





AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

Ad Bibliothecam S. Augustini Majoris Neapolis



CAROLO EMMANUELI REGI OPTIMO

ROBERTUS SALA

Perpetuam Felicitatem.



POST Liturgicas Exercitationes in Libros eximii S. R. E. Cardinalis Joannis Bona de Sacrificio Miſſæ Summo Pontifici BENEDICTO XIV. utpote Supremo Chriſti Domini in Terris Vicario nuper dicatas, dignum plane, atque conſentaneum eſſe duxi, ut ineditum Epiſtolare hoc opus ejuſdem Authoris Epiſtolas Selectas, aliorumque ſui temporis illuſtrium virorum, ad ipſum

ipſum ſcriptas continens, cum aliquot illius Analectis, brevibus notationibus adjectis; ſub ampliſſimi Tui nominis umbra nuncupandas tibi offerrem, REX Inviĉtiſſime, qui pro Tuo Regio munere pariter in terris æterni Numinis perſonam ſuſtines. Et ſane cuinam præſtantiori Patrono, beneficentiorique Principi jamdudum a me collectas Epiſtolas in meæ humillimæ ſervitutis, ſummæque Obſervantiæ teſtimonium, niſi Tibi, conſecrare poteram?

Cum enim illæ Religioſiſſimum Monachum olim Regali Tuæ Stirpi Subditum, piiſſimumque ſimul, ac doctiſſimum Cardinalem perennis memoriæ apud omnes celeberrimum nactæ fuerint Parentem, deinde a me pariter obſequentiſſimo Subdito loco ſuo, atque ordine diſpoſitæ, & concinnatæ ſint: demum in hac excultiſſima Regia Typographia felicibus auſpiciis Tuis in publicam lucem prodierint, quod eruditi pene omnes, & primi ſubſellii conſpicui viri ſummopere exoptabant, jure equidem Tibi ſoli eaſdem dicandas eſſe cenſui. Cardinalis namque Bona Scripta ſunt, aliorumque, ut dixi, celebrium Auctorum illi eruditione, ac ſcientia præcellenti haudquaquam diſſimilium, qui per Epiſtolas ſæpe ſæpius prudens ipſius, maturumque Conſilium exquiſiverunt. Illius, inquam, doctiſſimi viri pretioſa fragmenta habentur, qui Tua Montis-Regalis Urbe natus, diſtincta laus Pedemontanæ Gentis, & Populi extitit, Patriæ decus inſigne, & perenne ornamentum, *Purpurati* denique *Cætus ſplendor, ac clariſſimum Eccleſiaſticæ antiquitatis lumen*, quo titulo illum cohoneſtare non dubitarunt plerique tunc temporis Eruditi, quotquot de ipſius doctrinæ, ac pietatis excellentia ſcripſerunt. Ad Tuam igitur gloriam, ampliorenque Auguſti Nominis famam, atque uberiorem rei Eccleſiaſticæ notitiam, nonniſi Tibi communi utriuſque Principi ineditus hic Epiſtolaris Liber ſacrandus erat, qui non ſolum Cardinalis ampliſſimi, ſed & quorumdam Illuſtrium Subditorum Tuorum commendabilem memoriam præfert, aliorumque dein ex exteris gentibus inſignium virorum exigua quidem, ſed non parvi momenti documenta exhibet, quibus edocti viventes ſcientiarum, atque bonarum Artium Candidati fideles Tui, REX Sapientiſſime, ad dilucidandæ antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudium incitentur, ac, Te Protectore, Te Vindice, magis magiſque promoveantur.

Atque id profecto nonniſi ſpeciali quadam divina diſpenſatione factum crediderim, quod iſtiuſmodi Epiſtolæ, poſtquam diu latuiſſent,

ſent, demum adinventæ, atque non modico ſtudio ordinatæ typis non mandarentur, priuſquam fauſtiſſimis tanti Regis auſpiciis ad commune totius orbis litterarii commodum in lucem edi poſſent. Quod totum tuæ prorſus unice, ac ſingulari clementiæ tribuendum eſt, qui hanc Operis editionem altiſſima Tua Protectione dignatus, ipſi ſupremæ laudis ingeminas ornamentum, auges immenſo prope, ac feliciori omine celeberrimi Auctoris nomen, & opportunam Subditis Tuis uberrimi in Eccleſiaſticarum rerum ſtudio profectus occaſionem, non ſecus ac novum Tuæ Regiæ, Paternæque dilectionis teſtimonium præbes.

Sed & ad incomparabilem Tuæ Majeſtatis gloriam accedit, quod inter Cardinalis noſtri varia Analecta, quæ illius, aliorumque præfatis Epiſtolis adjecimus, extat duplex ipſius Eminentiſſimi votum plane luculentiſſimum, ac tanto Auctore dignum, unum pro Beatificatione Sancti Franciſci Saleſii, quondam Gebennenſis Epiſcopi, alterum pro ejuſdem Clariſſimi Præſulis, quem Deus præcipue ad animarum ſalutem omnibus omnia factum eſſe voluit, ſolemni Canonizatione, & publica inter Sanctos Apoſtolica declaratione utrumque Summo tunc Pontifici exhibitum non ſine maximo Cardinalis in ea re promovenda ardore, atque ſollicitudine: Unde Sanctum Franciſcum Saleſium Cœlitibus adlectum habes immortalis Nominis ſummum apud Deum Interceſſorem, & Regalis Familiæ Protectorem potentiſſimum, qui etiam dum viveret, Beati Amedei Sabaudiæ Ducis Saeram Apotheoſim plurimum apud Paulum V. Pontificem Maximum ſuo ſuffragio adjuvit, & promovit.

Finem non facerem, Inclyte REX, ſi ad laudes tuas ſermonem convertere vellem, & ſingula divini Numinis dona, quæ in Te fulgeſcunt, egregiaſque Animi dotes, & præclara in Rempublicam merita, quibus affluenter cumulatus es, recenſere vellem. Hoc unum dicere mihi præſtat, quod olim Claudianus Honorii Imperatoris laudes concelebrans effatus eſt: *Quæ faciunt diſperſa Beatos, in Te uno collecta tenes*. Eximiam ſcilicet Religionem, & pietatem, ſingularem in Pauperes, & Subditos beneficientiam, maximam in rebus gerendis prudentiam, ſincerum veritatis, & juſtitiæ ſtudium, cæteraſque Prædeceſſorum Tuorum virtutes, quas in Te uno collectas omnes admirantur.

Quamvis autem Epiſtolare hoc volumen, qualecumque tandem illud ſit, tàm conſpicuo Principi ab humili Monacho oblatum, ſentiam nimis tenue munuſculum eſſe, neque ſatis Regia amplitu-

dine

dine dignum ; me tamen recreat summa illa benignitas atque clementia, qua tibi acceptissimum fore, hilari, quo soles, vultu, perabunde mihi roganti ostendisti. Quo circa hoc unum, quod mihi superest, precor obtestorque, & grates, quas tibi pro beneficii magnitudine agere studeo, ac referre nunquam desinam, quantas potero, dignanter haud excipere graveris. Verum reddat Tibi pro merito, qui Te nobis constituit Regem, D. O. M., & meis, omniumque Populorum votis arridens, Te quam diutissime Regni commodo, & incremento, nostræ felicitati, Tuæque gloriæ incolumem servet.



DE VITA

DE VITA, AC REBUS GESTIS
JOANNIS BONA
PEDEMONTANI, PATRITII MONTISREGALIS, CONGREG. S. BERNARDI ORDINIS CISTERCIENSIS, S. R. E. TIT. S. BERNARDI AD THERMAS PRESBYTERI CARDINALIS

BREVIS ENARRATIO

A REVERENDISSIMO P.

ILDEPHONSO TARDITO

Ejusdem Urbis Montis-Regalis Concive, Schol. Piarum Clerico Regulari Collegii Urbani,

De Propaganda Fide Rectore, Concinnata.



Mmortalis est apud nos, atque honorifica recordatio Abbatis Corderii, magni inprimis Viri, qui amplissimi Cardinalis Turnonii, cujus est in Ecclesia nomen jure optimo venerandum, Apostolica in legatione perpetuus Comes, & Administer fuit, nobilitate, doctrina, integritate, constantia singulari. Is pro eximia, qua ferebatur in Cardinalem Bonam, veneratione non semel mihi incitamento fuit, ad ejus Vitam literis commendandam, diuque se mihi præbuit tanti suasorem Operis, auctorem, hortatoremque. Arduam hanc esse Spartam, neque a me exornandam non eram nescius. At summus Vir cum apud me & beneficiis, & amplitudine plurimum posset, ideo parum prudens, id oneris haud deprecando videri malui, quam parum gratus, non morem gerens auctoritati, qua nulla mihi gravior esse debuit; illud etiam accedebat, ea me in Patria natum esse, quæ tum Bonam, tum Corderium edidit, educavitque duo veluti lumina, atque ornamenta, quorum illa splendoribus, tanquam clarissimis immortalitatis insignibus, exultare videtur. Quare aut memoriæ inservire alterius, aut alterius negligere voluntatem me vix salvo officio posse intelligebam; itaque tale mihi onus impositum diutius non recusare fas esse duxi, & summi Cardinalis Vitam, dum Corderius adhuc in vivis esset, non prosa modo, sed versibus exaravi. Nec rem porro tractaveram, ut in præsens jejune, ac sicce, sed multis, gravissimisque testimoniis undique accersitis, ope doctorum hominum, præsertim vero eruditissimi Abbatis Sala, nihil eorum, quæ salvis critices, atque Historiæ legibus, huic Opellæ vel necessaria, vel consentanea existimarem, pro mea virium imbecillitate tacitus prætermiseram, ut quoquo modo æque indoctis deservirem, ac literatis. Ac tametsi amicis satisfecisse viderer, mihi tamen uni non satisfeceram, ideoque lucis publicæ non veniebat in mentem quidem. Verum cum hæc Historia omnium oculis vitabunda in tenebris delitesceret, inopinato, nihil minus de hac laude cogitans, juris publici facta est. Nam Doctissimus Pater Sala, cujus studio, ac diligentia Cardinalis Bona Opera omnia notis undique eruditissimis illustrata in lucem prodeunt, pro vetere benevolentia in me sua, semel, atque iterum datis ad me Epistolis, adhibita etiam Benedicti XIV. Pontificis optimi auctoritate, cujus apud me non voluntas, sed nutus omnis pro summo est imperio, & esse debet, hoc a me Opusculum enixe petiit, magnifico nempe Operi, hoc est Epistolarum Volumini, præfigendnm: non est igitur integrum huic Historiæ consilio, seu silentio jam uti suo. Invita in pnblicum emanare omnino debet, sed ita quidem, ut sapientissimi Cardinalis Vitam puram putam contineat, præterea nihil. Neque id profecto sine causa; nam si venditare ingenium, & ostentare memoriam turpe est, nunc id sane turpissimum duceretur,

 cum

cum quæcumque a me dici possent, ea quidem omnia eximinm opns, cui hæc Vita præfixa est, copiosissime complectatur; utpote numeris omnibus nitidissime absolutum. Hoc tibi, Lector benevole, dictum volui, uti abs te, si minus scribendi ratio, saltem brevitas comprobetur, cum te nihil moratus perpetuam Historiam persequar, quæ vel leviter enarrata, tantum per se ipsa admirationis habitura est, quantum allatura jucunditatis.

Natus est Joannes Bona IV. Idus Octobris anno salutis humanæ 1609. Monte-Regali Urbe in Subalpinis nobilissima, quæ suis legibus initio vixit, deinceps se se Allobrogum Regulis in clientelam, & fidem tradidit; nunc vero Imperio Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis auspicatissimo gubernatur. Parentes habuit Mariam Zuganiam fœminam honestissimam, & Joannem Bonam eximia rei militaris scientia, & majorum nobilitate apud Carolum Emanuelem, & Victorium Amadeum Sabaudiæ Principes commendatum. Franciscus Bona Lesdiguerius Comes Stabuli Galliæ, quæ dignitas in eo Regno est ampla satis, ac perillustris, non modo hanc familiam sanguinis propinquitate, quod insignia gentilitia perhibent, contigebat, sed eidem etiam arctissimis necessitudinis vinculis, nti constat ex mntuo Epistolarum commercio, conjunctissimus erat. Joannes Bona militari præfectura insignis, cum in Filio miram ingenii præstantiam jam tunc ab ineunte pneritia deprehendisset, novum hinc sperans familiæ decus, eumdem omnibus curavit artibus, quibus puerorum ætas imbui solet, diligenter institnendum; itaque hic noster, annos quindecim natus, latinas literas apprime didicit, & Rheroricorum Præceptis instructus sedulam dedit operam, ut gravem illam, & plenam dignitatis dicendi facultatem pararet. Tum Poetarum Carmina non percurrit modo, sed matura jam ætate per otium tam libenter excolnit, quam laudabiliter; extant enim nonnulla ejus poemata. Psalmi præsertim aliquot in Albæ recessu, quo se identidem ab assiduis negotiis proripiebat, venustis adeo carminibus exornati, ut Leopoldus Hetruriæ Princeps, acutus ingeniorum Judex, summam ipsi & elegantiam & gravitatem sit per literas veræ laudis plenissimas gratulatus.

Mira fuit in Joanne discendi celeritas. Hanc vero non tantum ejns ingenio, aut præcellenti memoriæ, ex qua nihil prorsus excideret, quod semel animo imbibisset, attribuas velim, sed assiduitati etiam, ac vigilantiæ plane incomparabili; nam inclita ei fuit sagacitati diligentia par, ac utra major extiterit, vix probe noveris. Navus siquidem adolescens, quantnm cæteri temporis ad pueriles ludos, tantum ipse ad sua recolenda studia insumebat, nullius quidem admonitu, sed natura ipsa suadente, quæ ejus indolem ad virtutem, optimasque disciplinas effinxisse quodammodo videbatur, quippe quæ omnem animi remissionem in veterum scriptis evolvendis, concinnandisque versibus inveniret. Hinc mirabatur universa Civitas in nobili præsertim juvene tam incensam discendi cupiditatem, nullis unquam laboribus, nulla difficultate vel levissime imminutam; licet enim paterna Joannis Domus in suburbiis sita longe a literario ludo supra mille passus distaret, arduam tamen, incommodamque viam bis ille singulis diebus repetebat alacriter, nec ulla hyemis intemperies, quæ in iis locis prope Alpes constitutis frigidissima esse solet, ipsum a proposito dimovit unquam. Illud porro mirandum magis videbatur, in tanta juvenum frequentia, studiorum caussa in eam Urbem ex finitimis Oppidis confluentium, Joannem ingenita quadam severitate præditum semper adeo sui similem extitisse, pudentem scilicet, ac verecundum, ut nihil, nisi sobrium, & pudicum, vel jlocalariter auribus admitteret, & cæteros omnes ad virtutem, ac pietatem exemplo suo admirabiliter excitaret. Nam quæ in ejus sermonibus, in vultu, in ore, atque oculis constanter modestia enituit, cum amabili quadam oris suavitate conjuncta, omnium ipsi benevolentiam facile conciliabat, unde vix nemo erat, quin ab eo melior discederet, aut emendatus.

Accipe nunc singulare pudoris, ac verecundiæ argumentum; non semel pudicitiæ in discrimen adductus, morum integritatem, & castimoniam servavit contra cupiditates invictam penitus, incorruptamque. Illud autem in primis admirabile memoratur, quod fluxam mulieris impudentiam, ac libidinem fortiter, ingenioseque perfregerit. Audax fœmina, ut erat soluta admodum disciplina, corruptisque moribus, cum Bonæ animum nullis delinire blanditiis, nullo artificio pervertere constantiam posset, apertam vim intendere statuit. Adeo cupiditas totum illius animum occupaverat, ut in furorem, atque dementiam evasisset. Joannes gravissima ira ex pudore concitata, cum nullus ad fugam liber pateret aditus, tandiu

in

in mulierem audacia perditam expuit, donec iis vinculis, gravissimoque periculo incolumis evolavit: tum vero tanquam ab imminenti naufragio conservatus optimus adolescens, de secessu, de solitudine cogitare cœpit, ubi tutum innocentiæ perfugium inveniret. Itaque templum confestim adiit prope Vicum B. Virgini antiqua religione sacrum, Populorum, Regumque muneribus ornatissimum, cæteris etiam gentibus fama late celeberrimum; in eo loco de nova vitæ ratione ineunda dum secum ipse deliberat, & mira animi sollicitudine, variisque molestiis torquetur, visus est a Dei Parente tacite admoneri, ut ordinem Cistercienſium ingrederetur, & Sanctum Bernardum sibi ducem proponeret imitandum. Hinc statim inter tenebras oborta luce, tantam est pacem & tranquillitatem consecutus, ut ipsi velut ex turbulentissimo salo revertenti jam portus, & statio placide ante oculos observaretur. Nihil deinde Joannem a sententia, quam divinitus immissam non dubitabat, potuit removere: omnia, quæ prima apud Mortales habentur, perniciosa rerum fluxarum blandimenta, deliciarumque illecebras eo die penitus aspernatus, in ea solum cogitatione defixus erat, id unice cupiebat sacros recessus quam primum ingredi, ad quos fuerat recenti Dei Matris clementia invitatus. Interim singulis fere diebus Vicum oppidum pedes itabat, ut causam suam B. Virgini commendaret; nec a proposito destitit unquam, donec Præses Cistercienſium eximiæ indolis juvenem, honeste, ac liberaliter educatum omnibus officiis supplicem amplexus fuit, & per aliquot dies incredibile austerioris vitæ desiderium periclitatus, in sodalitatem recepit vetustate celebrem, optimis legibus constitutam, doctrina, sanctitate, omnique laudis genere florentissimam. Porro id contigit XIV. Kal. Augusti anno 1625.

Joannes interea cum ingenio esset facili, & ad virtutem plane factus, addito singulari studio, ac diligentia, in eum locum devenit, ut nulla continentiæ, religionisque in Deum exempla abs se desiderari passus sit; eos autem mores, eamque disciplinam perpetuo tenuit, ut ei virtutem natura insitam, & auctam consuetudine arbitravere, cujus quidem laudis ipsa ejus scripta, quæ ad nos pervenerunt, certissimo documento sunt, in quibus ille summæ probitatis, hoc est, sui imaginem expressam reliquit; quæ quidem scripta quot præceptis abundent ad componendos mores, sedandasque animi perturbationes maxime salutaribus, hinc plane constat, quod ii libri non semel exteris etiam linguis impressi sint. In illis non tam ingenium, vel doctrinam ostentat suam, quam lectoris pietatem excitat; neque fucatam, & inanem eloquentiam, quæ in singulas voces, numerosque sollicita sit, accurate persequitur; sed animos tum gravibus sententiis permovet, ut bene multi, quos præceps in omnem licentiam natura corruperat, haustis inde præceptis, institutisque mirum in modum ad bonam frugem traducti sint.

Cum periculum sui per annum integrum fecisset omnium virtutum exercitatione satis probatus, de more atque instituto Cistercienſium servandæ in perpetuum obedientiæ Sacramento se se obstrinxit, eumque diem, quo se, suaque omnia immortali Deo devoverat, festum, ac solemnem semper duxit, & quot annis usque ad ultimam senectutem singulari pietate ac lætitia celebravit. Tunc doctissimo viro Hieronymo Carrario in disciplinam traditur, cujus nomen tunc non vulgaris doctrinæ, plurimæque eruditionis opinione celebrabatur; nam cum Philosophiam in maxima juvenum frequentia publice doceret, non eos sequebatur, *qui certis quibusdam*, ut ait Cicero, *destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quæ minime probaverint, cogantur tamen constantiæ causa defendere*. Ille e contrario nulla partium contentione abreptus, veri inquirendi studio magnopere incensus, quæ veritati proxima viderentur, unice seligebat, causasque rerum diuturna meditatione perpendens, quid in quamque sententiam dici possit, libere expromebat: itaque fauste, fortunateque contigit, ut tam præclarum ducem, auctoremque ad cognoscenda naturæ arcana sit nactus Bona, qui incredibili, quo ferebatur ad rerum cognitionem, amore singulas Philosophiæ partes non inspexit modo, ut plerique faciunt, sed accurate, diligenterque perlustravit, eosque brevi fructus percepit, qui debnerint Magistri ipsius laudibus non immerito commendari. Romam deinde missus est, ut sacram Theologiam, rerum divinarum scientiam, ingrederetur; at repente teterrima pestis, quæ Subalpinos invaserat, & Italiæ faciem renovatis funeribus deformavetat, itinera omnia interclusit: ingruente metu, ne latius serperet funesta lues, & in finitimas

Provincias emanaret. In secessum, atque otium conjectus Bona, si quando a gravioribus studiis, velut ab opere, remissionem aliquam quæreret, non tradebat se languori, & inertiæ, sed in amœnissima Poetarum studia magna cum voluptate se conferebat, & tum præsertim hebraicam, græcamque linguam summa diligentia excoluit, quæ deinde ad reliquas facultates quanto ipsi adjumento fuerint, ii norunt, qui ejus opera perlegerunt. Illud sibi quoque per id tempus proposuit, Sanctorum Patrum monumenta percurrere, quæ pietatem alerent, animumque vanis exolutum cupiditatibus magis in Deum erigerent; hoc nempe virtutis desiderium reliquis semper omnibus antepoſuit, quæ nobiscum intereunt, & vacuam nominis commendationem relinquunt, præterea nihil. Itaque plurimas, & graves in unum libellum sententias congessit, certasque ex probatissimis viris delibatas precationes addidit, quibus in singulas ferme horas pie, sancteque ipse suam pietatem pasceret, exerceretque. Is libellus multis deinde post annis in lucem editus non mediocrem mentem, curamque suscepit; cum forte ex sacris literis audivisset, diris devotum, & in acerbissimos cruciatus adactum torpentem servum, qui talentum divinitus acceptum in vilem socordiam projecisset.

Interim restincta morborum lue, tutis jam, apertisque itineribus Romam venit, ubi Theologiæ cursum cum laude absolvit, & concitatam de se opinionem non tam sustinuit, quam superavit. Illos, quoad vixit, maxime improbavit, qui divinam hanc facultatem inusitatis, obscurisque rerum nominibus involutam pertractant, jejunam, nudam, inanem, & omni prorsus veræ dignitatis specie destitutam; quippe, ut inquit ille, *necessaria nesciunt, quia supervacua didicerunt*. Perpauca autem ex sacris literis testimonia proferunt, quibus res gravissimæ plane confirmari debent, nihil pene ex sapientissima antiquitate, nihil ab Ecclesiæ monimentis, institutisque; ex quorum fontibus de Deo, rebusque divinis hauriri unice possunt apta, ac solida argumenta. Secus omnino Bona, qui tam præclaram scientiam pro Sacrorum utilitate, ac defensione suscipiendam ratus, totum vitæ cursum insumpsit: Primum, ut sacras literas, & quæ a Summis Pontificibus, & celeberrimis Conciliis constituta fuerant; deinde Patrum lucubrationes, ac scripta omnia, tandem ea, quæ ab Ecclesiæ exordio contigerant, admirabili rerum ordine non percurrit solum, sed animo penitus imbibit Universa; his veluti armis religionem defendi, eorumque contumaciam perfringi pro certo habebat, qui vel ambitione, vel corruptis moribus addicti, bellum Sacris indicere ausi sunt. Ad primum sapientiæ fontem accessit Bona, ex cujus scriptis abunde profluunt rerum lumina maximarum: quare Clarissimus Magliabecchius, cui cum admirabili rerum cognitione peracre fuit ingenium, & judicium ab omni prorsus assentarione alienum, quoties de Bona jam Cardinali sermo incidisset, neminem alium post Baronium in sacris literis, atque Ecclesiæ disciplina magis versatum palam, ac libere adfirmabat; hæc vere laus fere omnium literis, ac testimoniis comprobata illorum est, qui per illud tempus ingenii laude maxime floruerunt. Sed rem nostram prosequamur: cum primum rem divinam facere ad Aras debuit, vix dici potest quam studiose, quam accurate rei dignitatem, ac magnitudinem perpenderit, qua divinis humana copulantur; nam præclarum de sacrificio Missæ libellum, non suo tantum, sed christiani etiam nominis incredibili bono in lucem edidit, in quo tam divini muneris amplitudinem, certamque ejus recte peragendi rationem luculenter exhibet: illum sane perutilem duxerunt omnes, tum vero Bernardus Ardobertus totius Benedictinæ Familiæ, quæ a Sancto Mauro nuncupatur, supremus moderator, qui Parisiis curavit iterum imprimendum, in singulos Ordinis sui viros exemplaribus distributis, intelligens ea fore maxime ad pietatem, & Religionem incitamento.

Magna inde fuit Bonæ commendatio, maxima doctrinæ opinio, & probitatis; unde Cistercienſium, qui Monte-Regali in Subalpinis degunt, Præses renunciatus est; sed cum divelli nullo modo posset a literarum quiete, quam unam rerum omnium jucundissimam, antiquissimamque a prima adolescentia habuerat, omnem iis curam statuit, atque ætatem unice consecrare, nec unquam ambitionis viam ingredi plenam sollicitudinis, ac molestiæ, quæ fortasse plus videtur utilitatis, atque amplitudinis polliceri, sed nihil veræ laudis, ac solidæ dignitatis continet, quæ non aliunde est, quam a virtute, & liberalissimis artibus expectanda; recusato igitur in ea Familia præclaro titulo, ab omni prorsus ambitione vacuus Augustam Taurinorum venit, optimæ illic voluntati, ac desiderio satisfacturus; neque

neque enim dissimulandum est; quod, nostra præsertim ætate, publica illius Urbis Academia optimis jampridem legibus constituta, accitis undique regali beneficentia, & largitate viris in omni doctrinarum genere præclarissimis, in eam gloriæ amplitudinem deducta sit, ut locum inter cæteras perhonorificum obtinere jure optimo videatur.

Itaque nullum Bona libentius iter ingressus est, quam ad eam Urbem liberalissimis studiis affluentem, ubi præstantium Virorum consuetudine, librorum etiam, qui ad omnem doctrinam pertinent facili copia, non mediocrem sibi utilitatem pollicebatur. Ibi per quinquennium sedato, compositoque ad otium animo, ita se literis abdidit, ut ab illis se se nonnisi pietatis, aut religionis causa revocari sineret; quin unquam pulcherrimæ Urbis opulentia, aut lùdorum delectatio; cum lætissimum aliquod nuncium cives ad hilaritatem accenderet, Bonæ oculos ad sui spectaculum permoveret. Neque hoc sane admirandum in homine, quem nemo ignoret sapientiæ studio suam aliquando valetudinem neglexisse: nam morbo ex assiduis laboribus, vigiliisque contracto, stomacho præsertim graviter affecto nunquam adduci potuit, ut laboriosam vitæ rationem tantisper relaxaret, quod unum inveteratæ corporis infirmitati conferre plurimum posse videbatur. De quo cum a suis admoneretur, festive admodum respondere solitus, nihil mali ab iis artibus metuendum, quæ liberales ideo sunt appellatæ, quod hominem efficiant liberum ab omni metu, & in quibus excolendis præclarissimi Antiquitatis viri ad extremam usque senectutem incolumes pervenerunt; atque in hanc rem veteres Græciæ Philosophos appellabat, qui tantopere literis commendantur, de quibus traditum est, tam in citato discendi ardore fuisse correptos, ut curas cæterarum rerum veluti impedimenta quædam prorsus abjicerent, & in solitudines commigrarent; hujus rei hanc causam suis familiaribus afferre solebat, animos nempe hominum, qui rationis participes sunt, duci in primis cupiditate veritatis inquirendæ, & in sola cognitione rerum occultarum, & admirabilium conquiescere, nisi forte ambitione capti, vel divitiarum libidine, aut aliis voluptatum illecebris irretiti, in aliam partem cogitationes, mentemque, licet initio reluctantem, converterint.

At Joannes hoc tempore castimoniæ laudem, quam adhuc adolescens egregie ab omni impudentiæ impetu vendicaverat, iterum oppugnatam summa cum laude defendit; cum enim nobilis virgo Joannem misere deperiret, imprudentem, reique inscium, simulata ægritudine accersit, ut se christiano more crimina confitentem audiret, expiaretque. Insidiarum nescius ad ægrotam pergit Bona; illa amenti similis perfricta fronte statim irruit in ejus complexum: vir rei novitate attonitus, suspenso animo, graviterque sollicito, quid consilii caperet, usus, ut antea, ingenio, quo nemini secundus fuit, vocem, quam potest maximam, extollit, & periclitanti puellæ, repentinoque morbo jam deficienti, opem implorat a Parentibus; advolant ipsi, ac filiam amore simul & desperatione tabescentem, improvisa lue pene exanimatam rati, curant diligenter; atque ita nova, admirabilique ejus sapientia factum est, ut illa pudoris opinionem servaret, hic suam in tuto castimoniam collocaret; illud hinc boni sequutum est, quod puella tam singulari modestiæ, ac virtutis exemplo aliam mentem susceperit, nec multo post sacris, ac religiosissimis Virginum septis perpetuo inclusa pristinam labem diuturnis lacrymis expiaverit. Inter hæc celebratis ordinis sui comitiis, Astensi Cœnobio invitus præficitur, nec ullis precibus obtinere potuit, ut, quod antea statuerat, carere omni honoris titulo, id constans, perpetuumque fieret; injecta scilicet religione, monitusque ne divinæ refragaretur voluntati, quæ ipsi hanc Provinciam demandaverat, tandem se vinci passus est, aut potius se ipsum vicit.

Ubi Astam Pompejam venit, nobilissimos Cives in sui amorem pertraxit illico universos: omnia ad ejus consilium in Civitate referebantur; idque solum honeste, recteque factum habebatur, quod ejus sententia, judicioque probaretur. Familias Principes inter se acerrimis odiis dissidentes, cum triste aliquid, funestumque timeretur, mira voluntatum consensione, citra communem omnium expectationem simul conjunxit. Plura enim Bona a natura ipsa acceperat, plurima etiam sibi literarum, virtutisque adjumento pepererat, quæ ad aliorum animos conciliandum plurimum valent. Incredibilis morum suavitas, in sermonibus lenitas, tota denique vitæ consuetudo mitis, ac dulcis; ad eximium hunc naturæ habitum, cum ratio, lumenque Doctrinæ accessisset, præclarum illud, ac divinum extitit, quod aliorum

aliorum animos necessitate quadam arctissime sibi conciliabat; hæc indicanda breviter hoc loco fuerunt, ut palam fieret, quibus artibus, quibusve præsidiis hominum gratiam, studiumque tam facile iniret Bona, quippe qui cum deinde Romæ versari cœpit, amplissimis Cardinalibus conjunctissimus, summis etiam Pontificibus adeo gratus exstiterit, ut ab eisdem omnia vel benevolentiæ testimonia, vel honoris insignia facile consequeretur. Itaque ingenuarum artium in sinu educatus, sicut Romæ postea, sic tum Astæ Pompejæ, ut paulo ante commemorare cœpimus, in omnium oculis ferebatur, magna ipsum assiduitate, magna frequentia circumstabant, dubiisque rebus jactati Cives in ejus ore, sententiaque tuto conquiescebant: hanc sapientiæ, probitatisque opinionem longe magis auxit apud eos editus libellus, cui titulus: *Via compendii ad Deum*: Qui cum late fama vulgaretur, exteris etiam linguis redditus est, ut illius fructus in omne genus hominum redundaret. Sed Astensibus tam felici bono, quod sibi perpetuum exoptabant, frui diutius non licuit, nec tanta virtus tam exiguis terminis potuit contineri: ipse nimirum Cisterciensium moderator, qui in rebus agendis prudentiam, consiliumque Bonæ novis in diem testimoniis exploratum habebat, Montem Regalem in Subalpinis eum proficisci jubet, & celebre Monasterium illic Regia Sabaudiæ Principum munificentia constitutum eidem administrandum committit; verum biennio nondum elapso, Romam accersitur, ubi unanimi omnium voluntare, supremum totius Ordinis regimen invito reluctantique delatum est.

Hujusmodi dignitatem iniit anno 1651. summa omnium gratulatione; ipse vero principem inter alios locum non alia ratione sustinere, tuerique constituit, quam cæteris facem ad virtutem præferens, exemplo suo idcirco ejus virtus in omni gradu, eadem semper fuit; summus paupertatis amor, summa in victu, cultuque frugalitas, si alios vel cessantes extimularet, vel errantes argueret, admirabili semper mixta lenitate severitas: ad hanc, cum res postularet, publicas, privatasque adhortationes adhibuit, ut incensos jam amore virtutis animos obfirmaret. Nec tamen gravioribus unquam negotiis defuit, immo Ordinis sui commodo, ornamentoque mirum est quam prudenter consuleret, quam assidue provideret; ob hanc causam convenire debuit Fabium Chisium Cardinalem, eo tempore Clarissimum Ecclesiæ Principem, qui ob virtutem, & operam conciliandæ paci apud Monasterium Westphaliæ egregie navatam, tanquam futurus Pontifex ab omnibus habebatur. De ordine sollicitus, ut antea dixi, non raro hunc Principem adibat Bona, cui adeo jucundus fuit, ut ejus familiarissima consuetudine uteretur; solitus ille Poetarum studiis summopere delectari, Bonæ facilitatem, & elegantiam mirifice probabat, eo vel maxime quod hanc facultatem cum singulari eruditione conjunctam, ipsumque cum sacris, tum profanis rerum omnium monumentis apprime versatum, atque instructum cognosceret. Amabat præ ceteris in Bona probitatem, prudentiam, moresque sanctissimos, qui cum summa doctrina facile contenderent; hinc enim excipere non tam benevole, quam familiariter; ipsius consilium exposcere in gravissimis negotiis, quæ ad Rempublicam pertinerent; eum denique, cum ex verbis molestia, rerumque perpetua jactatione in agrum propter æstivos calores secederet, secum educere, ex cujus virtute, & colloquio jucundissimam caperet voluptatem. Quamquam vero tam perspicua in Bonam suæ voluntatis testimonia quotidie daret, nunquam tamen obtinere potuit, ut hic ab se se aliud postularet, quam ut ordinem universum in suam reciperet fidem, ac clientelam; quod sane moderationis exemplum & rarum, & singulare prorsus existimemus necesse est; si hominum ingenia paululum expendamus, qui fere illud unice sibi proponunt, in Principum amicitias omnibus artibus insinuare se se, quorum præsidio, & opibus ex privata conditione in altum supra cæteros efferantur; hinc eos salutare, deducere, comitari, ad ipsorum arbitrium, voluntatemque se penitus accommodare, ac flectere, naturæ difficultates obsequio, arrogantiam patientia, dissimulatione ineptiam pati, ab eorum latere ne vestigium quidem discedere, donec sibi intimam eorum benevolentiam demeruerint; tunc demum assentatione, officiis, assiduitate devinctos Principum animos in suam rem convertunt, & quos honores virtute sperare fortasse minime poterant, eorum commendatione, & gratia consequuntur. Alios mores, aliam indolem habuit Bona, qui regimine suo optime perfunctus, tametsi rem Chisio gratissimam, sibique perutilem facturus esset, si in Urbe moraretur; tamen unice de veteri secessu secum anxie cogitabat; id facili conjectura Chisius perspexit: quare magno

studio

studio instituit, ut Romæ nova totius Ordinis comitia celebrarentur, ratus auctoritate sua, atque officiis futurum, ut ea dignitas in triennium Bonæ prorogaretur, atque ita illius amicitiæ fructum non desideraret, quam mox videbimus nulla temporis diuturnitate, nulla locorum distantia imminutam; at veritus Bona, ne ab hujusmodi exemplo aliquid Ordo detrimenti caperet, proxima Comitia Genuæ indixit, in quibus omni se munere abdicavit.

Tum vero quo facilius intermissa studia repeteret, in Subalpinos profectus, eum sibi locum delegit, quo primum fuerat adolescens singulari Dei Matris beneficio invitatus; jucundissimum portum ingredi visus est, ubi, post diuturnam jactationem, quietem caperet, curisque diu distractum, ac negotiis fatigatum animum in secessu tranquillo, ac placido recrearet: sed brevi sensit non se quidem in umbram, ac solitudinem, sed velut in prælium divinitus evocatum, in quo virtutem difficili experimento probaret suam; subagrestes nimirum homines, incultoque ingenio nactus est, qui nulla dignitatis, nulla doctrinæ ratione habita, tamquam novum, insensumque hominem dure, & aspere exceperunt; abjectis in ministeriis is occupatur, qui universum ordinem paulo ante magna cum laude administraverat; postremo etiam cum sederent ad mensam cæteri, ipse senex contra mores, & instituta majorum illos pia librorum lectione jussu durissimo detinebat. Plurimi hunc contemtum, ac pene ludibrium indignabantur, nusquam Bona questus est neminem non modo contumeliose, sed ne appellavit quidem acerbius, omnibus officiis, omnique benevolentia amarulentos animos, asperosque sensus flectere, & delinire contendit. Demum, quod caput est, in tanta hominum offensione, atque injuria nunquam visus est ullo mœrore obductam frontem præ se tulisse: neque hoc sane ad inanem Philosophiæ ostentationem referri debet, qua instructi homines nulla interdum neque adversa, neque prospera fortuna tantisper commoveri videntur; & nihil ad se dictitant humanarum rerum, præter honestatem, atque sapientiam, pertinere. Bona ex sacris literis, majorumque exemplis hanc doctrinam hauserat, & ex Christo Domino didicerat omnes injurias constanti morum suavitate, ac patientia superare; jam documento erit, ac testimonio illa, quam mox in eo mirabimur, quæque præ cæteris ex Evangelio commendatur, singularis animi virtus, & moderatio inusitata.

Per id tempus, nempe VII. Idus Aprilis anno 1655. Fabius Chisius Bonæ conjunctissimus, ut antea memoravimus, unanimi Cardinalium suffragio, summaque Populi gratulatione in altissima Apostolici Principatus Sede constitutus, nuncupatusque Alexander VII. Patri libello S. A. P. Magistro commisit, ut celeriter id Bonæ nunciaret, eumque suo nomine Romam accerseret, veteris necessitudinis, cognitæque jam pridem virtutis fructum liberali Pontificis munificentia percepturum: ipse vero demisse adeo de se sentire, ut eas literas officii, atque humanitatis plenas nulli patefecerit, nullamque vultu, oculis, aut sermone lætitiæ significationem unquam dederit. Pontifici optime de se merenti egit gratias, & infirmæ valetudinis, ætatisque caussa producta vix obtinuit, ne longum ac perdifficile iter suscipere cogeretur; tunc certo exemplo palam factum est, quod in sacris literis continetur: eos, qui honorum gradus fortiter contemserint, ex humili loco vel invitos in lucem proferri, & ad dignitates extolli, ut nempe decora ornantia cæteros ipsi excellenter ornent virtute sua. Interim cum repentina pestilentia celebres Italiæ Urbes primo corripuisset, ac deinde late serpens Urbem etiam plurimis in diem funeribus compleret, Cistercensium Moderator supplici libello Pontificem rogavit, ut, quoniam impeditis, clausisque itineribus Ordinis Comitia præstituto tempore haberi non possent, aliquem ipse decerneret cæteris auctoritate præficiendum; ob eam caussam plurimorum nomina descripserat, quos ad id maxime idoneos amplissimis verbis prædicabat; Bonam vero, quem minime præferri volebat, novissimum nominaverat: Pontifex cæteros præteriit, ac Bonam, utpote omni laudis genere præstantem, illo honore dignissimum declarat, publicisque literis totius Ordinis Præsidem constituit. Nemo unquam magis præter expectationem honores adeptus est; tot quippe Candidatis, qui Principum gratia nitebantur, sine contentione superatis; ipse rei prorsus ignarus ab Subalpinis ad supremam Ordinis Procurationem Summi Pontificis auctoritate evocatur: perlatis ad Joannem literis, cum omnes, qui aderant, delatam dignitatem, & Pontificiam in eum voluntatem magnopere gratularentur, ipse palam recusare, se ab jucundissimo secessu discedere ullo modo posse, ut negotiis iterum, veluti

perpetuis

perpetuis fluctibus, anxius, atque sollicitius distraheretur, in quam sententiam diu, sapienterque disseruit; nec dimoveri unquam ab eo consilio potuisset, nisi qui officii causa Bonam coovenerant, rem plane ingratam Pontifici mox futuram cum magno totius Ordinis detrimento, si mentem abdicandi muneris non deponeret, verbis gravissimis ostendissent. Quare cum modesti animi hac in re novum edidit testimonium, tum quam leni esset natura, exemplo iterum praeclarissimo confirmavit; Illos enim, quos ex ea familia duriores in se ipsum, nulla iis illata injuria, diu expertus fuerat, supplices, ac pene diffidentes amantissime complectitur, bono animo esse jubet, & se Parentis loco iisdem futurum spondet, amicos nominat, pollicet urque nullis unquam vel officiis, vel etiam, si locus daretur ad ipsorum dignitatem augendam, beneficiis defuturum. Qua in re tanta humanitate usus est, ut universa concio obortis lacrymis exclamaverit, tam inusitatam in summa virtute, atque doctrina modestiam, postquam privatae vitae quasi tenebris cum magno Reipublicae damno taodio latuisset, in lucem merito revocari, & ad majora divinitus adductum iri; haec, quae tum fuerat grati animi significatio, paulo post divinatio visa est. Deinceps enim in Cardinalium Collegium cooptatus, novum sacris ornamentum adjunxit, & totius Ecclesiae rei insignes attulit utilitates; interim autem oovis semper literis, magnoque studio Romam accersitus, mutatis ad celeritatem jumentis paruit; cum funesta lues, licet rebus omnibus divinis, humanisque diligenter procuratis, multa adhuc cum clade per Italiam grassaretur.

Urbem ingressus, summum Pontificem adire haud potuit, qui Vaticanis aedibus conclusus, ne ipsos quidem Cardinales, nisi maximis de causis, in colloquium admittebat; ubi tandem illius adeundi facultas data est, dici vix potest, quanta cum humanitate Bonam amplexus sit, & quanta in ipsum dederit benevolae voluntatis argumenta. Prosperum ipsi in Urbem reditum tam periculosis temporibus gratulatur, pristinam consuetudinem, & suavissimas rusticationes palam, ac perbenigne commemorat; postremo hortatur ad labores pro Republica suscipiendos, ex tam familiari ac perhonorifico colloquio coostans omnium animos opinio pervasit, gratissimum Alexandro Joannem futurum, qui praesertim tanta probitatis ac sapientiae fama commendaretur: nam Alexander initio doctis, ac literatis omnibus veluti signum aliquod ad bene sperandum sustulerat, cum plurimis suarum virtutum ornamentis, tum quod affines, cognatosque ab omni rerum administratione, & ab ipso Urbis adspectu longe removerat, quorum loco, palam praedicabat, habendos viros justitia, fide, integritate pariter, ac prudentia, doctrinaque illustres, artibus nempe, quibus imperia feliciter gubernantur, apprime instructos. Quare qui Principem obsidebant, Bonae amicitiam officiis omnibus quaerere, benevolentiam impense colere, virtutem ubique eximiis laudibus praedicare: plurimi sane ipsius adducti sapientia, ac modestia; nonnulli, uti fit, quod ejus praesidio Magistratus, ac Sacerdotia sperarent; paucos igitur post dies inter eos Bona adsciscitur, qui sacrorum ritibus examinandis, ac viris sanctitate immortalibus inter coelites referendis praefecti sunt; post in eorum coetum adnumeratur, qui religioni curandae, & ab omni labe vindicandae praesunt, quae munera de more hominibus conferuntur prudentia, atque ingenii gloria spectatissimis, & ob rerum pondus, ac magnitudinem, summa fide, innocentia, gravitate excellenter ornatis. Sic Alexander Religionis cultum ac disciplinam sartam tectam tueri omni studio adnitebatur; tunc denique in eum locum evectus Bona, singularem ingenii vim, divinique juris scientiam, tunc hebraicas, graecas, latinasque literas, in quibus erat egregie versatus, in Christianae Reipublicae utilitatem contulit. Ad eum Cardinales amplissimi frequentes venire, ejusque consilium in gravioribus quibusque rebus diligenter expetere; praesertim vero quos conjunctissimos habebat, Camillus Maximus, Mediceus, Estensis, Rospiliosus, Pallavicinus, Nerlius, Ninus, qui nihil sibi jucundius, quam Bonae congressus, ac familiare colloquium fatebantur; verum non Romae modo, sed late etiam in disjunctissimas partes ejus fama promanavit, ac ubique paulatim nomen ipsius clarissimum factum est. Nemo fuit eo tempore literarum laude celebris, qui Bonam non coleret, nemo quicquam in lucem protulit, quod antea Bonae judicio non subjiceretur; ex Germania Gummarus Huggens, & Christianus Lupus in Lovaniensi Academia Princeps in praeclaris literarum laboribus, quos magno Reipublicae bono susceperant, eum sibi ducem delegerunt, cujus doctrina, ac diligentia plutimum juvarentur; nec profecto constan-

stantissimam in ipso aut fidem, aut benevolentiam ullo unquam tempore desiderarunt, Lupi præsertim, cum graves in eum turbæ excitatæ essent, quod Joannem Hierosolymitanum inter Hæreticos adnumeravisset, causam, defensionemque ita suscepit, ut eum non tam auctoritate, & præsidio, quam sapientia sua incolumem conservaverit. Bollandus, Papebrochius, Henschenius pluribus ad Bonam literis agunt gratias, & perpetuo se habituros pollicentur, quod ipsos in conscribendis piorum virorum rebus gestis, & addiderit sibi animos, opemque non exiguam dederit, consiliis præsertim utilissimis, & singularibus argumentis, quæ ipse non exiguo labore ex reconditis monumentis hauserat, operi illustrando pernecessaria.

Hinc Bonæ facilitate, atque eruditione satis perspecta, ad eum alienissimi quoque homines confugere, incœptam studiorum rationem cum ipso communicare, ut felicius cursum prosequerentur, & omnem, quæ forte properantes moraretur, difficultatem eo Auctore facile superarent, universa pene Gallia, quamquam ingenio soleat aliis nationibus ægre cedere, frequentissimis literis Bonam veluti literarum Principem consuluit, & eximiis laudum præconiis decoravit. Joannem Cotelerium, cum Patres Græcos, qui sub Ecclesiæ initium floruerunt, simul conjungere, novisque Commentariis explicare jamdiu cogitaret, ad eam gloriam comparandam hortatus est, sibique id oneris imposuit Bona, ut veros, probatosque Auctores dignosceret, & scripta nondum promulgata magno suo labore, atque industria conquireret.

Idem Petro Gousainvillæo se quasi Comitem præbuit, adjutoremque, ut Petri Blesensis libros summopere votis jampridem omnium expetitos publici tandem juris faceret, & S. Gregorii monimenta, quæ hominum negligentia, temporisque injuria parum emendata legebantur, cum antiquis exemplaribus collata diligenter, accurateque restitueret in lucem suam. Joannem Thiersium hominem græcæ, latinæque eruditionis peritissimum, pro mutua conjunctione, ac benevolentia tam mirifice adjuvit, ut is suam de Bona opinionem, atque sententiam posteris sic testatam reliquerit: *Is es, cujus studio nihil non tribuo, cujus sententiæ clausis, ut ajunt, oculis acquiesco, a quo si nudus labor comprobetur, quin ab eruditis viris sit comprobandus non dubito*; Philippus vero Labbeus, postquam suas ad Bellarminum Dissertationes edidit, cum dolore Bonæ consuetudine se antea caruisse pluribus verbis testatus est, cujus doctrina duce eas accuratius elaborasset, & limatius confecisset. Nam cum ipse, & Theophilus Rainaudus *XV. Sermones de Cœna Domini* Ab Ogerio Lucerienfi elucubratos, cujus nominis memoria vix temporis diuturnitate supererat, aliis Authoribus tribuissent, ejus rei Bona pro suo in literatos studio, statuit, commonuit, & vetustatis recondita, situque pene obruta in medium protulit monimenta. Felicior fuit Mabillonii ratio, qui cum nihil aggressus sit, nisi prius ejus consilium, approbatioque, quasi Oraculum, accesserit, ea plurima, quæ scripsit, mirum in modum celebrantur. Quod uni Bonæ acceptum referebat, quemadmodum ex ejus Epistolis non obscure conijcitur, in quibus eum & omnium sapientissimum, & studiorum Principem, hortatoremque nominat suorum; Lucam denique Dacherium, Chantelovium, totamque Benedictinorum Familiam a S. Mauro nuncupatam, quæ tunc impensius literas excolebat, aliosque innumeros de literaria Republica optime meritos non modo summa prosequebatur benevolentia, verum etiam nullam pro illis operam, nullamque dignitatem recusabat. Pari ipse vicissim voluntate, ut modo dicebamus, ab iis omnibus colebatur, qui ea ætate splendore ingenii, ac literarum magis eminerent; nulla enim justior, atque honestior necessitudinis causa fingi potest, quam quæ a virtute, & disciplinarum similitudine duci solet.

Lætabatur magnopere Pontifex de omni doctrina Bonæ judicium suum ubique prædicari, quemque adeo mirabantur cæteri, ipse sibi familiarem, & in gravissimis rebus administrum habere cœpit, nihilque pro Republica feliciter gerenda suscipere, nisi eum prius consuleret; omnia vero prudenter, sapienterque gesta putare, quæ ad ejus sententiam gererentur; ejus vero consuetudine, & alloquio adeo delectabatur, ut eum in Gandulphi Oppidum non longe ab Urbe in amœnissimo colle situm, immoderati æstus vitandi, & a publicis negotiis remittendi animi causa paulum secederet, in suavem pene illam rusticationem diceret, nisi Bonæ consortio frueretur. Interea exacto sui Regiminis triennio, illud denuo capessere jussus est; eadem ergo dignitas rursus ad annum reluctanti prorogatur,

donec Pontifex ipsius precibus victus fatigatusque liberam abdicandi honoris potestatem fecit, ea conditione, ne ab Urbe discederet, ac bis in singulas hebdomadas Vaticanum adiret; quod ne molestum esset, curabat Præfectus Domus Pontificiæ, rheda ut honoria commode veheretur: illud mirum sane fuit, quod nunquam huic viro non facilis pateret aditus ad Pontificem, cujus in eum voluntas, ac benevolentia tot, ac tam præclaris testimoniis satis perspecta fuerat, nulla tamen illum per tot annos aulicorum invidia conflagrasse in maximis quibusque domibus obtrectatio, & livor dominatur. Aulicorum ea plerumque natura est, ut alienam fortunam oderint, & ad Principis solium pro viribus quisque suis locum habere, aliorum etiam pernicie, obnitatur; at Bonæ gratia, & auctoritas nusquam fuit obtrectationi obnoxia, nec livori; id nonnulli morum suavitati, ac mansuetudini tribuendum existimabant, alii vero, quod ipse nulla ambitione duceretur, nullisque viam ad honores, quos maxime appeterent, per invidiam intercluderet: omnes autem in hoc consentiebant, hanc felicitatem virtuti debitam, quæ cum in edito sita est, tantam vim habet, ut omnium ad se animos alliciat, & in sui admirationem adversatios etiam ipsos convertat.

Accidit ea ætate, ut legatus Galliarum Regis Ludovici IV., qui ob militarem gloriam magni cognomen sibi comparaverat, Populi quodam tumultu suam dignitatem labefactam apud Pontificem quereretur, quam rem Ludovicus ipse tam ægre tulit, ut se iratnm, infestumque Populo Romano declararet, nisi qui legatum suum per injuriam violaverant, Pontificis decreto acerbissimas darent pœnas, easqne conditiones proposuit, quas Pontifex probare haud poterat, salva Imperii Majestate: quare ut Regis animum placaret, Flavium Chisium nepotem suum solemni legatione in Galliam mittere, eique Bonam socium adjungere statuit, cujus opera, consilioque in rebus agendis potissimum uteretur; sed ipse ætatem diuque affectam valetudinem causatus, quæ haud satis apta videbatur ad longi itineris incommoda, ac molestiam sustinendam, demandatum honoris munus non tam, ut sibi consuleret, quam modestiæ causa, declinavit. At jam ampliora moderationis exempla ex ipso desumenda sunt, quibus adducta posteritas illum in secunda fortuna temperantissimum recognoscat. Vita functo per eos dies Astensium Episcopo Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux Bonam in suo natum, educatumque Regno, cujus jam fama longe lateque pervaserat, ad eam Sedem designari vehementer expetebat, quæ sane ejus regionis ampla & præclara est, atque instructa vectigalibus haud contemnendis; literas ad eum pleuas humanitatis, & benevolentiæ dedit, quibus impense hortatus est, ne propositum virtuti præmium recusaret. Verum nec benefica tanti Principis voluntate, nec ulla ambitionis specie moveri potuit, ut oblatam ultro dignitatem acciperet; itaque ad Carolum Emmanuelem respondit, se tam singulari beneficio prorsus indignum; ad illud autem, prope divinum munus, virum non labe tantum, sed omni suspicione vacuum esse deligendum, qui non minus sermonibus, quam integra vitæ ratione, severaque disciplina mores edoceat, & Populum in officio contineat: se iis virtutibus destitutum non posse eam Provinciam laudabiliter sustinere, quæ si male geratur, cum Sacris & Religioni, tum rebus æque publicis ac privatis pernicies inferatur necesse est; mirum sane, quanto deinceps in honore habitus sit, postquam ea cupiditate liberum ostendit animum, quæ prima fere solet in Mortalibus excitari, ultima extingui. Pontifex tam insignem modestiam, ac temperantiam apud suos familiares sæpius commendavit; jamque Bonam statnerat in Cardinalium Collegium cooptare, ut tantam virtutem altissimo in fastigio, ex quo luceret omnibus, collocaret; sed eo anno præacerba morte raptus consilium haud perficere potuit, qnod optabat.

Cum Alexander VII. e vivis deficeret, non tantum privatis nominibus adductus Bona, sed præsertim communis utilitatis causa vehementer doluit, quod Ecclesia Principis jacturam faceret sibi summopere salutaris; Pontifex ingravescente morbo illnm ad se accersiri jussit, ut in eo discrimine præsentem, adjutoremque haberet: is cuncta gratissimi animi officia, licet in tanta calamitate, æger, invitusque persolvit, donec rebus omnibus, quæ ad brevi morituros pertinent, sancte perfectis, placide constanterque Pontifex decessit xi. Kal. Junii anno 1667. dum cognati, & affines acerbo casu perculsi lamentabantur; familiares vero, qui omnem in Pontifice spem, atque præsidium positum habebant, a lætitia ad mœrorem traducti de suis rebus desperabant. Bona secum tacitus reputabat miseram

ram hominum conditionem, breves, incertosque honoris cursus, spes inanes, fragilemque fortunam eorum, qui viris Principibus tanquam firmissimis propugnaculis nituntur, nec impendentes ruinas variis distracti cupiditatibus probe noscunt. Quare se negotiis omnibus expedire, virtutisque colendæ, vel potius adaugendæ, quæ sola constans, ac perpetua nullum ad interitum vergit, se totum dedere statuit, qua in re quam utiliter se se gesserit, quam egregie eximium veræ sapientiæ monimentum, quod tum protulit, satis superque declarat, cui titulus: *Manuductio ad Cœlum*: quam qui non probet vehementer, sensu is plane careat, necesse est, nullaque religione ducatur; Christianus quidem Lupus ipsam mole exiguam, sed re, atque sententiis gravissimam adfirmabat, quam etiam Lovanii imprimendam curavit; postea tanti omnium opinione habita fuit, ut in omnes fere Gentium linguas reddita perlegatur.

Interim Cardinales divinæ mentis afflatum suppliciter apprecati in unum de more convenerunt, novum ut Pontificem renunciarent, variisque tandem partium studiis compositis, omnia pene suffragia in demortui locum Cardinalem Rospiliosum XII. Kal. Julii anno 1667. declararunt, isque Clemens IX. nuncupatus est; omnes civium ordines privatis, publicisque lætitiæ signis novum Pontificem exceperunt, cum quo rerum felicitatem conjunctam sperabant; nos præsertim, qui a Scholis piis nuncupamur, taciti præterire non possumus egregiam Clementis benevolentiam, ac præclara merita, quorum perpetua erit, ac jucundissima universo in nostro Ordine recordatio; nam institutum, cujus est auctor B. Josephus Calasanctius, paucorum invidia fictisque criminationibus antea disjectum, dissipatumque, non modo restituit inpristinum dignitatis locum, sed plurimis etiam beneficiis honorificentius amplificavit; atque ita pericula, quæ parata fuerant, ad informandos omnibus disciplinis puerorum animos summo Reipublicæ bono institutas labefactarent penitusque everterent, in ipsarum divinitus cessere gloriam, atque incrementum; hanc tantam beneficentiam nulla unquam delebit oblivio, nosque Clementem IX. Pontificem optimum, totius Orbis parentem amantissimum semper prædicabimus, qui nefariam conspirationem sua sapientia, atque auctoritate dissipaverit. His grati animi causa obiter commemoratis ad Bonam redeo, qui Pontifici electo, cum quo per plures annos familiariter versatus fuerat, ea, qua par erat, lætitia gratulatus, eique pereleganti oratione faustam, felicemque rerum administrationem precatus est; deinde penitus ab aula se continuit, licet Pontificis gratiam rebus futuram suis & ornamentum certum, & præsidium stabile non dubitaret. Clemens gravissimis negotiis, quæ ad communem omnium incolumitatem pertinebant, Pontificatus initio, distractus, Bonam ad se minime accersivit, nec ullum testimonium palam dedit, quo suam de præstanti viro, ac vetere amico opinionem, judiciumque publice declararet; nam eo tunc tempore operam, viresque sedulo convertit suas, ut dissidentes inter se Christianos Principes componeret, initoque in Turcas fœdere inflammaret, qui tetro, horribilique exercitu Cretam undique obsidebant, & universæ Christianorum Reipublicæ perniciem, & excidium minitabantur. Porro ille Monasterii septis inclusus, ab illorum moribus longe abfuit, qui publicis semel negotiis implicati, privatam deinde vitæ conditionem ægerrime ferunt, nec delitescere possunt, sibique dumtaxat vivere, posteaque gratia virorum Principum anteire cæteris consueverunt; nullam in eo diceres urbanarum rerum cogitationem, aut honoris desiderium resedisse: nam curis omnibus liberatus sui tandem se voti compotem dictitabat, cum nulla sibi officia, nulla negotia mentem a gravioribus studiis occupatam interpellarent; sed ipsum in ea vitæ ratione, ac proposito diu persistere non tulit Pontifex: nam exiguo tempore interjecto, eum ex secessu, privatoque otio accivit, vel potius invitum e solitudine abduxit, ut quem in rebus agendis maxime idoneum, & virtute præstantem cognoverat, eo in administranda Republica uteretur: quare intimum sibi adlegit, & gravissimas religionis causas illius fidei, prudentiæque demandavit.

Etenim cum eo tempore præstantium virorum Collegium statuisset, qui super indulgentiis, ut vocant, sacrisque eorum Reliquiis Sententiam dicerent, qui Summi Pontificis voce, ac sententia inter cœlites adscripti fuerunt, Bonam cæteris præfuit, ut qui sapientia aliis antecelleret, dignitate pariter anteiret; res enim non exigui momenti, ac ponderis agebatur: teterrima quippe opinio, vel pestis erat per totam Germaniam late propagata, jamque finitimos quoque populos attentaverat, quam Martinus Lutherus impietate misera, funestaque audacissime exci-

tarat, ut spreta Summi Pontificis auctoritate, indulgentiæ, quas ipse ex veteri Romanæ Ecclesiæ instituto pro culparum expiatione liberaliter conferret, parvi fierent, Cœlitumque sacri Cineres, atque imagines palam contemnerentur. Bona tantam personam magna cum laude sustinuit, nec quisquam ab eo in absolvendis, aut expendendis negociis majorem vim, aut solertiam desideravit. Quam ob rem Pontifex virtutis pristina opinione jam propensus in Bonam, facile adductus fuit, ut amplissimum Purpuræ honorem eximio viro conferre secum statueret; detexit consilium hoc suum intimo cuidam Cardinali. Hic se rem gratam, ac perjucundam Bonæ se facturum censuit, si Pontificis hanc in eum voluntatem illico aperiret, faceretque de proxima dignitatis amplitudine certiorem, sed præter opinionem suam in Bona, indolem nactus est ac naturam ab iis alienissimam, maximeque diversam, qui ad honores citato studio rapiuntur, in iisque sitam esse arbitrantur veram hominis felicitatem: nam Bona rei novitate perculsus Cardinalem multis cum lacrymis obsecravit, ne sibi vitæ rationem, qua jam per tot annos placidissime fruebatur, adimi sineret, multis præsertim nominibus indigno, qui in tam præclarum, Augustumque Senatum adlegeretur. Rogare inde effusis precibus, ut per eum benevolentiæ locum, quem in Principis animo teneret, ipsum ab hoc proposito, sententiaque deduceret; sed cum nullis rationibus flecti Cardinalem videret, tristis supramodum secessit, multa versans animo, quibus illius mentem flecteret in suam partem, suumque consilium; longam mox Epistolam ad eum dedit; in eamque congessit omnia, quæ concitatam jampridem de se opinionem apud eumdem attenuarent; omnem anteactæ vitæ rationem in claustris exponit, hinc se penitus ignarum, minimeque idoneum gravissimis aut pertractandis negociis, aut publicis utilitatibus procurandis; generis sui conditionem, doctrinam, ac virtutem imminuit, familiæ inopiam amplificat, quas ob causas si in eum Senatum adsciscatur, cujus dignitatem sustinere, ac tueri tenuitate non possit sua, id neque sibi, neque Pontifici, neque cæteris, qui de se optime meriti fuerint, commendationi futurum exemplum harum literarum ad pag. non legas modo, sed perlegas, velim, ut Bonæ continentiam, ac modestiam admirere.

Sed veluti umbræ corporis sequentem aufugit, fugienti inhæret, ita qui honores vehementer expetunt, minime consequuntur; qui despiciunt, iis inviti etiam, reluctantesque exornantur; Clemens IX. convocato Cardinalium cœtu Bonam pluribus verbis, iisdemque amplissimis commendatum tertio Kal. Decembris anno 1669. in augustissimum adscripsit Ordinem, summis, infimis, mediocribus, hoc ejus consilium adprobantibus; magna ejus diei celebritas, magna omnis generis hominum frequentia ad Bonam venit incredibili studio, ut honorem virtuti, meritisque delatum gratularetur. Ipse tamen nec paulo jucundius, ut in prosperis rebus evenit, nec paulo liberalius lætari honorifico munere visus est, habitum moderati animi diuturna exercitatione comparatum, nec leviter quidem inflexit, quod exemplo comprobavit, mea quidem sententia, singulari, atque inusitato: nam postridie, quam Purpura ornatus, gratulationes totius Civitatis acceperat, mane somno excitatus, consuetas Monachi vestes induit; nec prius Cardinalem se esse meminit, quam monitus a familiari fuit, qui primus ad eum accessit; id solum collata dignitas fecit, ut privatas antea virtutes palam ostenderet, & probitatis, doctrinæque laudes altius provectas communi cum salute, ac religionis gloria copularet.

Postulare hic locus videtur, ut vitæ rationem, quam perpetuo tenuit, morumque candorem, ac sanctitatem quandam veluti imaginem posteris ad imitandum exiguis solum lineamentis breviter designemus: si vitam, victumque Cardinalis consideres, satis illum excultum videas; & pro delati muneris amplitudine satis expolitum. Nulla tamen in eo mollities unquam fuit, nulla animi, vel corporis blandimenta, gravitatem præ se tulit cum placida quadam lenitate conjunctam; abfuit semper ab eo omnis rusticitas, atque versuta illa, & ad hominum captandas opiniones simulata tristitia, quam rugis, & supercilio conditam novi sæpissime homines præseferunt. Perpauci tunc erant in eo Senatu, qui illo gravius & elegantius sententiam dicerent, qui sacra solemnia præclarius, vel decentius facerent; ejus consilia plena prudentiæ, & æquitatis, quibus Pontifex uti consueverat in censura morum, & in eã parte Reipublicæ administranda, quæ sacra complectitur; inter familiares, qui ad victum, cultumque domesticum necessario sunt, nunquam eos adlegit, qui virorum Principum nomine, ac præsidio elati

su-

ſuperbi deſpiciunt cæteros, &c, quod uſu venire quotidie videmus, putant ſibi licere omnia; univerſam familiam habuit bene moratam, inſtitutamque, & eos præ cæteris adamavit, qui virtute aliis antecellarent; quidquid auctoritate potuit, totum eo ſemper contulit, ut miſeris afflictiſque certum præſidium exhiberet. Quo demum animo, ac virtute in tam ſublimi honore, & amplitudine fuerit, non alio quidem, quam ipſius teſtimonio clariſſime deprehendes: nam in Præfatione, quam Liturgicis Libris ipſe præfixit: „ Beatiſſimus Pontifex (inquit) „ me nihil tale aut merentem, aut cogitantem, a tranquillitate, & pace, qui- „ bus in Monaſterio perfruebar, repente abſtractum, & avulſum ad faſtigium „ evexit, maximæ in Eccleſia dignitatis, cui cum impar omnino ſim, vereor „ ne vox illa Prophetæ ad me pertineat: *Elevans alliſiſti me*. Vixeram in Reli- „ gione ab anno XV. ætatis meæ uſque ad LX. & agnoſcens aliquod ſignum „ divinæ miſericordiæ, optabam mori in nidulo meo, *nec diem hominis deſide-* „ *ravi, Deus ſcit*. Nunc autem expulſus a jucunditate Monaſticæ Vitæ, rerum „ exteriorum tumultum patior, quibus aſſuetus non eram, & omiſſis genialibus „ ſtudiis ad curas ſæculi ejectus ſum, a quibus *maxime abhorrebam* „. Divitias & opes ſolum accepit ad uſus vitæ neceſſarios, non ad perfruendas voluptates, vel ad amicitias conciliandas. Clemens IX. plura Sacerdotia permagni reditus eidem nequidquam obtulit; Cardinales fere omnes ardenti ſtudio in Bonam opulentiſſima munera contulerunt, ipſe vero retentis ſolum indumentis, quibus Ordo ille ampliſſimus uti conſuevit, accepta pariter rheda, quæ decet Ordinis majeſtatem, reliqua conſtanter dimiſit omnia, ut nonnullorum contemtum pene ſubierit, multorum etiam offenſionem. Franciſcus Barberinus ætate, conſilio, in eo Senatu graviſſimus, auri non exiguum pondus Bonæ juſſit adnumerari, quem abnuentem, ac reluctantem cum flectere haud poſſet, ut illud animi ſui, atque amicitiæ pignus acciperet, apud menſarios pecuniam deponi voluit, Bonæ Cardinalis nomine cautam, ſignatamque, ut, cum luberet, in uſum converteret ſuum; verum paucos intra menſes Barberino morte ſublato, ea nummorum copia Patribus, ut vocant, miſſionariis tota addicta fuit.

Sed fortaſſe quiſpiam hanc temperantiam non adeo magnifaciet, propterea quod paupertatem ab ineunte adoleſcentia colendam ſolemni Sacramento Bona ſuſceperat, & ita quidem, ut præter ea, quæ ad vitam ſuſtinendam neceſſaria ſunt, nihil unquam perquiſierit, ne optaverit quidem; experientia pariter, exemplíſque Veterum edocemur, auri ſplendore haud illos capi, qui ſemel animum Philoſophiæ penitus addixerint, cum plures etiam divitias a viris Principibus ultro oblatas, vel a majoribus ſuis acceptas longe a ſe projecerint, veluti ſarcinas, & impedimenta, quæ ad ſapientiam iter non mediocriter retardarent: hac de cauſa in hoc Cardinali tantam temperantiæ vim ſi magnopere non admirere, illud certe ſingulari prorſus admiratione dignum exiſtimabis, quod ab iis etiam animi motibus vacuus omnino fuerit, qui & in Sapientes cadere non raro ſolent, cum præſertim in diſcrimen vocatur ingenii laus. Cardinalis hic ſapientiſſimus libros in lucem dederat de rebus Liturgicis ſumma doctrina refertos, doctorumque judicio non probatos modo, ſed etiam magnifice commendatos; multis inibi auctoritatibus aſſerebat cum Græcis, tum Latinis multis ſæculis fuiſſe morem, ut abſque ullo diſcrimine rem divinam pane conficerent: ſive azymo, ſeu fermento; tunc Macedo ex Familia Franciſcana prodiit, homo quidem non vulgari eruditione, ſed tanta impudentia, ut Cardinalem Bonam petulanter laceſſare auſus ſit, quaſi novum hominem nuper a Zadio, & pulvere excitatum; id omnes Bonæ familiares vehementer offendit, qui crebris ſermonibus uſurpabant, non poſſe incolumi dignitate tam gravem, acerbamque injuriam patienter ferri: exteri pariter, atque alieniſſimi homines ex Gallia, Germaniaque eum literis hortabantur, ne tantam audaciam inultam eſſe pateretur; at nullis ipſe rationibus ab ingenita manſuetudine abduci potuit, quin etiam Noriſium, & Mabillonium viros ſapientiæ fama clariſſimos in Macedonem ſuccenſos, paratoſque ejus impudentiam caſtigare, ſuis ipſe literis delinivit, & ſilere invitos juſſit; earum literarum hanc præ cæteris ſententiam habe, indecorum nimis ac turpe eſſe, ſi Cardinalis iis moribus, virtutibuſque careat, quæ ipſum contra motus animi invictum penitus, ab omnique iracundia vacuum omnino ſervent; ſibi ſatis eſſe, ſi res Liturgicas viri doctrina præſtantes comprobent, nec ſe in ſcribendo laudem habuiſſe propoſitam, ſed veritatem; alia id generis egregie ſcripſit, quæ tantum valuere, ut

No-

Norisius, quæ prius in Macedonem cogitaverat, tum solom vulgaverit, cum Bona jam e vivis decesserat, liceat in hoc argumento paululum immorari, & alia exempla ponere hoc loco, quæ antea de industria prætermisimus: nihil enim magis Bonam commendat, quam in rebus adversis moderatio quædam animi singularis, qua naturam omnino hominis vicit. Dissidium erat duas inter familias in Urbe nobilissimas, reque delata ad judices, iis erat decernendi facultas data, utri lis adjudicanda videretur: rogatos Bona, consilium dederat obsignatum, hoc deinde judices suis unanimes senteotiis complexi sunt: cognita re vir oobilis, qui de causa ceciderat, vehementer excanduit, & confestim accitis amicis, affinibusque, rabiem, doloremque aperuit secum, fidem etiam, atque etiam ipsorum obtestatus, tam insignem ut injuriam secum ulcisci vellent; illi partim assentatione, partim iracundia ducti, facta conspiratione dejicere Bonam statuunt ab eo benevolentiæ loco, quem apud Alexandrum VII. tenebat: libellum fictis criminationibus plenum spargunt in Vulgus, Doctissimumque Virum rerum omnium imperitum simul & ambitiosum vocitant, qui quod bonis artibus sperare nequeat, id falsis nominibus, & vultu, incessu, vestitu ad virtutem composito ondique consequi obnitatur; Bona totius machinationis haud ignarus, innocentia tectus hanc procellam sustinuit, & quamvis furentem audaciam comprimere facili negotio posset, adversarios tamen lenitate maluit, quam potentia, superare; & quidem ex voto res cessit: nam qui feroces paulo ante, ac paulo prorsus indomiti videbantur, tam inusitatæ virtutis exemplo perculsi, repente omni deposita audacia, ac simulrate, singularem Bonæ innocentiam summis ubique laudibus extulerunt. Bellum pariter eo tempore importunissimum cujusdam illi indixit invidia: plura enim in libellum congessit efficta dolo malo ad virtutis speciem, & ad imaginem veritatis, quæ per Urbem disseminata, imperitum Vulgus, deinde proceres in virum optimum concitarent; libelli auctor impudentissimus hunc hominem appellat novum, & obscurissimo loco natum, qui simulata pietate commendationem aucupatur; iis affatim artibus instructus omnibus, quibus (nisi statim aditus occludatur) ad honores, atque imperium facile obrepat. Hanc quoque injuriam animo forti, invictoque pertulit, licet ab ignobili, & plebejo homine profectam non ignoraret: quinimmo Pontificem Alexandrum, qui succensus, iratusque pœnas tantæ improbitatis deposcebat, effusissimis precibus mitigavit; itaque factum est, ut qui Bonæ conflare invidiam tendebat, laudem illi, & ampliorem Pontificis benevolentiam compararet. Plura nobis hoc loco ejusdem virtutis argumenta occurrunt, quæ mox infra exponemus: nunc ad res Liturgicas, unde paululum digressi sumus, revertamur; illas præ cæteris accuratissimo studio confecit, conquisitis ex omni vetustate monimentis, tamque diligenter, accurateque temporum ordinibus explicatis, ut Christianus Lupus ex Lovaniensi Academia, ex Parisiensi Doctores fere singuli Bonæ fint totimo ex animo gratulati, qui tantum Christianæ Reipublicæ bonum contulisset, non inficiamur adeo utile simul, ac difficile argumentum fuisse a pluribus antea graviter pertractatum. Facem veluti prætulerat Augustinus Patricius, deinde Cornelius Scultingius io sua Bibliotheca Ecclesiastica, Jacobus Pamelius in Liturgico Latino, ac tandem Florentius Vanderlacrius in antiquitatom Liturgicarum arcanis editis Duaci anno 1605., & Georgius Goarius in Euchologio Græcorum, aliique plures, qui sane omnes de rebus Liturgicis Posteritati aliquid reliqueruot. Sed Bona peritissimus antiquitatis rem universam percurrit, aliorum opiniones complectitur, & multis rationibus, & multiplici eruditione confirmat suam. Ejus exemplo Viri doctissimi excitati rem eandem magis illustraodam pro virili susceperunt. In primis Mabillonius, qui satis elaborara dissertatione suum ingenium, & nostri Cardinalis modestiam plurimum commendavit. Diversam quippe ab eo sententiam conceperat, & Latinis in more positum fuisse putabat, ut Sacrificium Eucharisticum peragentes pane tantum azymo uterentur. Quemadmodum a Christo Domino institutum fuisse legitur. Bonæ fretus humanitate literas ad ipsum dedit, qui Mabillonium hortatus est, ut nihil auctoritati tribueret, nihilque sibi magis gratum, ac jucundom esse, quam prodesse Reipublicæ, & veritatem nudam ac sinceram recognoscere. Deinde amicum suum adhuc suspensum, ac reluctantem novis literis obfirmavit, ot quæ diuturna meditatione deprehenderat, in lucem proferret, neque abnuit, ut talis elucubratio prodiret nomini inscripta suo. Nonnulla etiam misit ad illum documenta, quibus opinionem suam comprobaret, ac potissimum Ildephonsi Episcopi vetu-

vetustissimum opusculum, *De pane azymo*, ante annos octingentos conscriptum, quod in Vaticana Bibliotheca membranis exaratum servatur; ut Viri antiquissima auctoritate, novisque argumentis sententiam suam Mabillonius illustraret. Qua de re ipse consilio & jussu Cardinalis adductus Typis evulgavit praeclaram *De Pane Eucharistico azymo & fermentato* dissertationem, utque judicium Posteris suum innotesceret de Bonae Cardinalis sapientia, ac temperantia, illud initio praefationis fatetur, ejusdem hortatu, atque impulsu, se id negocium plenum laboris, ac periculi suscepisse, ab eoque plura hausisse, quibus arduam, gravissimamque Provinciam sustineret. Dissimulanda haec Bonae moderatio non fuit, cujus simile exemplum neque veteres, neque praesertim recentes historiae nobis suppeditant. Tanta enim ingeniorum aemulatio, tanta doctorum hominum suis intuendis sententiis contentio esse solet, ut, si quem adversarium nacti fuerint, illum maledictis palam atque injuriis proscindant, modestiam, pudoremque omnium officiorum immemores conculcent. Quin etiam, quod dolendum magis, aliquando contigit, ut a Religione, in qua nati sunt, atque enutriti, turpiter deficiant, ne opinionem, quam semel imbuerint, deponere cogantur. Aliis moribus, aliaque indole praedictus fuit Cardinalis, qui rursus ad Joannem Mabillonium in hanc sententiam scripsit „ Me tibi arctius adstringes, si errores meos benigne correxeris. Hoc nimirum semper optavi scire, & cognoscere veritatem; nec unquam erubescam, si quid forte ab ea alienum scribenti exciderit, expurgare, & emendare.

Id Bona non verbis tantum, sed reipsa significavit. Nam cum Eruditissimus Vir Claudius Chantelonius vita decessisset, qui Sancti Bernardi monimenta omnia suis exemplaribus simillima restituere cogitarat, in ejus locum, & laborem Mabillonius sufficitur. Is ad Cardinalem Bonam confugit, quem ad opem praestandam paratissimum invenit, ejusque diligenti opera egregium opus summo judicio, atque industria perfectum est, ipsique tamquam Parenti, ac Magistro nuncupatum. Huic temperantiae reliquas virtutes addidit, amplissimae dignitati maxime consentaneas, quibus factum est, ut universi Civium Ordines ad illum spectarent, publicisque sermonibus ejus laudes prosequerentur. Id cognitum maxime fuit, cum V. Idus Decembris, anno 1669. Clemens IX. moerore potius, quam morbo e vivis cessit, postquam nunciatum fuit Cretam ab immanissimis Turcis captam, direptamque, & in ea obsidione florem totius Christiani exercitus peremptum. Tunc enim per Urbem singulorum mores invidiosis carminibus notantur, praesertim qui male affecto, corruptoque animo sunt, infensissime de Sacerdotum dominatione, & moribus obloquuntur; Etenim cum universa, quae cupiunt, assequi non possunt, dolorem dissimulant, donec sublato Pontifice viros in Civitate Principes conviciis, ac maledictis iniquissime traducant, & fortunae suae calamitatem hac ultione consolentur. Igitur tum patuit opinio, quae de virtute Bonae Cardinalis omnium animis insederat. Nemo enim vel leviter ejus dignitatem violavit, contra vero plures honoris caussa versus in ipsum conscripti sunt, quorum aliquot mihi liceat referre, ut Urbis totius sententiam, non carminis vetustatem, aut elegantiam posteritas admiretur.

Grammaticae Leges plerumque Ecclesia spernit;
Forte erit ut liceat dicere Papa Bona
Vana solecismi ne te perturbet imago:
Esset Papa bonus, si Bona Papa foret.

Interim justis novendialibus defuncto Pontifici persolutis, Cardinales ad Vaticanas aedes proficiscuntur, ut novum Pontificem constituant. Illuc Bona tanto circumfusi Populi studio ingressus est, ut constanti Civium salutantium omine Pontifex futurus crederetur. Inita fuerunt comitia incredibili contentione, & in varias partes Cardinales initio scissi, cum multi ob Regum clientelas & amicitias, alii ob recentem famam rerum bene gestarum, plurimi tum aetate, tum prudentia, ac diuturna experientia commendati ad Pontificatum ante alios expeterentur. In hac partium dissensione ad quinque fere menses jam comitia trahebantur, cum magna invidia Christiani Orbis, & summo dolote consternatae Urbis, quae non mediocrem sacris ex ea dilatione perniciem, & publicis rebus calamitatem timebat. Interim Bona, qui haec facili conjectura noverat, moerorem concipere, studioque vehementi communis felicitatis adductus eos potissimum Patres, quorum nutu,

nutu, & auctoritate suffragia regerentur; illosque obtestari maxime, ut contentioni finem facerent, & aliquem unanimi consensione declararent, qui Religioni, ac laboranti Reipublicæ provideret, eo præsertim tempore, cum Turcæ ob Cretam expugnatam victoria insolentes ac superbi novum bellum in Christianos pararent. Quamobrem Cardinales repente mutata voluntate statuunt in Bonam suffragia sua conscribere, eumque Pontificem renunciare. Ipsum exactæ ætatis virum prædicant, moderato facilique ingenio, omnique doctrinæ, ac sanctimoniæ laude cumulatum. Id solum metuebant, ne tanti honoris amplitudinem, non quidem exigui, angustique animi, sed verecundiæ caussa prorsus abnueret, quod ita contigit. Nam velut accepto gravissimi mali numero, sui peramantes, ac studiosos enixe rogat, ut deponant eam mentem, summoque ardore animi Pontificatum sibi oblatum deprecatur. Sed cum nihil proficeret, & in ejus nomen suffragium laturi fere omnes viderentur, longam exaravit epistolam, quæ deinde divulgata, continentiam ipsius, ac sanctitatem posteris commendavit. Multas in eam caussas congerit, quibus Senatum ab eo consilio depellat, illud potissimum adfirmat, ut propositi sui tenacem se futurum testetur; nempe se omnino statuisse dignitatem palam recusare, si Cardinales in ea voluntate perseverent, & facilius evenire posse, ut Feretro componatur, quam ut celsissimam Petri sedem contingat. Verum ne inani philosophiæ ostentatione dictum id suspicentur, parumque fidei habeant illi præcipue, qui de aliena voluntate quid judicandum sit, ex sua conjecturam faciunt, rem certissimis rationibus ostendemus. Sciebat Bona eorum, qui ex Hispania venerant, Cardinalium favore se se Pontificem nominari. Quare si Gallis se addictum arbitrarentur, certissime futurum, ut concepta suspicione, atque invidia, mentem, oculosque alio converterent. Hinc familiarius agere cum Gallis, eorum conventus adire frequentius, ipsorum Regem, ac dominationem publicis laudibus efferre. Quoties dies aderat, cum litteræ mittuntur in Galliam, clausum se tenere, ejusque rei caussam Cardinali exposcenti semper se respondit eo die scribendis Epistolis occupatum, ob conjunctionem, & amicitiam, quæ sibi cum Galliarum Primatibus intercederet. Quapropter quid gerendum sit, Hispani serio consultant Bonam Cardinalem, si Pontifex evadet, fore rebus Hispanorum infensum putant, quod sibi Regique suo eo præcipue tempore importunissimum accidisset. Hac ratione Hispanis a proposito deterritis aliorum quoque Cardinalium voluntates a suis ipse rebus alienavit. Palam siquidem dicebat, si suprema sibi traderetur, primum omnium id se omnino laturum, ut nemo plures Episcopatus retineret, utque Sacerdotia, ac redditus amplissimi in meliorem usum, qui Cardinales probe deceat, verterentur. Tandem ne quid intentatum relinqueret, quo oblatum sibi honoris gradum abjudicaret, levem, ineptumque animum proximæ nempe dignitatis lætitia intemperantius elatum præ se ferebat. Nam si quis forte occurreret ex his Cardinalibus, qui ipsum insigni studio, ac benevolentia Pontificem deposcebant, statim composito graviter incessu, evectoque vultu se candidatum merito haberi gratulabatur, qui vestes albas jam indueret, addebatque ad gerendam supremi Sacerdotis personam alia sibi insignia non deesse, quam ut rubeus pileolus cum albo mutaretur. Hos quidem jocos suis admiscebat sermonibus, sed qui Bonam ab adolescentia ad eam usque diem tum gravissimum, tum a magnificis quibusque titulis incredibiliter alienum cognoverant, id totum ejus modestiæ tribuebant. Idcirco Hispanos solum in suspicionem traxit, ne Gallorum rebus nimium faveret, & perpaucis aliis, qui ex suis Sacerdotiis copiosos redditus accipiebant, timorem incussit, ne veterem morum disciplinam, ac severitatem renovaret. Hinc pristinam cogitationem, ac desiderium comitia penitus exuerunt: ex quo tanta lætitia in ipsius animum emanavit, quantam post atrocissimum ac periculosum certamen superatis hostibus victor solet accipere. Singulares Deo gratias exsolvit, qui pacatam, tranquillamque senectutem tam magno beneficio sibi concederet, & cum antea suspensum, ac perturbatum animum præsetulisset, ex eo die nunquam, ut semper alius non exhibuit magnam & suavitatem oris, & sermonis hilaritatem. Interim Clemens X. antea Æmilius Altierius ætate, moribus, consilio, virtute maximopere commendatus tertio Kal. Majas anno salutis humanæ 1670. Pontifex renunciatur. Quem dum Cardinales in ædem Sancti Petri comitarentur, mirum fuit quanta admiratione quisque Bonam intueri, quantoque studio ipsum salutare contenderet, qui tam excelsam Deoque proximam in Terris dignitatem communibus pene suffragiis sibi propositam recusaverat

verat, nulla specie gloriæ, nulla gentis suæ, aut posteritatis memoria, nulla demum imperii cupiditate permotus, quæ in Mortalium animis antiquissima, & ardentissima est, cum invenias fere neminem, qui non aliis præesse velit. Quamobrem ejus hæc tanta virtus in omnium ore, atque oculis ferebatur. Novus autem Pontifex singulari benevolentiæ significatione Bonam amplectitur, & ipsius commodis, augendoque honori se nunquam defuturum pollicetur. Hic vero, si quis usquam alius ab omni studio ambitionis, ac divitiarum vacuus, illud unum ab amantissimo Pontifice postulavit, ut suæ dignitatis titulus, quo prius insignitum fuerat Templum Sancti Salvatoris, quod ad laurum nuncupatur, sacris ædibus Sancto Bernardo prope Thermas dicatis, addiceretur, ut illas sibi liceret hoc nomine honestare. Nactus siquidem illic fuerat juventuti præsidium suæ, tum secessum literis excolendis maxime commendatum, & vere plenum quietis, atque tranquillitatis, ex quo tandem invitus prodierat in lucem, cum a Clemente IX. in numerum Cardinalium adscriptus fuit. In eum Portum post diuturnas jactationes iterum se colligere, & vitæ cursum, qui supererat, illic peragere deliberarat. Voti compos factus testatum reliquit studium suum, suamque liberalitatem in eo Monasterio exornando. Nam quamvis opibus non abundaret, tamen in omni vitæ ratione temperans adeo, frugique fuit, ut non mediocrem librorum copiam cœmerit, quos eidem Monasterio testamento legavit cum supellectile universa, quæ sacris decentius celebrandis aptissima videbatur, & licet exigua, quia tamen munda, pretiosa erat satis. Casta quippe munditia nihil ducebat pretiosius: illic pariter sepulchrum sibi constituit, quamvis firma valetudine uteretur, nec illos ætatis fines adhuc attingeret, a quibus non longe abesse moriendi necessitas pro certo habetur. Vitam hanc fragilem, & caducam assiduo meditabatur, habebatque præ oculis, quæ exiguum hoc spatium temporis sequitur æternitatem. In hac cogitatione defixus mentem, oculosque ab humanis rebus avocare, eaque solum dies, noctesque perscrutari, & expetere, quæ nulla temporis injuria labefactari, nulla fortunæ vicissitudine auferri possunt. Cujus rei testimonium desumitur ex libello, quem tum absolvit inscriptum: *De principiis vitæ Christianæ*. Ubi ex sacris litteris, veterumque scriptis profert omnia, quæ Christiani hominis institutum, ac disciplinam complectuntur, facilemque sternit viam, ut virtutem, atque Religionem absque ulla labe tueamur. Non multo post aliud opusculum magna diligentia, summoque studio perfecit, *De discretione spirituum*, unde quanta utilitas fluxerit, vel ex eo constat, quod amplissimus & gravissimus ille Magistratus ad curandam, & integre servandam Religionem constitutus, hujus libelli doctrina, atque auctoritate ducatur plurimum, cum de ancipiti aliqua quæstione judicium ferendum est. Ibi enim veram a falsa Religionem certissimis notis secernit latebras, & recessus animorum perscrutatur, & sensus intimos deprehendit, suspectos motus, vel obscuros detegit, fraudes Dæmonum, ac dolos aperit, ne quis, cum aliquid novum, aut inusitatum viderit, statim in errorem feratur; ea tandem, quæ instinctu Divino, afflatuque funduntur, graviter, ac sapienter persequitur, ita ut magna cum experientia parem doctrinam, atque eruditionem in eo conjunctam admiremur. Porro idem liber a clarissimis viris in linguam Gallicam sæpius mira diligentia translatus est.

Dum Cardinalis Bona is curis pro sua, & communi utilitate immoratur, tot, tantisque jam fractus laboribus, valetudinem labefactari sensit. Quare opusculum *De præparatione ad mortem* confecit, quod, veluti suos inter libros ultimum tanto amore complexus est, ut paucos post menses, cum lethali morbo affligeretur, secum perpetuo retinuerit sub eodem pulvinari, quo languidum caput morti jam proximus sustentabat. Ipsum quidem diutissime tenebris contectum, & votis expetitum fuit, donec Cardinalis Franciscus Barberinus Ostiensis Episcopus Prænestæ suis Typis evulgavit anno 1731., ut opere hoc præstantissimo Veliterni Sacerdotes uterentur, riteque obirent pia munia, quæ persolvi morientibus consueverunt.

Tandem gravi ac diuturno morbo Cardinalis Bona corripitur, & molestis febribus ad quintum, & trigesimum diem exurit mira patientia, ut reliquiæ humanæ fragilitatis expiari, & anima purior ad auctorem suum reverti posset. Cum quidam ejus familiaris testatus esset a Deo se multis precibus petiisse, ut vitæ terminos longius ipsi protraheret pro Reipublicæ utilitate, sibique potius hunc mortalem cursum abrumperet. Subiratus Bona respondit vitam hominum, sive

interitum Dei judicio relinquendum, cujus potestate, atque imperio res humanæ sapientissime reguntur. Mortis enim adspectus, qui plures magnopere commovere solet, & debet, ne levi quidem metu virum optimum afficiebat, qui ob longam virtutis doctrinæque exercitationem nihil aliud moriendi necessitatem esse ducebat, quam beneficium naturæ, quo tandem animus liber ab omni servitute, terrenaque caligine lucem adspiciat, & Auctori suo, in quo uno tota sita est felicitas, conjungatur. Illos mortis adventu terreri necesse est, qui vitæ spatium ad excolendas virtutes hominibus concessum in socordiam, ac libidinem projecerunt. Secus omnino illos, qui casti, & integri usque ad extremum spiritum perstiterunt, qualem se hic noster præbuit, qui tranquillus, ac placidus agebat animam, & ut Divina facilius meditaretur, vix morti proximus fuit, cum omnibus se impedimentis solvere cogitavit. Hinc vasa argentea, quæ a viro clarissimo Slusio Dono acceperat, quum Sacra Purpura auctus fuit, eidem restitui jussit. Equos pariter ac rhedas Cardinali Rospilioso, a quo præclara hæc munera venerant, cum grati animi significatione moriens remisit. Deinde mentem ad domesticos convertit suos, benevolæ in eos voluntatis aliquod testimonium relicturus. Singulis numerari stipendium sex mensium testamento præcipit, atque ut in ædibus a se conductis per id temporis habeant hospitium certum, suisque sumptibus necessaria ad vitam alendam ipsis suppeditentur. Sperabant quidam familiares, qui generis nobilitate reliquis præstabant, fore ut pensiones aliquas ab eo consequerentur, facta præserrim a Pontifice potestate, ut id perficeret, si vellet. Verum neque ullis auctoritatibus, neque ullis exemplis adduci potuit, ut hoc consilium sequeretur. Quapropter enixe rogabant, ut saltem rationem haberet eorum, quibuscum sanguinis cognatio intercedebat. Ipsos familiæ antiquitate conspicuos, sed ob varias fortunæ vicissitudines a pristina dignitate, atque splendore jampridem dejectos ejus amore ac liberalitate in pristinum statum ab inopia, ac solitudine restitui oportere. Verum nihil a proposito virum fortem movere potuit, qui responsum illud sapienter dedit memoria dignissimum sempiterna: *Ecclesiæ bona non esse ditandis, augendisque affinibus, sed alendis pauperibus, destinata*. Cum vires magis in dies minuerentur, misit familiarem suum, qui a summo Pontifice salutarem expiationem, atque indulgentiam ritu catholico precaretur. Magnum in tali jactura dolorem testatus est Clemens X. & Cardinalis virtutem, ac merita in Rempublicam universam verbis amplissimis commendavit. Mortem obiit V. Kal. Novembris anno 1674. eoque die tota fere Civitas mœrore perculsa in ipsius ædes magna frequentia concurrit, ut sancti viri cadaver intuererur; oscula figeret, nullaque eorum prætermitteret, quæ in virorum interitu maximorum usitata Religionis officia sunt. Et quidem voces circumfusæ multitudinis personabant in eo cum Purpuræ Majestate quamdam sermonis, morumque suavitatem conjunctam fuisse, ob quam faciles aditus præberet omnibus, qui ad ipsum confugerent, & nemini unquam sive consilium, sive operam denegaret. Pietate vero tam singulari ornatum, ut in ipso præclara vetustatis exempla renovata dicerent. Plures querebantur, Romanam Sedem insigni ornamento, firmissimoque præsidio destitui, Bona Cardinali extincto, qui ingenii, rerumque gestarum gloria incredibilium apud nationes exteras laudem sibi comparasset. Erat illa tandem una vox, Ecclesiæ statum florentissimum perpetuo futurum, si plurima semper horum Cardinalium copia haberetur, qui eo tantum studio ducerentur, ut quidquid industria, aut virtute possent, in publicam conferrent felicitatem. His quidem laudibus non tam accita undique multitudo, quam nobilissimæ Civitatis flos universus eum prosequebatur, qui testamentariis tabulis illud præsertim caverat, ne ulla sibi post mortem ab amicis laudatio fieret, ac ne auctoris quidem nomen libris inscriberetur suis, si quando fortasse in publicam lucem prodiissent. Postridie in Templo Sancti Bernardi prope Thermas elatus fuit, ubi frequens Cardinalium Cœtus justa Collegæ suo persolvit; quibus rite peractis, eodem tumulo conditus est, quem sibi posuerat adhuc vivens; hæc pauca de Cardinalis Bonæ vita rebusque gestis scribenda suscepi. Primum quidem studiosus ut viderer Patriæ ipse meæ, cujus hic summus vir ornamentum extitit immortale, deinde vero ut Abbatis Corderii voluntatibus obsecundarem, qui tum omnibus, tum mihi inprimis desiderium sui reliquit sempiternum; gaudeo interea, occasionem mihi opportunissimam oblatam esse falsæ cujusdam refellendæ opinionis, quæ multorum animos jam persuasit, nempe rerum imperitos, ac prorsus ineptos, si forte

ad

ad Rempublicam accesserint, eos esse homines, qui in solitudine, sacrisque septis educati longe a civilis turbæ ac forensis multitudinis frequentia vixerunt. Putant nimirum ipsos legum, morum, hominumque ignaros, & a communi vitæ hujus consuetudine prorsus alienos, publicam deinde personam, neque animo perspicere satis posse, neque ingenio, & viribus satis pro dignitate tueri. Nam velut qui inermes prælium ingrediuntur, primo impetu fracti, vel turpiter fugiunt, aut hostium potestati ultro se se dedunt, sic illi, cum grave aliquod negocium propositum fuerit, rerum novitate perculsi vel in aliorum sententias pedibus eant, vel iterum e conspectu civium ad pristinos recessus se proripiant, necesse est. Verum id prorsus a veritate alienum Bonæ Cardinalis exemplo constat, qui licet a pueritia ad sexagesimum annum in Familia Cistercienſium delituerit, sua tamen sapientia ac virtute Alexandro VII. Clementi IX., & Clementi X. in gravissimis tebus mirifice adfuit, & Reipublicæ noo mediocrem attulit gloriam, atque utilitatem. Sed alios omni tempore S. R. E. Cardinales, plurimos etiam Pontifices rerum scriptores nobis tradiderunt, qui ab adolescentia Religionis quodam desiderio, arctiori se Monachorum disciplinæ devoverant, deinde commendatione virtutis in Curiæ lucem producti quamvis ad otium facti tantummodo viderentur; tamen ea prudentiæ documenta, consiliique dederunt, quæ cæteri Aulis Principum, & assiduis publicarum rerum negociis assueti vix fortasse unquam exhibuerunt, ut reliquos omittam, qui Regna amplissima difficillimis temporibus graviter, utiliterque administrarunt. Ex ipsis etiam Carthusianis, quorum institutum ab omni mortalium commercio longe abhorret. Nicolaus Albergatus Bononiensis eductus, & Cardinalis renunciatus a Martino V. Pontifice optimo maximo, plurimis legationibus in Galliam susceptis, intestina bella, quæ inter Carolum Regem, & Joannem Ducem Burgundiæ ad internecionem diu exarserant, sua auctoritate compressit. Deinde gliscente inter novos Reges Carolum, & Henricum Franciæ, Angliæque certamine, tantum gravitate, consilio, & oratione valuit, ut dissidentes Principes magna omnium populorum gratulatione, maximaque utriusque partis voluptate ad otium, amicitiamque deduxerit. Certum quippe est rerum agendarum scientiam non ex vulgi consuetudine, aut disciplina, verum, ut Plato ajt, ex omnium virtutum Parente ac Magistra Philosophia comparari, cujus lumine reliquas artes consequimur, quibus Respublica feliciter administratur.



ELOGIUM
EJUSDEM
CARDINALIS BONA
EX LIBRO, CUJUS TITULUS EST
CISTERCII REFLORESCENTIS CHRONOLOGICA HISTORIA
AUCTORE
D. CAROLO JOSEPHO MOROTIO,
TUNC VISITATORE PROVINCIALI,
POSTEA EPISCOPO SALUTIARUM,

Excerptum pag. 52. Part. II.

1651. JOannes a S. Catharina, Bona, a Monte Regali, cujus imaginem Germanis efformaturus lineis, nesciam, an doctrinæ, an pietatis coloribus adumbraverim. In ipso ætatis diluculo uberiores cum contingeret effluere lacrymas, fistebant illæ cursum, simul ac liberculum nutrix ostenderet, infantis Palladi profecto enati, & literarum studiis ad sui ævi stuporem emicaturi index plane luculentus. Verum si ingenio pollebat optimo, indoles ei contigit longe florentissima. Hæc ipsa in causa fuit, ut adolescentiam inter Aras, & lycea transigenti, lycea Aris posthabendi quantocius subiret animus. Itaque a mente humanioribus literis imbuenda, ad animum religiose excolendum animum convertit totum, Cisterciensem disciplinam complexus puer quindennis. Votis nuncupatis postridie Cal. Augusti 1627. in Abbatia Pinerolii, mente inclarescere ampliori mox visus. Ingenium fœcundabat, illustrabatque religio. Humanas, ac divinas facultates brevi haustas, diu feliciter explanavit, sui ævi æque docto concedens nemini. In hujusce modi studiis multus, totus erat in aliis, quibus & se Deo docibiliorem præberet, & suis temporibus populus Deo serviens & numero, & merito augeretur. Ad hunc scopum collimans, evolvebat assidue tractatuum Asceticorum Auctores, Sanctorum Patrum vigilias, vererumque Philosophorum, qui graviter dictis christianis moribus propius accedunt, commentationes, & memoria præstans vivacissima, succo omnium delibato, monumenta edidit ad promovendum Dei obsequium præsentissima. Nec cultui virtutum minus impense vacabat, quam literarum monumentis. Musarum nitidiores stylo, & honestiores plectro eas vel a studiorum crepundiis solummodo coluit. Puritatis amor, ut pectori alte insidebat, ira vultum ingenuo pudore egregie honestabat. Ab ea illibate servanda nullo cupidinis lenocinio frangi unquam potuit, cujus faces gemino congressu fortiter extinxit, impudicarum mulierum sputo altera, altera vero ingenioso dolo gloriose devicta. Profundioris, subtilliorisque ingenii vestigia cum multa edere posset, piis concinnando opusculis libentius incubuit, quod se erudiret, dum alios edocere parabat. Elucubrare itidem ajebat, quo sancte tempus teneret, non quo nominis perennitatem scriptionis præconio compararet. Incessu, verbis, habitu summam præseferebat modestiam. A gradibus ordinis feriare etsi maluisset, meritorum tamen apice Generalatus fastigium post inferiores dignitates attigit. Sed hactenus visus latuisse Bona, qui in tanto licet famæ splendore, in tanta claritatis luce collocatus, tunc intonuit, cum faventibus Alexandro VII., & Clemente IX. præcipuis ingeniorum patronis, audiri cœpit in Sacris Cœtibus Indicis, Rituum, S. Officii, necnon & indulgentiarum, ac reliquiarum. Plausus omnium illico excivit mentis perspicacia, consiliorum pondere, prudentiæ maturitate, sacrorum peritia Canonum, Historiarum notitia, maxime vero Ecclesiasticarum, omnigenæ denique doctrinæ, & eruditionis effluentia. Illum Purpurati Patres, illum prima scientiarum nomina frequentissime adibant, aut consilio iu rebus magni momenti usuri, aut aliquid exquisitioris doctrinæ nunquam non audituri. Curis obruto dies elabebatur tota. Commentationibus jamdudum elaboratis elimatiorem addere manum cum tempus minime sineret, nocturnæ quietis somnum paucis definiret horis oportebat. Ipse summus rerum Sacrarum Antistes Alexander VII. gloriabatur tantum virum alias delitescentem in publicam Orbis lucem, se Auctore, productum. Nihil curæ sollicitioris agebat absque utili, & opportuna opera Ab-

batis

batis Bona. Flavio Chisio suo ex Fratre Nepoti ad Regem Galliarum Ludovicum XIV. cum potestate legati a latere proficiscenti Theologum adjunxerat, nisi ætas ad senium nimis deflexa iter jam adornantem præpediisset. Animum vero Pontificis Sapientissimi sermonis facundia, ac eruditione in tantum recreabat, ut colloquiis pomeridianis continuis adesset, & autumnali tempore inter domesticos adlegeretur, si illum Castrum Gandulphi aliquando petere contingeret. Ut autem elucubrationibus, muneribus, Urbis, & Orbis plausu celebris haberetur, clarior Aulæ Romanæ oculis emicabat, modestia, Urbanitate, singularique animi modestia sui. Humilitate dumtaxat refragante rerum summam, quandiu in congregatione constitit, non administravit. Enimvero vocalium calculis primo, & mox, Alexandro jubente, secundo, & tertio Abbas Generalis renuntiatus, Magistratus fasces nunquam deposuisset, nisi in Ordinem se redigere, studiorum deprecatus incommoda, summis, imisque precibus impetrasset. Ab eodem Alexandro Magnæ Camaldulensium Eremi, quo pacem Sacræ inter Familiæ alumnos restauraret, Pontificia auctoritate designatus Visitator, Provinciam declinavit, ac iter. Episcopatum Astensem a Carolo Emmanuele Secundo Sabaudiæ Duce sibi oblatum constantissime rejecit. Qui vero omnia ab Alexandro acceperat, Romanam tamen purpuram debuit Clementi IX., sed quibus ad eam contentionibus sibi gradum fecerit, ex vitæ concinnatore petendum, ubi habetur: *Alterum ante annum Cardinalitiam huic, ad quam deinde eum assumpsit, Purpuram jam Pontifex excogitaverat, quod cum sibi intimo patefecisset Cardinalium alicui, ratus is rem sibi fore perutilem, si Joanni innotesceret, quam laudatum a se hoc Pontificis propositum, quanta deprompta item in ejus laudem encomia, quæ, ut propositum promoveret, recitasset ejus merita, quas, ut idem sollicitaret, rejecisset rationes, eo ad se accersito, per ordinem eidem ex animo congaudens horum singula indicavit. Ad hæc dixisses, Eminentissime, nihil Joanni anteacta in vita accidisse funestius; pallet vultus, tremunt artus, ruiturum ac si Cœlum quis illi minatus esset. Reluctari Pontificis proposita, & Cardinalis commendationi paraverat, sed huic ille verba subitanea intercipiens dimissione, eumdem nedum loquentem, expectari illo momento ab Clemente fassus valere jussit. Prosternatus Joannes animo Monasterium redit, cubiculumque deinde ingressus reassumpto paulatim spiritu, amni ad consilium cogitatione vocata, excusationes, quas Eminentissimus, cujus nomen consulte tacetur, afferri vetaverat, fidæ paginæ eidem mittendæ committit. Pinxit in ea se totum Joannes penicillo usus nullo, quamquam sibi ingenuus animus præstarent, & summa modestia. Consumptos annos in studiis fatetur, sed longe se minus, quam percrebuisset fama, sapientem utpote hoc titulo mediocribus minorem. Præter doctrinam, alia in purpurando perquiri multa, prudentiam Eminentissimo dignam titulo, solertiam aulæ astubus parem, quorum sibi, vira quippe ab ineunte ætate intra Claustrorum solitudines sepulto, nec radices vigescerent, nec rami. Expectandum sibi ab Claustris si abstraheretur altiorem ad statum promovendus, id prorsus, quod iis usu venit, qui quorum linguam penitus ignorant, terras incolunt: tam enim idiomatis aulæ, quam ratianis rudi omnino, summo dedecore improspera sic crederent omnia, ut hanc sibi procuranti illud improperari merito posset, elevans allisisti me. Addidit nihil magni ab eo summa in dignitate sperandum, qui tertium post quadragesimum jam annum Monachus, ut sibi cantigerat, perfectam Monachi nondum egisset persanam; quamobrem & præesse suis nunquam nisi coactus assentiri voluisset, & oblatum sibi Astæ Pontificium tam respuisset auribus, quam fugerat anima, quocumque a Præsulatu tam genio abhorrens, quam cuique ineptus. Hoc idem prosequens argumentum sexcentas similes defugiendo honori aggerans rationes, & ingerens, ingenuam fastus genitoris nobilitatem inter Patriæ Cives cammendabilem, populare genitricis, unde sibi exartam agnosceret infimæ sartis propinquitatem, accusat genus. Subjuncta hinc, & objecta nudo homini immensorum sumptuum impotentia, Eminentissimum per Sanctos, per Sacra, avertere ab iis animum, & sua se in vocatiane relinqui obtestatur. Demum pro litterarum coronide, ut aliquod adjiceret suo effectu non frustrandum; obsecro, inquit, Spiritum Sanctum, ut aut aliam tibi suggerat de me extollenda mentem, aut mihi, ne extollar, vitæ annos decurtet; mori enim mihi dulcius erit, quam ad dignitatem assumi, cujus usibus impares mihi præsentio vires.* Hactenus Bona pro sua in augustam Purpuratorum Patrum classem cooptatione avertenda, ad quam tamen, obluctante licet animo, se se assumptum conspexit tertio Cal. Decembris anni 1669. Crevit purpurea eum trabea profundior animi demissio, ac velocior honorum fuga. In Comitiis Clementis X. cum nonnullos Sacri Senatus Patres de Supremis Ecclesiæ fascibus sibi deferendis agere conjecisset, ad eum, quem præ cæteris erga se studio-

diosiorem noscebat, suam in hæc verba mentem aperuit: *Qua uteris in tractando negotio mihi abs te communicato, incomparabilem prudentiam laudo, simulque admiror, & hanc velim in legendo Pontifice, & eligendo ut adhiberes. An mihi Hispanorum fuerit adempta exclusio, penitus ignoro; hoc unum scio perennari scilicet alteram, & Dei nempe, & meæ conscientiæ. Voluntatis Dei non est, minatur alteram quinimo damnationem, ni oneri obluctor, cui me imparem evidenter dignosco. Hinc antiqua firmior semper in mea deliberatione, facilius tibi fore polliceor, ut hinc supra feretrum efferar, Pontificiam quam super Cathedram. Hæc omnia porro ne longiorum comitiorum tanto cum Orbis periculo, & scandalo causa, quamvis remotissima forent, horum ab initio, nec silui, nec dissimulavi. Et nunc te denuo obtestor, ne quicquam de me loquaris, quippe nihil profuturus. Ut autem paucis me expediam, nolim eousque tentari, ut jam recusandi, quem sic ambiunt multi, Pontificatum publica ostentatione uti mihi opus esset. Obtinenti parce: Dei honor, salus mea, dignitas tua sic exigunt.* Nec ab hujuscemodi præclaris modestiæ, humilitatisque vestigiis discrepabat reliqua vitæ ratio, quam post rosei susceptionem Galeri pristinæ consimilem, quantum licuit, retinuit. Parcissimus in somno, unoquoque mane Cœlestem Deo Hostiam horis antelucanis litabat, Divinique Officii penso persoluto, Sacris Cardinalium consessibus aderat ipse inter primos. In domestica supellectili nihil luxui, in mensæ apparatu nihil delitiis serviebat. Schedulas prædivites munificis a Principibus exhibitas, largiorum contemptor opum, non admisit. Sacerdotia minus opulenta quam ad sustinendum purpuræ splendorem satis forent, paucis contento abunde suppeditabant, quod pauperum indigentiis impertiretur, & ad augendum Cardinalitii sui tituli decorem impenderet. Ornabant aulam integerrimi aulicorum mores, & omnium quidem, maxime vero Laurentii Comitis Cassonii ab Innocentio XI. inter Cubicularios, ut vocant, honoris postea adlecti, areas notas scribentibus Præfecti, aliisque gravissimis Sedis Apostolicæ negotiis adhibiti.

Monasterium Sancti Bernardi ad Thermas, suum, dum Cœnobitam Romæ ageret, domicilium, splendidissima liberalitate complexus, titulum Cardinalitium a S. Salvatore in Lauro illuc transferri curavit, seque omnium primum eodem donari a Clemente X. obtinuit. Congruo assignato censu sacrum annis singulis solemniter celebrari voluit ad altare melliflui Parentis in die octava Festi ejusdem diei. Pavimentum Ecclesiæ lateribus operosa arte sectis, & expolitis stravit. Ab Ara Principe veterem Eucharistiæ custodiam amovit, aliamque erexit ex ligno deaurato, sed quæ grarior assurgit æqua ad reliquum templi proportione, forma quoque sphærica consimilis, duodecim striatis columnis, totidemque Apostolorum Statuis, ordine Dorico distributis compacta, & mysteriis sculpturæ dimidiatæ extantiæ Christi passionem, quæque illi præcessit, vivificam cœnam exprimentibus, prorsus spectabilis. Chorum circumvestivit sellis ex nuce crispantibus venis undulata, nativisque maculis vermiculata. Quod denique asceterium vivens tot intimæ dilectionis devinxerat signis, e regione mortalitatis demigrans magis obstrinxit, ultimis tabulis in ejus favorem conscriptis, quibus exquisitam Bibliothecam suam Monasterio donavit, quidquid vero aut supellectilis domi, vel pecuniæ apud Mensam Sancti Spiritus supererat, contulit in dotem Sacristiæ, ornamentis ad cultum Divinum spectantibus futuram deinde instructiorem.

Eo tandem amore Monachos prosecutus est, ut novissimam etiam resurrectionis diem cum eisdem expectare voluerit, tumulo, dum adhuc viveret, sibi erecto in communi Ossuario sub Odeo, ubi jacet, omni circumscripta Cœnotaphii pompa, præter lapidem ex marmore pario nihil a solo extantem cum inscriptione.

D. O. M.
JOANNES BONA
PEDEMONTANUS
CONGREG. SANCTI BERNARDI MONACHUS
ET HUJUS ECCLESIÆ
TRANSLATO HUC TITULO
S. SALVATORIS IN LAURO
PRIMUS PRESBYTER CARDINALIS
VIVENS SIBI POSUIT

Cœterum, proh dolor! tantus hic Cardinalis Longævus minime fuit: nam quinto inaugurationis anno febri ad quatuor supra triginta dies vexatus, hominem exuit octava circiter noctis hora anno 1674. quinto Cal. Novembris, ætatis suæ quinto & sexagesimo.

INDEX

EPISTOLARUM SELECTARUM

EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI D.D.

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

BONA

Aliorumque Eruditorum ad eumdem, juxta suum Ordinem.

XXI.

LXXXIV.

CLXX.

CLXXXIX.

CCLVII.

CCCXLIX.

EPISTOLÆ SELECTÆ,

Vel ab ipso Eminentissimo Cardinali BONA, vel ad ipsum Italico Idiomate exaratæ.

ANALE-

ANALECTA
LITURGICO-SACRA.

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS.

EX commiſſione Reverendiſſimi P. D. Pauli Antonii Ruffini, noſtræ Sabaudo-Pedemontanæ Provinciæ Abbatis Viſitatoris Provincialis, Librum perlegimus, cui titulus eſt: Joannis Bona S. R. E. Presbyteri Cardinalis tituli S. Bernardi ad Thermas Epiſtolæ ſelectæ &c. Quo quidem in opere multa ſcitu digna lector ſtudioſus inveniet, Authoris animum, ingenitum ipſius mentis candorem, literis veluti expreſſum, inſpiciet; ac ob multiplicem eruditionem, qua præfatæ abundant Epiſtolæ, ſolum, ut putamus, damnabit, prius videlicet typis commiſſum illud opus non fuiſſe, quod ſic legentem delectare poterat, & eidem prodeſſe. Datum ex noſtro Beatiſſimæ Virginis Conſolatricis Taurini Cœnobio die 23. Novembris 1751.

D. CONSTANTIUS SONNA
Sacræ Scripturæ Explanator.

D. BONIFACIUS GASTALDUS
Sacræ Theologiæ Lector.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS,

Congregationis Monachorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis
in Sabaudo-Pedemontana Provincia Abbas
Viſitator Provincialis

OPus pluribus abhinc annis jam nobis notum, cujus Titulus eſt; *Joannis Bona S. R. E. Cardinalis &c. Epiſtolæ Selectæ, aliorumque Virorum Illuſtrium, atque Eruditorum ad dictum Eminentiſſimum tranſmiſſæ &c. labore Admodum R. P. D. Roberti Sala præfatæ Congregationis noſtræ Abbatis Titularis Collectæ, nonnulliſque notis ab eodem illuſtratæ &c.* De Mandato noſtro duobus a S. Theologiæ Lectoribus noſtris recognitum, cum typis excudendum fore judicaverint; Nos, non impari judicio dignum fore approbantes, ut tandem in lucem tradatur, præſentibus noſtris libenter concedimus, ſervatis tamen de jure ſervandis.

In quorum fidem has manu noſtra litteras ſubſcriptas Officii noſtri Sigillo muniri fecimus. Taurinorum Auguſtæ e noſtro B. M. V. Conſolatricis Cœnobio hac die 11. Decembris MDCCLI.

D. PAULUS ANTONIUS RUFFINUS
Abbas Viſitator Provincialis.

Loco ✠ Sigilli.

D. Idelphonſus Raymundi Secr.

Imprimatur. Vicarius Generalis Sancti Officii Taurini Fr. Joannes Dominicus Allonus Ord. Prædic.

V. Franciſcus Ferrerius Collegii Theologorum Taurinenſium Præſes.

Se ne permette la Stampa. Morozzo per la Gran Cancelleria.

PRÆFATIO

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uamvis Eminentissimus Cardinalis Bona, ut alias initio Tom. I. Liturgicorum ex ipsius elogio apud Typographum Parisiensem relatum est, testamento suo caverit, ut ne ab amicis laudaretur, neve qui libris ejus in lucem edendis operam navarent, de Authore quidquam magnifice præfarentur; nemo tamen mihi jure succensebit, si hoc Tomo nonnullas ipsius Cardinalis Epistolas selectas, aliorumque Eruditorum sui temporis ad eundem scriptas ediderim, in quibus non sine laude de illius prudentia, doctrina, atque inculpatis moribus passim disseritur. Fecit ille pro modestia sua, ne Christianæ, ac Monasticæ humilitatis sensum una cum mortali corpore exuisse videretur. Faciam & ego pro æquitate, communique proborum, ac studiosorum omnium voto, ut maxima illius in universam Ecclesiam, atque Rempublicam litterariam merita unquam seculis intermori possint. Sapienter quidem; nam nedum intimis ejus amicis, sed & exteris omnibus, qui eum noverant, visum est, dum vitam egit, eximiæ illius virtuti plus admirationis tribuendum esse, quam laudis: sciebant quippe Optimi Cardinalis animum a captandis quibusque etiam levibus auris maxime popularibus alienissimum, omnes præconiorum illecebras ut præsentissimum virus aversari, quo nihil periculosius virtuti inficiatur. Nunc vero quoniam Cælo recepta anima, ut quidem confidimus, seculo altior in ipso Gloriæ sinu quiescit, neque ullo mundani honoris sensu movetur, ex eo minus videri potero testamentariæ huic clausulæ refragatus, dum publicæ utilitatis, cui ille potissimum servivit, rationem habens, ejusdem selectas Epistolas, aliasque plures sublimium Virorum scriptas, suo loco dispositas Typis evulgare studuerim.

Id dudum optaverat eruditus ille scholasticus, qui elogium Cardinalis texuit Parisiis anno 1678. *his verbis de ipso loquens:* Summis plerisque Viris, maxime Gallis, arctissima necessitudine devinctus erat, ad quos Epistolas prope innumeras misit, officii, eruditionis, atque humanitatis plenas, quæ forte aliquando in lucem edentur. Neque propterea inferioris meriti homines ei despectui fuere, quippe omnes Christiana charitate complexus, nulli unquam optima molienti, consilio, opera, favore defuit, neminem ex his, qui ipsum litteris interpellarunt, voti exsortem dimisit. *Hæc ille. Ita & alii non pauci præstantissimi viri dignitate, ac primi subsellii præeminentia conspicui, quos præ modestia, & veneratione sileo. Sed præstat hac de re dictam testamentariæ ejusdem Cardinalis clausulæ particulam in medium adferre, ut ex ipsa penitus dignoscatur eam nostræ intentioni, ac proposito haud ullo modo esse contrariam. Sic itaque ait ibi piissimus Scriptor:* Scripta mea, & Libri mei, quos Deo inspirante composui, & ea omnia, quæ vita comite deinceps componere intendo, si nondum impressa fuerint, cum moriar, peto, ut remittantur amicis, & Dominis meis Superioribus, qui tunc fuerint, vel his, quos ego moriturus nominabo &c. ut, si eis videbitur, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem Typis mandari curent, præmissa præfatione, in qua Lector admoneatur me omnia scripta mea sapientum correctioni, & S. R. E. submittere, in cujus Fide & vivere, & mori volo.

Nonnulla alia in hunc sensum protulit Religiosissimus Cardinalis, quibus omnibus satisfsuperque constat alienum ab ejus intentione non esse, quod istæ ejus, aliorumque in lucem edantur Epistolæ selectæ de superiorum expressa licentia, uti de facto reipsa dignoscitur ad Dei gloriam, & proximi utilitatem. *Libenter igitur, atque magna animi voluptate, & exultatione easdem proferemus in lucem, eo vel maxime quod Cardinalis ipse ad id hortatur, & inducit eisdem verbis,*

verbis, ac oraculo tunc Summi Pontificis Alexandri VII. quæ, eorum exemplo nos item incitans, refert ita scribens ad ejus amicissimum D. Lucam Dacherium Monachum Benedictinum heic Epist. 45. *n.* 2. *p.* 46. Multum, *ait*, laudat Summus Pontifex Spicilegium tuum, dixitque sibi præ omnibus placere Virorum illustrium Epistolas, & ea omnia, quæ pertinent ad historiam, & antiquam Ecclesiæ disciplinam; nam hæc, inquam, singularia sunt, & historia Epistolarum certior omnibus est. Tumait: utiliorem præstare operam Reipublicæ litterariæ qui eruendis e situ Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos edunt libros. Novi enim libri, si quid boni continent, ab antiquis acceperunt. Hoc judicium de studiis tuis, quod ex ore SS. D. N. acceptum tibi sincere repræsento, nihil addens, nihil minuens, &c. *Ideoque sic tam insigni, tamque magnifico excitatus documento, nemo mihi molestus profecto erit, ut spero, si hujusmodi Epistolas, & quidem selectiores, ex locuplete eximii Cardinalis promptuario depromptas* ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, *communi scilicet litteratorum bono, cum ipsius Analectis publice proferam, quibus omnibus non aliter ac cæteris ejusdem Operibus tanti Viri admirabilis doctrina varia, & recondita, prudentia singularis cum virtute conjuncta, summa denique pietas cum humili modestia magis magisque, & amplius elucescent.*

Cæterum, benevole Lector, tibi notum sit, quod in hac Epistolarum Cardinalis Bonæ, aliorumque ad ipsum scriptarum editione singularem quemdam earum fecimus delectum: quasdam enim, quæ familiares tantum, ac privatas res tractant, expungi censuimus, eas duntaxat, quibus aut bonarum artium, & litterarum studia promoveri, aut rerum historia, maxime Ecclesiastica, illustrari, quæque ad posteritatis eruditionem conducere possunt, in hac editione exhibendas ducimus.

Non displicebunt etiam tibi, curiose Lector, Analecta nonnulla Liturgico-sacra, quæ pro Tomi complemento ad calcem tibi exhiberi proponimus. Analecta Græcis quæ dicantur, a Latinis pariter usurpata apud Martialem ex Raderi editione lib. 7. *Epigram.* 17. *norunt eruditi. Hæc igitur etsi quisquiliæ vere non sint, veluti res contemnendæ; proprie tamen Analecta appellantur reliquiæ cœnæ, quæ de mensa cadunt, & manu colligi solent, non scopis everri, unde a colligendo dicta, sic etiam convenienter hæc nuncupare poteramus Spicilegium, etenim messe facta (ait Varro de re rustica lib.* 1. *cap.* 55.) *Spicilegium venire oportet. Quare copiosa Cardinalis messe Liturgica facta, ejus præteritas quasi spicas colligimus, quas nihilominus, quia non omnino tales, seu ad Rem Liturgicam integre spectantes, ideo Analecta vocari censuimus ex eo pariter quia ipse Em. vere Analectes dici potest, qui juxta Cælium Rhodiginum lib.* 13. *cap.* 31. Multa lectione exercitatus memoria fuit firmissima, *& non inferiori doctrina. Utcumque autem ista nuncupari velimus, eadem quoquo modo disposita, & descripta habentur in ipsorum Elencho post indicem Epistolarum. Superest demum, ut quemadmodum supra Cardin. noster omnia scripta sua, tum quæ vivens edidit, tum quæ posthuma reliquit, sapientum correctioni, & S. R. E. judicio submittere voluit, & jussit; ita & ego, sicut in aliis tribus Liturgicis voluminibus feci, similiter faciam in hoc Epistolarum Tomo, & qualiacumque de meo inibi scripta, sive excerptas aliorum observationes, omnia prorsus, & singula ejusdem S. Matris Eccl. Rom. infallibili, atque irrefragabili Magisterio, ac censuræ, toto corde, & animo lubens subjicio. Sicque ornatus, lætusque*

His, Lector, fruere, & videas quam sit
Bona Magnus,
Noris enim ex ipso quanta scienda latent.

EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI

D. D. JOANNIS

S.R.E. PRESBYTERI CARDINALIS

BONA

EPISTOLÆ SELECTÆ

UNACUM ALIIS ERUDITORUM VIRORUM AD EUMDEM.

I.

D. JOANNI BONA

HIERONYMUS a S. Roberto.

Qualis, qualisve fuerit isteClar. Vir, vide Morotium Cisterc. refor. Hist. Chron. p. 79.

Progressum ejus in virtutum studio, facilitatemque in Hebraica addiscenda lingua admiratur, & laudat.

1. 
NIHIL mihi jucundius, nihil optatius litteris tuis. Eæ lætitiam pariter, & admirationem pepererunt. Illam ex profectu, ex inopina istam in addiscendo celeritate. Vix semina jacta, & ecce fructus ad maturitatem autumni. Gaudeo plane quod industria, magis autem unctione magistra, super docentes te intellexisti. Gloria mea, & corona mea. Gaudeo, quoniam qui post me veneras, ante me factus sis. Cursor levis explicasti viam tuam, cucurristi, bravium accepisti, palmæ dulcissimos apprehendisti fructus, Aquila grandis magnarum alarum cedri comedisti medullam. Faciem tuam præcedit gloria, non egestas. Sufficit mihi paupertas mea: hæc mihi delitium. Ad mensam magnam sedisti, sacris jam Hebræorum involucris initiatus. Ego comedens suspiro. Mihi pro maximo est, si micæ cadentes, si arietum rubricatorum pili, si duo minuta, si porcorum siliquæ, si colocinthidarum baccæ, si subcinericius panis, si ligatura uvæ passæ, si botrus amarissimus ad refocillandam animam porrigatur. Adhuc præ foribus clamito, ad januam divitis ingemisco.

2. Fateor, voracitate quadam totus hujuscemodi inhiabam lucubramentis; jamque accentus regios libaveram, & administros, cum tot punctorum, arearum, asteriscorum, litterularum copiosissima juxta & confusa distentus congerie, quæ retro sunt obliviscens, ad anteriora me incautus extendebam, & facta sunt novissima mea pejora prioribus. Opportune subsannas: putasne intelligis, quæ legis? Et ego: quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Quanta, Jesu bone, animi pertinacia dimicavi, ut discrimen invenerim inter Chirie Caton, Chirie gadol, i longum, & i breve! Quot desperationis motus quiescens Jod, sive in dictionis medio, sive in fine posita, experiri me coegit? Calamum, animumque retraxeram, ne duriorem, magisque ancipitem subirem

rudimentorum aleam. Rursus mentem adjeci, & talaria pedibus nectens, auripedam cervam me apprehendisse haud dubie existimabam: sed laboravi sustinens, ab instituto cursu omnimodis aversus. Quid restat, nisi ut fugitabundus, ceu dispalatus, mille latebras quæram? Tu vero secretiora rimatus profecisti supra multos coetaneos tuos. Si recte fatorum volumina perspicio, Anastasios, Eugubinos, Baronios, Apostolici Musæi Cimeliarchas superabis; Mirandulanos, Pagninos, Galatinos a tergo relinques. Jam video, qui tibi jure debentur circumstantes honores; perstrepunt jam acclamationes in scholis, salutationes in foro, primas te Cathedras in Synagogis tenere prospecto, quamvis Rabbi ab hominibus vocari nullatenus permittas, cum scriptum sit: *Unus est enim Magister vester*. Tu ingentia maria, nedum hebraicos fontes, transfretasti. Bibis de consequente petra, solidum cibum in melioris fortunæ spem elatus comedis, dum mihi gelidos rivulorum latices vix attingere datur, vix pappare, lactare assueto, in cunabulis vagienti lac in potum propinatur. O istorum temporum Didymus oculatus! Tibi, in quem Lyncis oculi, OEdipi perspicacitas, Cadmi adinventioues, Gorgiæ acumen, Neemiæ reminiscentia (si audacter fari liceat) nova Mundi palingenesia transmigrarunt, quis non assurgat? Felix, si quando melioribus affulgentibus astris, lateri tuo comes individuus adhærens, totus ab ore tuo pendens, mihi usque modo occulta mystagogica sanctioris litteraturæ arcana reserare digneris; in præsentiarum autem cum ignominia exauctoratus, arma projicio, stylum obtundo, fugio, ac pugnæ ludificatione deceptus, tantorumque mysteriorum fumo spiritus intercludente; Pythagorici silentii repagulis verba concludo. Vale. E Monasterio nostro Testonensi 27. Augusti 1632.

Matth. 23. vers. 8.

II.

D. HIERONYMO a S. Roberto

JOANNES BONA.

Studiorum suorum seriem exponit.

COmpatior valde laboribus tuis. Magister noster Hebræus mecum fuit in pervigilio Sanctorum, nec amplius eum vidi: credo non esse Taurini. Ego autem quotidie physicis speculationibus immoror, ac tantum non immorior. Si vero quidpiam otioli, furunculi instar, suffurari possum, meque latenter subtrahere e conspectu meorum discipulorum, ac meum principale munus subterfugere, Mathematicis disciplinis Scopeliano more invigilo. Jam in Arithmeticis multum profeci, numerorum enim integrorum proprietates, fractorum etiam, ac minutiarum additionem, partitionem, reductionem, quatuor proportionalium auream regulam, ipsas quoque proportiones adamussim percepi, nec non & Algebræ partem potiorem. Gradatim procedere statui ab Arithmetica ad Geometriam, qua sublimioris Philosophiæ alumnos præditos esse magnus Plato exigebat. Geometriæ cognata est Optica; suo etiam loco addiscenda. Post hanc Astronomicis, Phænomenis, Gnomonicæ item, atque Geographiæ, Deo bene favente, insudabo. Musicæ autem postremum locum assigno, ei sedulam daturus operam, cum idoneum præceptorem tempore opportuno nactus fuero. Musicam dico speculativam, & eam partem, quæ modum com-

componendi docet; nam in praxi, & peritia canendi sufficienter versatus sum, ut ipse nosti. Libros, & instrumenta ad Mathesim necessaria mihi paulatim comparo. Utrumque globum Cœlestem, ac terrestrem satis justæ magnitudinis, qui erat Serenissimi Principis nostri Philiberti gloriosæ recordationis, habui a Domino Theologo avunculo meo. Nonnullæ sunt mihi etiam acus magneticæ, rectilineum, horarium, quadrans geometricum, Opera quædam Christophori Clavii, Orontii Finei, Magnini, Argoli, & Gallucii. Alia, quibus indigeo; Tu, qui in arte peritissimus es, facile conjicere potes. Mense transacto diverti paulisper e Peripatetico gymnasio in Academiam, non quidem ut transfuga, sed ut explorator. Nihilominus statim ac perlegi Marsilii Ficini præclara opera, parum absfui, quin Aristoteli ultimum vale dixerim. Legi similiter, imo voravi brevissimo temporis spatio Opera omnia in 4. Tomos digesta Magni Francisci Petrarchæ, ruminanda postmodum acriori studio, ac longiori lucerna. Deus bone! Quæ doctrina, qui stylus, quæ sententiæ, quæ modestia, quæ, & quot sanctioris vitæ documenta! Vix potui, dum legerem (ita me Deus amet) cor a singultu, oculos a fletu continere. O beatum Eremum, o felix desertum, o animi tranquillitatem nullis divitiis, nullis dignitatibus, nullis honoribus æquiparandam.

Nescitis cupidi arcium
Regnum quo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes;
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris;
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet.

Sed cui loquor, aut cui scribo? Parce affectui meo, Pater, hæc est enim mihi jucundissima psychagogia tecum saltem per litteras confabulari, quandoquidem alia rogare non licet. Rumpe moras tandem aliquando, & veni, nam te impatientissime desidero. Interim vive, & vale in Domino Deo salutari nostro. Augustæ Taurinorum VIII. Idus Novembris 1632.

III.

D. JOANNI BONA

HIERONYMUS a S. Roberto.

Ejus studia commendat.

SIC sic arrepto veræ virtutis angusto tramite ad gloriæ montem, & immortalitatis culmen eximia pernicitate curris, ac in dies solidarum scientiarum acquisitioni inhias? Solidarum, inquam, quæ etiamsi in earum rerum, quæ sub sensum cadunt, abstractione consistant, ipsarum tamen phænomena, ac evidentissimæ demonstrationes vel ex eo certæ esse convincuntur, quod intellectui non modo, sed & sensibus ita pergratæ dignoscuntur, ut Plato ipse lib. 7. de Republ. asseveranter dixerit Oculum animæ, quæ ab illis studiis propter

rerum incertitudinem, & opinionum varietatem excæcatur, a Mathematicis disciplinis recreari, excitarique rursus ad veritatis contemplationem. Placet, quod ipsemet eosdem propemodum animi effectus in Ficini lucubrationibus indagandis expertus fueris, quos ego Vercellis superiori anno in eadem lectione subivi. De clarissimo, & eruditissimo Petrarcha recte Joannes Heroldus (*a*) *Petrarcha hic noster Religione pius, grandis verbis, sententiis admodum instructus, totus gravis apparet; in historiis, si omnino perfectum neges, satis tamen elegantem, nusquam infantem reperies*. Sed & Ludovicus Vives: (*b*) *Franciscus Petrarcha abhinc annis paulo plures ducenteis Bibliothecas tamdiu clausas reseravit primus, & pulverem, situmque e monumentis maximorum Auctorum excussit*. Sunt & alii, qui alia congerunt de tanto Viro selectissima testimonia; ex quo fit, ut qui vulgaria, & juvenilia hujus celeberrimi Viri Opuscula Catoniana fronte, ac virulento legunt oculo, nec ibi latens seligunt aurum, acri castigationis verbere coercendi sint. Ego autem inter sacrum, & saxum, ut ajunt, immemor, & quasi manutenians, sic inter Ægyptiacas caliginum tenebras, ne dicam Hebraica litterarum involucra, progredior, ut in infinitam barbarismorum congeriem præceps ruam. Haud scio profecto, an aliquantisper profecerim, tum potissimum, quod sub regiminis onere gravatus incedam, Me miserum! Quoties catenis, baculis, expulsoribus, armis, eradicatoribus, scalis, imminentibus cuspidum aculeis, spinis, subulis, ac similibus larvis circumdatus, & horrificis mogituum e Judæorum latebris echo resonantibus impetitus, aut fugam arripere, aut accelerare pausas, vel demum suspiria ingeminare compellor. Tu interim multorum cum teneas vulgarium Idiomatum cognitionem, Hebraicæ modo, ac Grecæ linguæ insudas, Quin etiam post Rhetoricorum studium, post Philosophiam, Theologiam, sacras Canonum Sanctiones, & Historias, pedem adhuc sistere non valens, perniciosissimo animi volatu e Peripatetica ad Platonicam te confers disciplinam. Dic etiam Tu libenter, quod ille, qui omnium studia litterarum adeptus, & probatorum Monachorum imitator factus de se ipso dicebat: Putabant, inquit, me homines post auditum Didymum finem fecisse dicendi. Veni rursus Jerosolymam. Etenim post maximam litterarum copiam, quam tibi plus olei, quam vini consumendo adeptus es, hoc potissimum tempore veluti anteperistatico exagitatus motu, cum circumquaque, ut equa lasciviens, comis effusis ignorantia pererret magis, ac magis tibi robur acquiris, dum aliis robur confusionis incutitur. Deus scientiarum Dominus, cui ex corde obsequium præstamus, det idipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore glorificemus Deum. Seminiverbius jam dicar, sed qui calamum ducit interior animi affectus, excusationem inducit. Vale. VII. Idus Novemb. 1632.

(*a*) In Epistola dedicatoria præfixa operibus ejusdem Petrarchæ impressis Basileæ.

(*b*) Ibidem, ubi plura referuntur insignium Virorum de Petrarcha testimonia.



IV.

IV.

D. HIERONYMO a S. Roberto
JOANNES BONA.

Poesim, & Musicam ab instituto Monastico alienas non esse demonstrat.

1. POesim, & Musicen duas germanas facultates acri studio, & pertinaci labore pertracto, illorum parvipendens errorem, qui has nobilissimas disciplinas non inutiles tantum, sed alienas prorsus a nostro vitæ sanctioris instituto, atque adolescentibus perniciosas, insanis perstrepentes clamoribus proclamant: quorum insulsa procacitas, ac inanis opinio risu potius, ac sibilis despicienda est, quam solidis rationum momentis confutanda. O mentes cimmeriis tenebris offusas! Verum enimvero sapientiam, & doctrinam stulti despiciunt; stultorum autem infinitum esse numerum Sapientissimus mortalium omnium asseverat: sed age, videamus quid hi bonarum litterarum hostes, inscitiæ alumni, homines analphabeti, quid, inquam, objiciant, quæ in nos tela contorqueant. Videor namque mihi ipsos audire ita rauce inclamantes histrionica plane libertate, ut infantes in cunis dormientes absterreant, puerisque tenellis panicum incutiant terrorem. Quid enim? Si videant me, aut quempiam mei similem sacratioribus Musis, secretiori sapientiæ addictum: si sciant me, non dicam versum componere, Poetam legere, carmen recitare, Musicis incumbere, hymnum psallere, Psalmum, vel Antiphonam strictioribus modulis, dulciorique systemate modulari, sed si vel ipsum nomen Poetæ proferre audiant, si Musicen, si Mathesim, atque adeo ipsam Philosophiam Platonicam præsertim, aut Kabalisticam celebrare: heu heu exclamant protinus: nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt! O tempora! O mores! Siccine adolescentem perfectionis Monasticæ Professorem sanam doctrinam non sustinere, sed juxta Apostolicum vaticinium, quod nos terque quaterque infelices nunc adimpletum videmus, ad fabulas converti, variisque, & peregrinis doctrinis abduci? Id ne permittemus in Deo dicatis Cœnobiis pertractari, legi, edoceri? Poesim sugillant, quod Plato ipse a vera fide, & religione alienus, quod & alii Ethnici sapientes communi calculo damnarunt, quod SS. PP. rejicit authoritas, quod ipsæ scripturæ divinitus inspiratæ proscribunt. Quid cum Christi discipulo profana gentium litteratura? Quid futilia Platonicorum insomnia? Quid Orphica, aut Trismegistica Pseudosophia? Quid Musicorum lasciva licentia? Quid Magiæ execrandum nomen? Quid Kabala diabolicum adinventum? Hujusmodi sunt nugæ, & tricæ, quas commota bile, caperata fronte, vultuque ad mœrorem composito miseri homunculi in nos conjiciunt. Nec mirum profecto: Lippus enim oculus solis radios ferre non potest. Horum manifesta deliramenta confutare si velim, dices me docere, quod ajunt, asinum sub fræno currere, vel certe me stultitiæ insimulabis, præcipiente Salomone: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*. Quanquam necessarium nonnunquam putem, ut idem subdit: *Respondere stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. Alioquin si taceam, rem confectam existimabunt, ac duri capitones magis placebunt sibi, quam Peleus in Machæra; superbient; ac si festucis, & paleis

Eccles. 1. vers. 15.
2. ad Timoth. 4. vers. 3.
Prov. 26. vers. 4.
Ibid. vers. 5.

leis

leis armatis muros ferreos penetrassent. Quid ogganniunt igitur? Platonem e sua responsione Poetas exclusisse; Patres item, & scripturas sacras eos damnare. Sane quidem si Platonis, a SS. PP., sacrorumque Bibliorum, vel foris inscriptum titulum perlegissent, invenissent proculdubio obscœnos tantum Poetas rejectos esse, illos nimirum, qui aureo Babylonis poculo turpium voluptatum venena propinant. Magiam quidem, & Kabalam eliminari, ut & hæc obiter tangam, sed eam, quæ Dæmonum arte constat, non quæ Philosophicis nititur experimentis. Mercurius etiam, & Orpheus, ac Plato lucem patiuntur, & tenebras, quod humana fert conditio, non tamen idcirco minus grata existimanda veritas, si aliquot permixta erroribus proponatur; sicut nec aurum despicies, quamvis tibi fœda illitum fæce tribuatur. Et quid frequentius apud Dionysium Areopagitam, Justinum Martyrem, Athenagoram, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Minutium Felicem, Adamantium, Arnobium, Lactantium, Eusebium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, ceterosque sexcentos Orthodoxos Patres, Fidei propugnacula, Ecclesiæ fundamenta, quam Poetarum citata carmina, narratæ fabellæ, explanatæ Mithologiæ? Nonne horum scripta variis hinc inde decerptis flosculis ex Academiæ Lyceis, & florentissimis hortis, campisque uberrimis mirum in modum exornantur? Nonne Paulus vas electionis ipsa Poetarum carmina in testimonium adducit? Nonne multæ leguntur SS. PP. poeticæ lucubrationes? Nonne Moyses omni Ægyptiorum doctrina excultus, Joseph divinandi arte peritus, Daniel, & tres Pueri Chaldæorum scientiis initiati fuisse perhibentur? Nonne Idolorum templa ritibus expurgata sacris ad veri Dei cultum consecrata narrantur? Ecquis prohibet ethnicam eruditionem omni superstitionis sorde emendatam sacrarum litterarum obsequio mancipari? Malæ igitur erunt omnes artes, quæ Paganos habuerunt inventores? Cave sis, cum ægrotabis, non adsint Medici Hypocrates, & Galenus; Ethnici fuot. Paoem ne edito; Cerei sacræ sunt segetes: Vinum ne bibito; Baccho dicata est vitis. Procul a te Mathesis; Euclydes Ethnicus est. Procul Philosophia; Aristoteles Idolorum cultor eam docuit. Lyram, aut organum ne attrectato, nec canito omnino; Gentilium hæc omnia sunt. Sed facessant jam hæc stultorum insomnia. Apologeticon si forte desideras politioris litteraturæ, habes qui id præstiterint ultra omnem ingenii aleam viros præstantissimos, quorum scriptis volens, lubensque fasces submitto. Nolim tamen existimes me levioribus hisce studiis adeo deditum, ut solidiora relinquam. Et poesi quidem ideo dumtaxat incumbo, ut dulcissimo amico id enixe postulanti, & hanc facultatem ediscere cupienti debitum præstem obsequium. Musicæ autem studeo, ut totum scientiarum cursum, quem Græci Encyclopediam vocant, perficiam. In ceteris enim artibus, quas liberales, seu ingenuas nuncupant, qualitercunque me profecisse tu nosti. Præterquamquod Musicen ad animum exercendum utilem, sicut Gymnicam ad corpus, affirmat Plato. Quin & Socrates jam sexagenarius hanc artem ediscere non erubuit, turpe existimans viro, vel mediocriter erudito, hoc nobilissimo scientiarum ornamento carere. Hæc ingenium acuit, promptiusque reddit ad graviores disciplinas: hæc rudes barbarorum animos ad virtutem emollit: hæc mitigat humanæ vitæ labores. Hac Dei Optimi Maximi, Sanctorumque laudes celebramus: hanc qui non colit, vel lapis, vel bestia esse convincitur: imo ne

bestia

bestia quidem, nam & Delphines, & Cervi Musica delectari dicuntur. Doctissimum habeo hujus artis præceptorem Serenissimi D. N. Protopsaltem, qui jam me docuit & numeros dignoscere, & tropos, Tonum item, Hemitonium, Diesim, Ditonum, Diatesseron, Diapente, Diapason, Sonus, Diastemata, Euarmonica, Chromatica, Diatonica, Tetrachordum, Pentachordum, Rhythmos; octo etiam modorum discrimina, Dorium scilicet, Hypodorium, Phrygium, Hypophrygium, Lydium, Hypolydium, Missolydium, Hypomissolydium; necnon & ligaturas, intervalla, pausas, mutationes, transpositiones, tempus, mensuram, syncopationem, signa, puncta, vocum perfectionem, proportionem, & alia multa nobili profecto, & erudito Juvene non indigna. Ceterum inchoara jamdiu jejunia regularia uberius studendi tempus suppeditant, quod ego, reluctante licet infirmo corpore, haud otiosum transigo. Raro pedem e Cella effero, nisi vel communia Monasterii exercitia, vel obedientiæ præceptum, vel amici necessitas, aut quidpiam discendi occasio invitum exire compellant.

2. Jussu Domini nostri Ducis datum est mihi a D. Petro Boursério Commentarium illud antiquissimum MS. Venerabilis viri Thomæ de S. Victore super Cantica Canticorum, quatenus meo labore, ac studio exscriptum, emendatum, ac rite dispositum typis evulgetur. Atqui opus est id immensi laboris: sunt enim multæ paginæ variis mendis corrosæ, omnes sacræ Scripturæ authoritates quibusdam solummodo litterulis adnotatæ, ita quod vel divinare oporteat, vel totum concordantiarum opus evolvere: totus denique liber minutissimis characteribus exaratus oculos Lyncis requirit, & diligentiam, ac patientiam infinitam. Tuum expecto hac de re consilium, a quo ne latum quidem unguem me discessurum scias. Cum innumeris scribendi argumentis meum quotidie luctatur ingenium, sed cuinam scriptioni primum incumbam, haud satis discerno. Tui etiam consilii id opus est. Verum quia hæc Epistola justo longior effecta finem exposcit, aliæ de istis litteræ luculentius pertractabunt. Deus te incolumem custodiat, dulcissime Frater, ipsumque Deum precare, ut doceat me facere voluntatem suam, eique inhærere: hæc vera vivendi norma est. Datum Taurini prid. Kalend. Octobris 1634.

V.

D. JOANNI BONA HIERONYMUS a S. Roberto.

Consolatur eum ob Fratris sui mortem.

Aurum probat fornax, homines autem justos tribulatio, & ideo, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*; nimirum dulcissimi Fratris consummatio; nam *consummatus in brevi explevit tempora multa*. Vix in paucis vexatus, cum multis est in bonis dispositus. Neque enim eum interiisse dixerim, quem ætas puerilis, innocentis vitæ nutrix, & alumna, a peccatis veræ viræ peremptoribus rutavit. Terram hanc peregrinorum hospitium vix intraverat, vix a limine salutaverat, cum invida mors, arreptis puelluli faucibus, heu! Vitalibus ejus spiritibus, admoto gutturi pollice, fauces occlusit. Jam puero, uti pie credimus, statim ut mortalibus devixit, obviam factus Cœlestium Civium cœtus, ab ipsis deductus ad vitæ fontes, eorumque

Tob. 12. vers. 13.
Sap. 4. vers. 13.

con-

conviva factus , & linguis eruditus , suis contubernalibus sic dicit : illic fui & mortalis ego; quid mihi super terram ? Satius Mundum ignorasse, quam reliquisse, & immatura dierum consummatione vobis cœlitibus consociari, quam intricata annorum decipula tandem eludi. Securus gaudeo me istuc pervenisse, quo neque severa militiæ Sacramenta , si mortalis adhuc vixissem , neque divitiarum jactantia , aut qualiscumque ingenii mei indoles, aut gentilitia Majorum meorum stemmata , vel quidquid fallax Mundi luxus pollicetur , ni virtus suppetias addidisset , transmittere haudquaquam potuissent . Hæres profecto eram ; sed cum essem Dominus omnium , sub tutoribus , & actoribus eram usque ad præfinitum tempus . Sic cum essem Dominus , nihil differens a servo , nunc in libertatem vindicatus hæres sum Dei , cohæres autem Christi . Ita ipsum , quem summe diligis, fratrem de excelso Cœlorum habitaculo loquentem audire videor . Gaudeant itaque alii avitam Patrum suorum prosapiam longo ordine censeri , & ramosa nepotum progenie , sacroque Connubiorum fœdere generosis stipitibus familiarum germina constringere . Tandem nexum hunc edacissimo temporis morsu rescindi , ac solvi necesse est ; sunt enim hæ rerum vicissitudines . Quot scimus efflorentissimas heroum prosapias miserabili exitio absumptas penitus , & nepotum flagitiis avorum claritatem infamiæ notis conspersam . Sed esto adultus postea , & maritus uxorem duxisset adolescentiæ suæ : quis ei clarissimorum natorum indubiam , & fœcundam sobolem promisisset ? Non diutina vivendi ratio , non avorum merita , non prolifica connubiorum societas , non coacervata a Majoribus divitiarum gazophylacia , non stipantium , & obstrepentium amicorum contubernia , non sedula plurium famulorum obsequia , non ejus , qui caput inter nubila condit, periturae famæ garritus, non succidanea dignitatum ambitio sanguinem æternitati , animum veræ vitæ commendare possunt . Hæc namque omnia aut grassantis morbi alicujus vis totam familiam pervadentis, aut turbidis irruentium in regionem inimicorum tumultus , aut degenerantium a parentibus filiorum studia , vel ipsa moriendi necessitas, ita plerumque , imo , ut plurimum, abrumpunt , ut ne vestigium quidem antiquæ generositatis agnoscas . Numera mihi Gracchos , Lentulos , Fabios , Scipiones , Corvinos : exhauri ipsissima venerandæ antiquitatis archivia : tabulas capitolinas , & fastus consulares recense . Quid nisi nuda nomina , & præter ea nihil ? Sed & rerum memorabilium memoriæ ruderibus consepultæ jacent . Bibliothecas Atheniensem , Alexandrinam , Romanam , Cæsariensem , Babylonicam tanto pretio conquisitas vorax flamma consumpsit : sic quæ erant immortalia mortalium gestorum asyla , tandem sub oblivionis anathemate delitescunt . Da mihi verum Berosum Chaldæum , non Annianum fabulatorem : deperditas Livii Decades , non Flori fragmenta , Sybillarum Oracula, non suppositiria octo libris distincta . Et si hæc monumenta, quæ ære perenniora videbantur , cessere tempori : quid de unius vix Mundum salutantis adolescentuli vita futurum ? Quin imo ne sacris quidem Codicibus immanis pereuntis ævi edacitas pepercit , quando neque Liber bellorum Domini , neque justorum , neque sermonum Regum Juda , & Israel reperire lubeat , de quibus tamen in iis , quæ supersunt Bibliorum voluminibus, mentio habetur . Similem passa jacturam certum est plura Jeremiæ lucubramenta , quæ de funere Josiæ Regis , de eversione urbis , & captivitate Babylonica elegiacus iste

Pro-

Propheta conscripsit. Omitto historicos Ahiæ Silonitis libros, & Addo Videntis, & Nathan, & Hozai, & Samuelis plurimos super eos, quos nobis vulgata profert editio. Vellem præ manibus habere Areopagitæ Dionysii hypotyposeon librum, seu informationum Theologicarum; itemque divinorum hymnorum, deque Angelicis proprietatibus, de anima, de justo, divinoque judicio, ac de regali Sacerdotio, quorum omnium vix titulus reperitur, ut in notis ad ejusdem Areopagitæ Opera latius observavi. Urbes ipsas, & Regiones intueri liceat, licet harum plurimæ exitio perierint. Quot insulæ inter maris gurgites procul a litore ingenti subtus fragore concussæ, aut illico solutæ, & confractæ aquarum vorticibus adhuc subsidunt, aut recenter enatæ feruntur, aut litoribus adjunctæ. Nam si vera sunt, quæ scripta reliquit ille in pluribus mendaciorum concinnator Plinius, Delos, & Rhodos jam pridem produntur erupisse. Nea item, & Alone, & Thera, & Therasia: prima inter Lemnum, & Hellespontum, sequens inter Lebedum, & Teos, postremæ vero inter Cyclades. Ut præteream quas terras maria interruperint, quas motu Insulas permutatas, aut montes, & oppida rimas subinde terra faciente, & ex occultis rupium visceribus flatu expirante, igne quandoque latissime insuper eructante æquata solo, ac viduata civibus, modo procul a prætereuntibus digito ostensa. Sed ipsa Regna etiam areium robore minutissima, bellica virtute, hostium phalangis formidanda, gestarum rerum, & Manubiarum sertis lætabunda, tandem fame, vi, fraudibus e summo gloriæ fastigio in ludibrium ruentia, cæteris luctuosissimum spectaculum exhibent. Coccius Æneadibus refert uno eodemque tempore quatuor eversa fuisse Regna. Annon Chaldeorum, & Assyriorum Dominatus longe, lateque fama percrebuit? Verum non inexpugnabilem fuisse horum fortitudinem persensit Balthasar a Dario Medo victus. Expertus est & Astyages Persarum, ac Medorum Rex, quam sint omnibus pervia fortunæ insidiis Regna, eum fractus diadema perdidit; & nepoti Cyro ex Mandane filio secum pertinacissime pugnanti cessit Regno. Unde & Persarum Monarchia sub Cyro felicibus ausis roborata, tamdiu Persis gloriam peperit, quoad usque Alexander Philippi Macedo, Persarum Rege devicto, accepit spolia multitudinis gentium, & siluit terra a facie ejus; tum namque Græcorum Imperium exaltatum est. At Persarum deliciis elumbe mox, & effœminatum non diu stetit, sed Romanum habuit hostem pervicacissimum, qui victricium Aquilarum unguibus, & rostris ipsum discerpsit. Sic fortuna, quam cæci mortales Deam statuunt, rebus humanis semper illudit. Sic mortales ipsi ea, qua utebantur spe, miselli excidunt, nimirum fortuna, ut ajunt, præclaris opibus invida non sinit quemque diu secum luctari; aut potius, quod Christianum, magisque veritati consonum est, Deus ipse, qui rerum omnium vices moderatur, ne quis incautus Divinitatem mentiatur, vitæ stamina in ipso dierum meditullio, imo ex ortu abrumpit, & sæpe intrantibus lucem mortis ingerit umbras. Dic quæso, tibi ne certe constabat fratrem ad tot annos victurum? Fortasse extra mortalium aleam mortalis victurus erat? Quid, si non febre, non ferro, non veneno, aut quo hujusmodi alio sævissimo mortis genere periturus, sed mitiori? Puta, si adhuc vivens, e lecto casu nocte decidens, vel etiam timore correptus intereat; si scapha flumen transvectus saltu alacri e ligno in sabulum, undis recurrentibus, obvolvatur; si planitiem decurrens luxe-

luxetur ſpes, & claudicatione perenni mæſtus ad patrios focos intra pallidos cineres relegetur; ſi dulciora comedens, acerbiſſimo inde diſtentus ventris fluxu, & diſſenteria, tandem viribus conſumptis animam agat: ſi dum ludit, pila valide ex adverſo repercuſſa oculum offendat, & obnubilet; ſi ſanguis e naribus abunde pereffluens latum elanguenti animæ exitum præbeat. Quid igitur? Non ergo lacrymis puerum decet tumulatum proſequi, neque ei væ frater occinere, neque capillos pro extremis funeribus reciſos eidem offerre, ac pro inferiis elegos floſculos mæſtiſſime parentare. Humanum eſt, fateor, conſanguineos lugere, ac fratres fratribus collacrymari, tum antiquiſſimum Poetarum ſic in Odyſea commonentem audio:

„ . . . . . Illum nec enim reprehendere fas eſt,
„ Qui fleat hunc, cujus fregerunt ſtamina parcæ.
„ Solus honor ſequitur mortales! ille miſellos.
„ Et tondere comam, & lacrymas in funere ſpargi &c.

Sed vide ne ſuper mortuum lugendo immundus efficiaris, ne quem mundus non cognovit, iratum ſentias, qui e mundo antequam aliquid infirmitatis attraheret, tenellum fratrem tuum ad ſe, qui vera vita eſt, attraxit miſerans. Rapuit eum, *ne malitia mutaret intellectum ejus*. (Sap. 4. verſ. 10.) Rapuit Agnus agnum, qui ſequeretur ſe. Ab innocentiæ amatore innocens adhuc manibus, & mundo corde ſegregatus eſt a peccatoribus. Poſt ſe puer reliquit, quæ ſecum deferre non poterat, quæque morituræ tandem conſanguineorum famæ linquenda erant. Non timet in Cœlis reſidens peſtilentes impiorum cathedras, neque carnis illecebras, & ſuaviludia pertimeſcit. Ludit non jam aſtragalis, aut trochorum coætaneis ſuis, ſed cum eo, qui ludens erat in orbe terrarum. Tenella membra lumine ſicut veſtimento intertextis ex cœleſti paſtophorio radiantibus margaritis ſperat, & expectat poſtrema ſeculi die a Chriſto contegi, & ſuperveſtiri, dummodo præterlabentis hujus vitæ curſum fauſtum ſibi, felicemque a Domino precatur. Scio iſtis adhortatiunculis te non indigere, ſed ne me tibi amiciſſimo hac in re deeſſe putes, qualiacunque ad te dirigo, qui munitiſſima virtutum arce ſubnixus, æqua jugiter lance rerum eventus, ne ab iis crudeliter lancineris, ſedulo dimetiris. Unde gemitus comprime, & ſi quas lacrymas adhuc per genas effluentes vis amoris a cordis penetralibus expreſſit, abſterge, mæſtitiam omnem ex animo pelle, deſine querimoniis Cœlum petere, fratrem ultro vocare. Ad intermortua ingenii tui odorem vitæ undique fundentis lucubramenta redi, tum potiſſimum, cui librorum ſylva Hercinio ſaltu frondoſior ex refertiſſimo Cypriorum Regis, ac Allobrogum Ducis Muſeo abunde ſuppeditatur. Mei memineris in Sacratiſſima Synaxi, dum ego ingeniolum in ſacris de Auguſtiſſima Trinitate quæſitis enodandis tutiſſima ſcripturæ, & PP. cynoſura præeunte lubens inſudo. Romæ e titulo Paſtoris in Viminali Prid. Non. Novembris a reparata ſalute 1634.

VI.

V I.

ANDREÆ VALFREDO

JOANNES BONA Monachus Cistercienfis.

Amice conqueritur, quod in amicitiæ firmamentum litteras a se postulet, breviter amoris originem indicans.

IRascor capiti meo, cujus pertinax valetudo me hactenus impedivit, ne tuis litteris responderem. Et quidem animus erat ingentem tibi impingere Epistolam, quæ te gravioris noxæ reum probrosæ pœnæ deposceret, & aliorum in delinquentium exemplum justissimo furori immolaret. Sed datæ a morbo breves ad scribendum induciæ, hunc impetum cohibuerunt. Porro flagitium tuum, & inexpiabile crimen hoc est: Amoris regnum, quo nullum sanctius, vel sublimius Cœlum, & Terra veneratur, evertere penitus, ac omnem sinceram amicitiam fœdis legibus corrumpere malus legum Professor voluisti. Quid enim schedulam poscis tamquam reciproci amoris unicum munimen, & firmamentum, qua possit uterque nostrum, nam sic ipse loqueris, in judicium vocari, e qua actio oriatur, & qua denique amoris contractus ultro, citroque obligatorius stipuletur? En scelus, en sacrilegium. Nullius pretii chartulæ rem omnium pretiosissimam committere, & sanctissimum amoris fœdus inter profanos contractus numerare: oritur amor a bonitate, cujus absolutam perfectionem extra Deum si quæris, stultus es; oritus a pulchritudine, quam si consideras in creaturis, cave, ne aliud quam suavem morum cum virtute concordiam existimes; oritur a similitudine, & sympatico studiorum consensu, quo vinculo nihil tenacius ad amicitias connectendas. Oritur denique ab admirabili vicissitudine, a se ipso: amor enim adeo pretiosa res est, ut nullo valeat pretio comparari, nisi se ipso. Et tantum Numen, tantis ortum natalibus, sine levissimæ chartæ adminiculo constare non posse arbitraris? Procul procul a me tales amores, quos ignis scintilla consumere, quos aquæ gutta dispergere, quos auræ afflatus vilissimum Zephyri jocum efficere potest. Crescit enormitas culpæ, si veros amoris effectus consideramus. Unit amor amantes, & unum in alterum tam efficaci potentia transformat, ut anima magis sit ubi amat, quam ubi animat. Si verus igitur es amator, ut te ipsum in speculo, ita me in corde tuo non specularis? Si ego in te, tu in me vivis, cur tamquam absens a me litteras exigis, qui intime præsens sum? Nonne vides te omnem perdere amicitiam, dum eam quæris stabilire? An, ut amor noster mutuus etiam aliis innotescat, litterarum postulas monumentum? Erras, Valfrede; nam celari non potest amor, si adsit; & ut abscondi posse concedam, se ipso tamen contentus est, satisque amplum alter alteri theatrum sumus. Desine itaque nostri amoris Mnemosynon papyraceum quærere, desine amoris leges violare, ne te læsæ majestatis reum lex Julia condemnet. Ceterum cum factis constet amicitia, non verbis, ab his ad operam provoco, precorque ne me patiaris amicum tibi inutilem fore. Iratus scripsi, ac propterea sine ordine, & elegantia: nec enim bene irascitur, quicunque potest iram suam ordinare. Agnosce culpam tuam; ignosce meæ, & vale. Taurini ex Ædibus nostris S. Andreæ V. Kalend. Maii 1642.

VII.

D. JOANNI BONA Monaco Cisterciensi
ANDREAS VALFREDUS.

Non ad captandam famam, sed ad ingenii exercitationem se scribere testatur.

MIrum est, amice, quod mones, meas ab aliquibus in supercilii suspicionem revocatas Epistolas, ut quas non exercendo stylo, fortunæque levandæ, sed Taurinensium probandis ingeniis, importunoque responso onerandis, non sine aliqua inanioris gloriolæ titillatione continuem. Ego vero Deos testor; me calamo semper affatim scripsisse deplumi, nec tam nigro gloriosius atramento quæsisse, quam ut mihi dies candidiore sole fulgerent. Scilicet ita vacamus a curis, & nobis per sic otiosa fata conceditur, ut animum talibus intendere possimus ineptiis, & pares adhuc simus ad ambitiosas hasce provocationes, qui tam jacemus in humili fortuna dejecti. Feliciorum temporum, feliciorum ingeniorum sunt istæ exercitationes, nobisque sufficere possit ad querimonias stylus, non ad irritationes, quibusque stet suffragia ab amicis mendicare, non famam. Crudeliori quam Naso vel in ipsa Civitate damnamur exilio, cui non fuerit interdictum ab hac nobis litterarum scriptione. Ne sic amici, ne sic in nostras sævite fortunas; satisque miseros indulgentius in vestrum excipere sinum, quos demereri si non alio nomine, vel ipsa saltem ingenita nostra simplicitate possimus.. Vestra benignitas sit, non nostra respondere necessitas, & quibus abunde satisfeceritis, amori si respondeatis, non Epistolis. Austeros nos dumtaxat hac parte sentietis, cetera valde mites. Atqui aliorum pœnas, o mi Bona, tu lues, contra quem nostra nunquam hac assidua litterarum provocatione fatigata mitescet austeritas. Taurini Kal. Maii 1642.

VIII.

ANDREÆ VALFREDO
JOANNES BONA.

Hortatur, ut indoctorum hominum oblocutiones, & judicia parvipendat.

TU ne hominum judicia metuis, perperam de tuis Epistolis sentientium? Atqui turpe est ex alieno pendere judicio, idque optimum existimare, non quod laudabile est, sed quod laudatur. Pauci possunt de eruditis proferre sententiam: solentque homines tanto facilius aliena studia insectari, quanto profundius ignorant sua. Vis ergo maledicas calumniantium oblocutiones vincere? Contemne, & triumphasti. Quod si muliebri querimonia conceptum furorem exoneraveris, actum est de te, cecidisti. Macte igitur philosophica constantia; nam qualiscumque impetus tuos conatus excipiat, tandem aliquando pertinacem fortunam lassabis. Hic apex sapientiæ est, ut malis tibi placere, quam aliis, ut ceterorum judicia non numero æstimes, sed qualitate. Sis licet Virgilius, vel Homerus; & Mevium habebis, & Zoilum oblatrantes. Ut Ciceronem viceris eloquentia; Polliones tibi non deerunt, & Aristarchi:

starchi: etsi cum Poetis in Cælum ascenderis; Momum reprehensorem invenies, qui vel in ipsis Dearum sandaliis vitium observet. Nulla regio ab hac peste immunis. Ceterum ut propiùs rem attingam, qui sunt, qui te accusant? Educ viros, si nolti, & coram litterariæ Reipublicæ Ephoris ex legum præscripto causam age. Quod si eos indignos æstimas, qui tua clarescant inimicitia, sile jam, & quiesce, & ab Epistolis conscribendis propter unius, vel alterius improbitatem ne cesses. Quis est enim in hac Civitate aliqua doctrinæ laude conspicuus, qui non tuam eruditionem suspiciat. Laudat te Clausius, vir magnus inter magnos, lumen, & columen litterarum. Laudat te Valzania, vir liberi judicii, & styli pleni jucunditatis, & gratiæ. Laudat Goltius, delicium Musarum, vere rosea suavitate refertus. Laudant alii dignitate, & doctrina præstantissimi homines, quorum virtutes enumerare, etsi vellem, non valerem. Iis consuesce, Valfrede, horum sapientia, & solatio utere, quos in utraque fortuna constantissimos experieris. Ego etiam, licet infimi subsellii homo, ut me istis fateor inferiorem animi dotibus, at superior omnibus in tui dilectione, & cultu semper ero, si tu volueris. Vale 4. Maii 1642.

I X.

D. JOANNI BONA

ANDREAS VALFREDUS

Licet doleat, quod promissis non steterit, ab itinere dissuadet, ne a studiis divellatur. Tractatum de Horis Canonicis laudat, & Fratrem vita functum ejus Sacrificiis commendat.

1. HEus Tu tam largus tui per nos transitus sponsor. Me credideris ita tuæ pollicitationis immemorem, aut tui adventus sic desiderio tepidius arsisse, ut possim violatæ fidei tam grave crimen in præsens sine querela transigere. Vides cum eo tibi rem esse, qui severus injuriarum sit ultor. Corrige culpam, si licet, aut ego tertium jam jam improvisa præoccupatione te viso. Ut te novi tenuioris esse corpusculi, nolim ego valetudinis causa te iter abrupisse. Si quid adversi contigerit, mone: memor & ego vicissitudinum humanarum sciam pro te reciproca vota concipere, Deos superos pro te precibus fatigabo. At si tuum per Musas, per studia remoraris adventum, optima causa tua est. Mane, mi Bona: non tanti est, ut amicum visas, a tam utili cura divelli. Scribe æternitate digna, digna scribe cum tuo Castillionæo (poterat dici olim nostro, cum utroque frui mihi fuetat vel per adversa concessum, qui modo nulla habita studiorum, nulla famæ ratione in lento eogor hoc otio, in curarum domesticarum veterno marcere); digna, inquam, scribe, quæ legat usque ad invidiam provocata posteritas. O beatam horam, qua tuæ ad nos Canonicæ horæ pervenerunt. Num eas adhuc hic tam dulcibus, illic tam nervosis carminibus infarcis? Usque dum prælis illæ torquentur, earum desiderio semper ego torquebot. Gemam ego sub illo typographico torculari, usque illæ dum gemant. Interea effice, ut dicaris iter distulisse, non abrupisse. Invenies pronum semper in tuos amplexus, ut qui pronus te etiam cum Valeriano, longaque amicorum caterva revereor. Vale. Braidæ Idibus Septembris 1642.

2. Heu,

2. Heu, Frater, qui me ſequebatur, interiit, quinque liberorum ſarcina ſuper me exonerata. Tam iniquis temporibus expende, mi Bona, a curis ad ſtudia quæ mihi impoſterum poſſit eſſe vacatio. Pro tui amici germano alienum a tua benignitate non erit aliqua litatione æternum propitiare Numen.

X.

ANDREÆ VALFREDO

JOANNES BONA.

Nil ſibi violatæ fidei reum eſſe oſtendens, amicum ſolatur de morte Fratris.

1. QUas larvas cerno, quas fabulas? Adeo ne tibi videor idoneus eſſe, ut verbo Terentiano utar, in quo ſic illudas? Vix e domo tua importunus hoſpes tot tuis cumulatus officiis digredior, cum ſtatim ad me litteræ querelarum plenæ deferuntur, quibus me & violatæ fidei reum, & promiſſi per nos tranſitus immemorem præcipiti nimium anticipatione condemnas. Non is ego ſum, vir præclariſſime, qui neſciam etiam hoſtibus datam ſervandam eſſe fidem; nec mihi ſponſiones in labiis natant; ſed e matura cordis deliberatione, imo conſultatione procedunt. Illud fixum animo meo eſt, vitæ potius perniciem, quam datæ fidei jacturam pati oportere. Verumtamen ut eſt certiſſimum immaturis deliberationibus celerem incumbere pœnitentiam; ita non dubito, quin jam tu te ipſum damnaveris, quod indebita criminatione fatigaveris innocentem.

2. Quare ad coronidem, ſive appendicem Epiſtolæ tuæ tranſeo, qua fratrem tuum immatura ætate extinctum, quinque liberorum ſarcina ſuper humeros tuos exonerata conquereris. Periit Frater? Hominis eſt dolere, & angi; ægre enim divellimur ab his, quos nobiſcum natura conjunxit. Mœrore autem opprimi, dolori finem non imponere, Philoſophi non eſt, Valfredi non eſt. Sic hos rerum viciſſitudines examinant, ut ſingulares viros, ſingularia quoque infortunia probant: *Quia acceptus eras Deo*, ait Angelus ad Tobiam, *neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*. At hoc de genere ſtultus ſim, ſi te velim plura docere, virum doctiſſimum, cui innumera documenta ſacra, & profana eruditio ſuppeditant. Nam nec dolendum quidem eſſe ex Philoſophiæ ſcitis, ex Chriſtianæ Fidei arcanis, ex Providentiæ Divinæ immobili in rebus mobilibus diſpoſitione tu noſti. Hoc tantum moneo, ne tui ipſius in hac re obliviſcaris, ne imperturbabilem animi tui conſtantiam hæc qualiſcumque adverſitas frangat. Salutant te Valſania, Goltius, & Abbas noſter Caſtillionæus, quibus plurimam ex te ſalutem dixi. Caluſium non vidi, jam enim diſceſſerat cum Excellentiſſimo Marchione Eſtenſi Domino ſuo, Romæ, ut ajunt, aliquantiſper commoraturus. Thomæ Operto, Muſarum eximio cultori, meo nomine proſpera cuncta auſpicare. Te autem amicorum præcipuum, ut valeas, & me ames, precor. Auguſtæ Taurinorum VI. Kal. Octobris 1642.

Tob. cap. 12. verſ. 13.

XI.

X I.

D. JOANNI BONA

ANDREAS VALFREDUS

In Patriæ Consulem electus, frequentius scribere prohibetur.

SI de amicis, o mi Bona, ex scribendi desuetudine, aut continuatione judicium facias, causæ meæ non sum valde bonus Orator in præsens, qui tam longum tacuerim. Hoc unum moneo, calculo me laborare, non quidem eo; qui in renibus, & vesica, ut vita nos exuat, arenosis identidem tegumentis superinduitur, sed eo, qui mihi aterrimus inimico suffragio, me Patriæ meæ Consulem damnavit. Forsitan etiam vix bene noveris, quam maxima utar excusatione, contra quod in Derthonensi nuperrime jactabundus vaticinabar elogio. In Hyberna Gallorum rediit exercitus, & duplex huc cataphractorum equitum ala concessit. Vix me thalamo nox, mensæ dies nec accumbentem vidit. Miserum Provinciæ fatum, infelix regionis oroscopus. At o ne longi simus. Valete interim vos, & in meam invidiam quiescite. Jussus sis nomine meo Goltio salutem, & Valzaniæ dicere. Abbati nostro Castillionæo dic semper, etiam non jussus. Braidæ IV. Idibus Januarii 1643.

X I I.

ANDREÆ VALFREDO

JOANNES BONA.

Gaudet, quod in Patriæ Consulem electus sit, fortique animo esse jubet.

EGO gaudeo, & tu angeris, mi Valfrede; quodque tibi mœrorem, mihi maximam affert jucunditatem. Publicis nimirum votis in Patriæ tuæ Consulem electus es, & doles, quod ab eo otio ad negotia, a domesticis, & privatis curis ad civiles, & forenses importuna palingenesia transmigraveris. Vide, quam dispar in me vivat affectus: ab hac eadem causa lætitiam meam derivo, tibique, ac Patriæ plurimum gratulor. Tibi quidem, quod omnium judicio idoneus sis repertus, qui tot inter ærumnarum procellas ad clavum residens, decumanos fluctus tua industria frangeres, & scopulos vigilantia declinares, ac in tanta malorum congerie medicam languentibus manum adhiberes. Patriæ vero, quod talem sibi virum præfecerit, a quo solo sperare posset in bello pacem, in periculis securitatem, in annonæ caritate omnium bonorum affluentiam; sed forsitan modestia tua ab eo te munere revocat, ad quod te merita vocant, illudque Poetæ sedula cogitatione revolvis:

.... tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant........

Verum nec te, nec tui similes minax ille versiculus perstringit. Tu ipse nosti, quibus timenda ruina sit, Icaris scilicet, non Dædalis; Tyrannis, non Principibus. Macte igitur virtute tua, tibique soli te natum non esse memineris. Erumpant flores in fructus; & qui hactenus legenda scripsisti, nunc demum incipe scribenda parare. Inter graviora discrimina virtus heroica nitet, solique Atlas, & Alcides, ruenti

ruenti Mundo humeros suppouere possunt. Ego etiam in hoc meo Monastico otio, ut otiosus non sim, ingenium meum ab ignavia remotissimum lucubrationes meæ faciunt, ac disciplinæ regularis assiduæ occupationes. Salutem plurimam tibi dicunt Goltius, & Valzania, & quem præ ceteris amas, Castillionæus, cum quibus frequens de te sermo, & suavissima virtutum tuarum recordatio. Vale, & tecum valeat delicium Musarum Thomas Opertus. Taurini Idibus Januarii 1643.

XIII.

D. JOANNI BONA apud B. Virginem a Vico Abbati

HIACYNTUS AMISTATUS Soc. Jesu.

Laudat ejus Tractatum de Horis Canonicis.

Horas meas non memini me unquam utilius impendisse, Reverendissime Pater, quam in hisce tuis Canonicis Horis evolvendis. O Horas horis omnibus anteponendas! Cœli janitrices dixit olim horas Homerus, Crysippus sorores gratiarum, futurorum nuncias Nonnus, nutrices Claudianus. At fabulose omnes magis, quam vere. Sed his omnibus fungentur imposterum revera muneribus horæ istæ, quas tu de splendidissimo ingenii tui firmamento nuper effundis. Cœli janitrices agnosces, quia tuis reserabunt pro meritis, non hujus, quod oculis aspicimus, Cœli valvas, sed cardines illos immortalitatis, intra quos feliciores in perpetuas æternitates animæ exultabunt. Sorores experire gratiarum, quia omnium Ordinum tibi gratiam amplissimam conciliabunt. Enimvero & iis, qui sacra, & qui profana eruditione lætantur; & iis, quos soluta, & quos ligata pellicit oratio; & iis, qui vario capluntur idiomate, & iis, quibus pietatis, ac religionis intime studium cordi est, facile puto tuas istas horas magnopere placituras. Nec abstinent sane horæ tuæ ab enunciatione futurorum: ecce jam Vates audiunt, nimirum ex nunc plausum nunquam interiturum tibi, & vaticinantur, & pollicentur. Denique nutricum illas gaudere nomine nemo ibit inficias, qui non incuriose adverterit, quam magna in legentium pectoribus amoris erga te incendia sint futura, ut enutriant. Facessant ergo quæ olim aut in lympha, aut in pulvere datæ sunt horæ, scilicet hæ mihi arridebunt imposterum, quas tu de tuo præclarissimo profundis atramento. Illæ nimirum tempus dum metiuntur, abripiunt; istæ dum tempori subtrahunt, æternitati festinant consecrare.



XIV.

XIV.

D. JOANNI BONA Monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterciensis jam Abbati Generali

ANDREAS VALFREDUS.

Conqueritur, quod nimis parcus sit in Epistolis scribendis.

DUM me quæ data Sylva fuit magis aspera eadem (a)
Durior, atque suo robore terra tenet,
Regali quædam veniens de fœmina Monte
Te salvere tuus, mi Bona, jussit, ait.
Obstupui. Quid enim verum modo mentiar? Ut qui
Te procul a nostris rebar abesse plagis.
Protinus arripui calamum, quo percitus æstu,
Carmina solerti hæc sunt properata manu.
Tu ne igitur nostris propius sic degis in oris,
Unum nec scripto, nec venit ore Vale?
Jure quidem doleam, quod & hactenus haud tua paucos
Vel fuit in versus officiosa manus.
Non causis injusta tuis, modo vera fateri
Nequaquam pigeat, nostra querela venit.
Cum te tot titulis oneratum Roma teneret,
Excusanda bono Judice causa fuit.
Temporis impendi curis, jactura severis.
Quod decuit, fuerat tunc pretiosa nimis.
Non ego sim proprios ita stulte austerus in usus,
Anteferam tantis ut mea damna bonis;
Sed nunc ecce vacat, si homini ad tot munia nato
Una superfuerit vel brevis hora vacans.
Si vacat ergo, legas quod amice scribimus; & cum
Legeris hoc, solitas mi Bona redde vices.
Quis tibi namque labor sit id exoluisse volenti,
Cui sic pieriis ora rigantur aquis?
Non idem nos ardor agit, qui dura per annos
Incipimus pigra frigora mente pati.
Non bene conveniunt albis hæ crinibus artes;
Inque mea vatem non decet esse coma.
Nostra cadens ætas positæ est damnata quieti,
Etsi cantet olor, non bene, crede, canet.
Canities rebus, cantu opportuna juventus,
Turpe senex Vates, turpe senilis amor.
Tunc poteram Musis gaudere faventibus, ut cui
Nondum sio toties barba resecta foret.
Sponte sua memini, properabant carmina, quæ nunc
Nonnisi cum rigido pressa labore sonem.
Qui de terrenis animus nil contrahit oris,
Terrenis tamen, heu, subjacet ille malis.
Nunc quoque fert annis tacite labentibus ætas,
Atque illum vitiis imbuit illa suis.

(a) Prima duo carminis locum, a quo scribit, indicant, dictum *Sommariva del Bosco*, illarumque gentium duritiem exprimunt.

 Ast

Aſt aliquando mihi, quod nunc juvat, inter amicos
Ludere, conatus dicere rite potes.
Vos quibus Aonii tam tam prodiga pocula fontis
Contigit, & facile ſemper habere Deas.
Vos Golti, & gens ſacra meis, Valzania, Muſis,
Voſque Bona, in terno corpore ſola anima.
Vos licet æternis devota o Nomina ſæclis,
Vos canite æternum carmina digna legi.
Aſt ego tantorum relegens veſtigia vatum,
Pronus adoranti vertice pone ſequar.
At vos, ſi qua fides, ſocio ſuccurrite inerti,
Et bene conſueto, Tu Bona, ſine Vale. 2. Septemb. 1655.

X V.

ANDREÆ VALFREDO

JOANNES BONA.

Aliis occupatum ſtudiis ſe Poeſi renunciaſſe aſſerit.

SIccine tu mecum, deſueta ad carmina amicum
Cogis, & invitum tangere plectra jubes?
Da veniam Valfrede, & culpam ignoſce fatenti;
Juſſa nequit meritas reddere Muſa vices.
A Phœbo calamos, & verſus ſæpe petivi:
Carmina Apollo negat, carmina Muſa negat.
Fruſtra igitur mentem vexo, nam pangete verſus
Quo magis illa cupit, nil minus illa poteſt.

Serio loquor. A pumice potius aquam, quam nunc a me Poeſim extorqueres. Dudum hæc ſtudia rejeci, aliis occupatus. Tua Elegia elegans, docta, dilucida; Ovidii facilitatem, & Propertii gravitatem redolet. Meum autem Epigramma ſyllogiſmos ſapit, & enthymemata, aut ſcholaſticam ſiccitatem. Detinent me lectiones Theologicæ, quibus quotidie immoror, ac fere immorior. Te enixe deprecor, ut ad has Ædes Deiparæ Virginis venias, & religionis cauſa, & officii erga amicum. Huc ſi veneris, Librum meum de Divina Pſalmodia habebis, & quidem ineptum, ne quid de continuo cenſu tibi decreſcat, ut tua de meo creſcat Bibliotheca: alioquin mittam, cum fidelem latorem nactus fuero. Vale, & me pro te jugiter orantem ama, ut facis. Monte-Regali 4. Septembris 1655.

X V I.

ALEXANDRO VII. Summo Pontifici

JOANNES BONA.

Romam, a Summo Pontifice evocatus, ſpondet, cum primum convaluerit, ſe illuc profecturum.

SErius, quam par erat, Beatiſſime Pater, ad pedes tuos venerabundus accedo: ut enim me alliciebat Sanctitatis tuæ, quam olim ſæpe expertus ſum, ſumma benignitas, ita hactenus deterruit præſentis Dignitatis, qua proxime ad Deum accedis, ſemper auguſta Majeſtas. Vicit tandem diu luctantem inter hos contrarios effectus incomparabilis

parabilis clementia tua, qua me prorsus immerentem, & nihil tale cogitantem e celsissimi Throni fastigio perspexisti, sollicitudinem, quam toti Christiano Orbi impendis, ad hanc abjectam Gregis tui oviculam exstendens: nam & mei meminisse, & ad conspectum tuum evocare dignatus es; ut mihi per litteras, tuo nomine scriptas, Pater Libellus Sac. Indicis Congregationis a secretis, & Comes Nomius significarunt. Illum videlicet, Sanctissime Pater, imitaris, cujus in terris vices geris, *& solem suum oriri facit super bonos, & malos*. Et tuis quidem divinis apicibus statim parere ex animo voluissem, si valuissem: obstat enim contraria valetudo, quæ nunc mihi adversa, & improspera est. Cum vero per eam licuerit, solio tuo protinus adero, & quantum tibi debeam, non verbis, quibus impar sum, sed confusione, obedientia, demissione, ac veneratione profitebor. Interim Deum precor, ut Pontificium tuum omni virtute, & honore locupletet. Ex Cœnobio Divæ Virginis prope Montem-Regalem (*a*) in Subalpinis. Die XII. Septembris 1655.

(*a*) Prope hoc Monasterium in Loco, qui dicitur Vicus, extructum, & Monachis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis traditum a Regia Celsitudine Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis, celeberrimum consurgit Templum Nascenti Deiparæ dicatum, de quo plura scripsere Philippus Malabaila, Philippus Maria Rofredus, pluresque alii apud Franciscum Antonium Porronum.

XVII.

(*a*) CAROLO AUGUSTO Genevensi Episcopo JOANNES BONA.

Postquam se in Sacra Rituum Congregatione enumeratum, & quintam processus Ven. Francisci Salesii partem examinandam sibi demandatam esse enunciavit, causam Monasterii sui Ordinis S. Mariæ de Abundantia in illa Diœcesi degentis Episcopo commendat.

NON patitur virtus, & ingenuitas tua, & status, ac professio mea ab aulica vivendi ratione valde abhorrens, ut petitis alte principiis accessum ad Te, homo ignotus, mihi conciliem; nec ut magno verborum ambitu audaciam meam excusem. Optabam sane, dum in Subalpinis agerem, Monasteria nostra, quæ trans Alpes sunt, invisere, atque ea occasione præsens præsenti commemorare, quæ res me impulerit in admirationem Tui; & quam justis de causis omnibus meis officiis Te mihi colendum proposuerim. Sed Deo aliter disponente vocatus ad Urbem, hanc meam voluntatem, saltem per litteras, declarare hucusque distuli, veritus ne tuis gravioribus studiis importunus obstreperem. Ut vero gratiam tuam impensius desideraverim, non fecit Natalium tuorum splendor, non Episcopales Infulæ, quibus in Ecclesia summo loco præfulges, non alia hujusmodi ornamenta, quæ Tu velut caduca contemnis, sed eximia virtus tua, & doctrina, quarum specimen videram in vita (*b*) Vener. Servi Dei, Patrui, & Antecessoris tui, omni veneratione dignissimi,

(*a*) Is est Carolus Augustus Salesius Tullianus, Sancti Francisci Salesii ex Fratre Ludovico Salesii Comite, Nepos, & in Episcopatu Successor, cui adhuc in Matris utero existenti S. Præsul fauste precatus fuerat, & omen dixerat, ut in Præfatione ad ejus Vitam ipse fatetur.

(*b*) Edita est hæc Vita Lugduni anno 1634. in 4. & decem in libros distributa ab eodem Carolo Augusto, cum esset Genevensis Ecclesiæ Canonicus, Vicarius Generalis, & Officialis, & Urbano VIII. nuncupata.

 quam

quam ea gravitate, elegantia, & eruditione scripsisti, ut nihil unquam meminerim vel sanctius, vel dulcius me legisse. Nunc autem a Sanctissimo Domino Nostro inter eos adscitus, qui Sanctitati suæ in Sacra Rituum Congregatione a consiliis sunt, hoc onus, alioquin humeris meis impar, non sine gaudio suscepi, quia statim jussus sum quintam partem Processus pro eodem B. Viro inter Sanctos referendo, Authoritate Apostolica confecti, examinare, & de contentis in ipso sententiam ferre. Hoc tandem animum meum, ut ad Te scribere præsumerem, excitavit. Spero enim fore, ut dum ego consanguineo tuo, Cœlitum honore donando, qualemcumque operam meam impendo, Tu non dedigneris & me in servorum tuorum numero recensere, & mei Ordinis Monachos, in tua Diœcesi commorantes, beneficiis cumulare. Nec deest occasio; nam est illis controversia ob Parochialem Ecclesiam Abundantiæ (*c*), quam benignitati tuæ maximopere commendo; ut per te, tuamque gratiam, & potestatem optimum exitum votorum suorum consequantur. Nihil illi postulant, quod justitiæ adversetur, quod Sacrorum Canonum sanctionibus, quod nostro instituto repugnet. Tu vero cum bene de nobis meritus fueris, pietatem æmulaberis Venerabilis Patrui tui, cujus erga nos beneficia, ejus Epistolis consignata (*d*), toti Christiano Orbi manifesta sunt. Amplitudinem tuam, Illustrissime Domine, supplex exoro, ut temeritati meæ, vel potius simplicitati ignoscas: Tibique persuadeas me Tibi addictissimum servum ad omnia obsequia paratum semper futurum. Deus optimus Maximus eum perpetua incolumitate omnia tibi feliciter largiatur. Romæ XVI. Kal. Julii 1659.

(*c*) Hujus Abbatiæ meminit Gabriel Pennotus lib. 2. cap. 33. num. 13., & Carolus Joseph Morotius Episcopus Salutiensis. Fundata dicitur a Sancto Columbano, semper tamen fuit sub cura Canonic. Regular. S. Augustini, eisque de anno 1108. die Sabbathi, sexto nonas Maii, Indictione prima, Luna decima octava, Epacta sexta, Henrico Rege regnante, Anno tertio, Arluino Priore, consentiente, & concedente Domino Guidone Præposito Ecclesiæ S. Mauritii de Aghauno, de consensu quoque reliquorum Fratrum, & Amedei Filii Uberti Comitis, & Tutoris ejus Aimonis Gebennensis Comitis: dono data fuit, concessaque tota Vallis Abundantiæ; eademque Donatio confirmata fuit ab Abbate S. Mauritii anno 1255. V. Idus Aprilis. Et tandem eodem S. Francisco cooperante, & adjuvante sub Clemente VIII. anno 1606. Vespasiano Agatia Abbate Commendatario illam dimittente, Canonicis Regularibus alio asportatis, Monachis Fuliensibus concessa.

(*d*) Præter reliquas Beati Francisci Epistolas hanc in rem editas, in Sacrario ejusdem Ecclesiæ (cujus tria Altaria idem Sanctus die 25. Augusti anni 1642. solemni ritu consecravit) conservatur authographa Epistola sub die 18. Maii 1612. qua facultatem concedit D. Joanni a S. Pastore tunc temporis Priori, ejusque Successoribus, approbandi, & mittendi Confessarios, & Prædicatores in universam Diœcesim ad Verbum Dei disseminandum, Confessionesque excipiendas, cum facultate absolvendi a quibuscumque casibus sibi reservatis.



XVIII.

XVIII.

D. JOANNI BONA

CAROLUS AUGUSTUS Genevensis Episcopus.

Negotiorum mole Epistolæ brevitatem excusat: & fassus B. Patrui vitam se in juventute scripsisse, pro posita, ponendaque opera in dicta causa gratias agens, suam vicissim pro Abundantia repromittit.

LItteras Reverentiæ tuæ XVI. Kal. Julii Roma scriptas reddidit mihi Prior Monasterii Lemencini (a) tui tot inter tantasque importunissimorum negotiorum salebras, atque angustias, ut ea revera, sicut & citissimus ipsius Prioris recessus hac ex Urbe, omnino mihi negent otium. Hinc fit, ut cum pluribus ad te pro responso periodis scribere hesterna die decrevissem, cogar hodie pro Attico esse Lacon. Meus de vita B. mei Patrui, & Decessoris liber, excepta materia, imperfectissimum opus est, quod excusaveris, ut primum fœtum, & juvenilis ætatis, quod dixisse sufficiat, illimatum opus. Gaudeo tuis in manibus Acta esse, quibus Venerandi Præsulis Vita sanctissima comprobatur, & ob positam, ponendamque operam gratias in primis ago. Quod spectat ad Parochialem Abundantinam Ecclesiam, arbitralem viam lubens ingredior, vocatis tamen, & auditis iis iterum, quorum interest: & qui ea in causa, & corpore, & animo, & pecuniis, & fama, & curatoribus laboraverunt. Aut Senatus quantum potest, pronuntiet: aut sive is, sive illi conscientiæ utique pondere, & honoris existimatione me exonerent, quamcumque in partem arbor illa nodosa ceciderit, non intermittam, & Reverentiam tuam, & celeberrimum tuum Ordinem aliis in rebus, quod huc usque feci, percolere. Vale, & me haud minus ama. Anessio Genevensium IV. Nonas Julii 1659.

(a) Lemencinum Monasterium, seu Sancti Petri de Lemens prope Camberium sub Diœcesi Gratianopolitana, concedente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino D. Philiberto de Milliet Archiepiscopo Taurinensi, & ejus Loci Priore Commendatario donatum fuit Congregationi Fuliensi anno 1612. suppressis ibidem Monachis Ordinis Sancti Benedicti.

XIX.

Reverendissimo D. JOANNI BONA a Monte-Regali Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Abbati Generali

Frater LEO Carmelita Rhedonensis.

Manuductionem ad Cælum, & Viam compendii ad Deum laudat Mysticæ perfectionis semitam breviter innuens.

1. TUA, Domine Reverendissime, ad Cælum Manuductio, Viaque ad Deum compendiaria ita munus publicum evasit, ut illud invadere cuique privato perinde licitum sit, utile, ac gloriosum. Usus illo jure passivo, ac communi asserui mihi Opuscula vere aurea; statimque, dum lego, exarsi in Authoris venerationem simul, & amorem. Qualis, inquam, novus iste Mercurius? Quantusque Dux e fœce hac terrena, & caduca, ituris ad cœlestia, & æterna? Quam pius, quam probus, quam prudens, quam peritus, quam succinctus, quam

denique

denique securus ? Moysen initio credidi, Dei populum ex servitute Ægyptiorum in Palestinæ lætissima educentem. Paulum progressus, diu a me quæsitum comperi Senecam Christianum. Tandemque currenti a Libellorum metam occurrit per omnia alter Bernardus. Nihil fallor; nihil palpo, Optime Pater, quippe qui Sanctissimi illius Patris proles genuina, illum in suis, tuisque Cistercienfibus perfectissime repræsentas.

2. Enimvero, ut viarum Ducibus, Diis, ac Tutoribus debebatur a peregrinis non tam donativum, quam votivum, ita ego Junioris Tobiæ sanctiori imitamento, Tibi vero scilicet, & fido nostri ad perfectionem itineris Raphaeli, hanc mysticæ perfectionis summam, maxime pro asceticæ vitæ cultoribus in vitem honorarii a me oblatam æqui bonique consules. Affectum non dedignabere, quia vel ipso nomine bonus es. Materia vero ipsa, ipseque tantillus labor non potest esse ingratus: quia ibi propemodum incipiens, ubi desinit, tuæ nimirum *Manuductionis*, aut Appendix, aut Compendii fusior explicatio poterit existimari.

3. Ascetas in Claustro, etiam sub conscientia lethalis culpæ obligant vota ad studium perfectionis. Huic porro non aliud exemplar proponit Christus ipse, quam Cælestem nostrum Patrem, qui ideo Deus, quia nullius egens. Prima Divinæ ejusmodi similitudinis lineamenta, omnium abdicatio, despectus sui, Christi imitatio.

4. Ad eam viam sternunt Oratio, & Mortificatio. Illa duplex: Vocalem, sive imperata sit, sive spontanea, commendant assiduitas, reverentia, attentio. Mentalis trifariam distinguitur. Ratiocinatrix super rebus, aut mysteriis cogitando discurrit. Affectiva variis subinde affectibus excitandis magis incumbit. Contemplativa sublimius evolat ad Deum, illique animarum centro conjunctissime, quietissime; suavissime, amantissime unitur.

5. Ut erudiaris in utraque opus ante omnia habes, præter Numinis illapsum, tuam quoque fidelitatem fidelissimam, Mystagogo, seu Directore, & spirituali Magistro. Unum, consulto prius Deo, prudenter elige peritum, expertum, fidum, cui candidissimum te exhibeas, & per omnia obedientissimum. Progressus autem tui argumentum erit, si ambulas semper coram Deo, præsentiam illius degustans in cordis penetrali; sique tandem animum experiris nullo deinceps affectu irretitum.

6. Mortificatio, dum corpus moderate infringit, animum potentius vegetat. Illud domat, istum deprimit, illexque demum est divinæ misericordiæ præcipuus. Nec quicquam profecto magis juvat sanctimoniam, ut exemplis constat omnium sæculorum, quam genus illud vivendi crudum, & austerum. Incumbit præsertim quinque sensuum depressioni, motuum utriusque facultatis extinctioni, & homini innatæ mobilitatis moderationi. Docetque generatim ab omni specie mala abstinere, licitas etiam voluptates abdicare; nec aliis nullatenus delectari, quam asperis, & molestis. Talis porro vita decet Christianum, pœnitentem, Ascetam, cui emblema illud Pauli optime congruit: *Christo confixus sum Cruci*. (*Ad Gal. 2. 19.*)

7. Inde animi in Deo fiducia plenaria, qui nec sperat quicquam, nec extimescit. Prosperis non attollitur, adversis non atteritur. Omnia videt in Orbe inania, & contemnit: suique tandem ipsius Victor beata pace potitur, totus deinde anhelans ad æterna, & divina.

8. Leges

8. Leges ante alias primariæ duæ : *Declina a malo, & fac bonum : Lava a malitia cor tuum, & quidquid in te est, sanctum effice.* Psal. 36. v. 27.

9. Sordes animæ purgant dolor cordis intrinsecus, spiritus contritus, & humiliatus, conversioque ad Deum sincera, integra, fervida. Accedere debet confessio primum generalis, deinde frequens, accurata, emendata. Satis fit demum variis pœnitentiæ castigationibus, quibus obducuntur peccati cicatrices, maculæ delentur, vitia debellantur, causæque illorum, & radices extirpantur.

10. His nimirum evades idoneus ad virtutem ; si præsertim sedes solitarius, amas silentium, exuis vana, & superflua. Succedent mox intentio pura, illimis, defœcata, ab omni affectu immunis. Conformitas demum nostræ voluntatis cum divina; dum varios inter rerum eventus tranquilla mens quiescit in sinu Providentiæ procul ictu, & metu, totaque veræ, ac solidæ virtuti exercendæ noctu diuque incumbit.

11. Primario, juxta Christi ipsius doctrinam, & exempla, sunt, Humilitas quidquid magnum est, summe diffugiens ; quidquid abjectum est, cum gaudio amplectens. Patientia, quæ ut lilium efflorescit inter spinas, docet hinc abstinere a deliciosis, inde sustinere, & pati quidquid durum : sed Christi instar, dum tamquam ovis mactatur. Paupertas altissima, spolians nos omni saltem affectu, beatitatem gignit, abundatque in divitias simplicitatis. Castimonia parata potius mori, quam fœdari, Deum purissimum meretur intueri. Sobrietas, & parsimonia, per quam, dum deflorescit corpus, reflorescit anima, aliaque innumera, quibus parandis, conservandis, & augendis una in primis est necessaria Fidelitas.

12. Attendit illa vigilans, docilis, & obediens, ut gratiæ motibus obtemperans, quidquid perfectum minus est, eliminet : præscripta etiam vel minima, vel levissima observet quam religiosissime. Unde & fugit impense quidquid inane est, & superfluum, nec aliud attendit quam placere Deo ; quia si placeret hominibus, divinæ servituti renuntiaret.

13. Sed & solidæ debent esse ejusmodi virtutes, ideoque per dura, & aspera confirmandæ. Friget enim sine contrario virtus ; Viduaque illa est, quam non patientia firmat, Calybis instar in aqua demersi, ut rigescat, & splendescat. Virtutem obfirmaut, quæ oppugnant præcipue tria. Viduatur anima non raro gratiæ suavitatibus, donec induatur virtute ex alto. Varie distracta, & occupata, semper sibi constet, necesse est : & sicut aurum in fornace multifariam examinatur ; unde illi pondus, splendor, & pretium majus.

14. Ad eum nempe modum purgata anima, & perpolita sublimius evehetur, ut adhærens Deo unius cum illo spiritus evadat. Beata certe copula, felixque connubium ; quando homo cunctis, sibique inter cuncta emortuus vivit in Dei sinu, & amplexu, Christi fruitur familiaritate, totusque incendio charitatis inardescit. Tunc videlicet *in eamdem imaginem transformatus a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu, resurgit nova in Christo Jesu creatura, vivens ipsa, jam non ipsa, sed in ea, & per eam Christus ipse, ipsemet Deus.* Inde & omnes vitæ appendices divinissimæ. Jugis, & ardens Dei, & Christi amor: zelus ingens pro utriusque gloria ; transfusio in Deum, & Christum, a qua *Sabbatum* illud Isaiæ *delicatum, & sanctum.* Quæ enim ab interiori dulcedine pax Christi exultans in corde, & exuperans omnem sensum ! Quam incon- 2. Cor. 3. 18. Cap. 58. v. 13.

inconcussa mens inter etiam crudelissima! Quam tranquilla, ut sol inter diversa, inque negotiis otiosissima!

2. ad Cor. 3. ver. 17. 15. *Ubi* deinde ille *Spiritus Dei*, *ibi* profecto *libertas*, qua me tunc Filius donat, in quam me Pater adoptat, ut semper juris sui, ac mei sub nullius redigar potestate; radiatque interim cælesti, & divina luce, qua mens illuminata, sapiens, intelligens, prudens, Deo, & Christo sincere adhærer, sibi impense vacar, proximorumque saluti impenditur, quousque ad id impellunt providentia, charitas, obedientia: *Qui enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, illius hæredes, cohæredes autem Christi*, & quatenus licet, perfecti sicuti & Pater noster Cœlestis perfectus est. Ad id nimirum manuducis, Abbas religiosissime., ad id nobis certatim toto nisu adspirandum In Urbe Kal. Octobris anno 1660.

Hæc Epistola impressa legitur Tom. 3. Studii Sapientiæ universalis inter Epistolas selectas ejusdem P. Leonis pag. 226.

X X.

D. Abbati JUSTINIANO
JOANNES BONA.

Priscorum Virorum exemplis illum adhortatur, ut citra immodestiæ notam typis consignet illustriora gesta suæ Justinianææ familiæ.

Litteris tuis mirifice sum delectatus; ex his enim ostendisti quanto me prosequaris affectu, & quibus studiis occuperis. Quod vero a me requiris, an liceat tibi citra invidiam, & immodestiæ notam, quæ Majores tui, aliique Proceres Justinianææ Familiæ memoratu digna egerunt, litterarum monumentis consignare, vix sane dignum puto, ut de eo sermo, vel controversia instituatur. Recte siquidem Plutarchus in illo libello, quo docet, qua quis ratione se ipsum laudare possit, ait: *Usuvenire potest, ut audendum sit Viro civili aliquid de se ipso dicere, non gloriæ illius, aut captandæ gratiæ ergo, sed quia occasio, & res ita postulent: ut sicut alia vera, ita de se ipso etiam proferat. Nam hujusmodi laus bonum producit fructum, occasionem scilicet plurium, & pulchriorum facinorum.* Aristides itidem in Oratione de Paraphtegmate, in qua de licita sui laudatione præclare disserit, inter cætera, ait: *Sicut de altero male loqui vitiosum non est, nisi falsa fiat: ita si quis de se bene, modo vere, nunquam jure reprehenditur. Siquidem qui verax est, is nec alteri injuste maledicet, nec se ipsum, cum opus fuerit, laudare verebitur.* Tu vero, non te ipsum, sed viros eximios ex illustrissima tua familia dignis celebrare præconiis proposuisti; ut quotquot sunt ex eodem sanguine prognati, propriis se divites bonis esse cognoscant, omniumque virtutum exempla paternis in Ædibus nata sibi æmulanda proponant: ne videlicet posteri ab avita generositate suæ stirpis deficiant, e qua tot illustres animæ prodiere: *Idea plerique suam ipsi vitam narrare* (inquit Cornelius Tacitus, Julii Agricolæ Soceri sui vitam describere incipiens) *fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt. Nec id Rutilio, aut Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit.* (Rutilius enim Rufus, & M. Scaurus libros de vita sua, temporum injuria deperditos, ediderunt) Nimis delicati sunt, qui prava hominum judicia pertimescunt. Nec propterea a rebus suis, suorumque descri-

describendis deterriti sunt Viri prudentia, & doctrina conspicui, quos tu ipse longa serie recenses in Præfatione libelli de pretiosa morte puerorum Justinianorum. Non Julius Cæsar Imperator, qui bella sua eodem animo scripsit, quo pugnavit. Non M. Antonius, qui de se ipso libros duodecim posteritati reliquit. Non Anna Comnena, Heroina incomparabilis, quæ de rebus a Patre gestis insigne opus exaravit: *Quod si veritas*, ut ait Polybius, *Historiæ oculus est, qua deficiente, historia in fabulam transit*; æquum sane est, ut illi dumtaxat historiis scribendis incumbant, quibus res gestæ maxime notæ, & perspectæ sunt: illi nimirum, ad quos pertinent, in quorum conspectu peractæ, & in quorum domibus natæ sunt. Nulla igitur ratio est, quæ te juste detinere queat, ne tuas elucubrationes, honori Familiæ tuæ destinatas, in lucem emittas, quas dum avide expecto, perennem tibi, & felicem vitam a Deo obnixe rogo, ad Domus, Patriæque tuæ splendorem, & rei litterariæ incrementum. Vale; ex Cœnobio S. Bernardi ad Thermas Diocletianas (*a*) Idibus Januarii 1661.

(*a*) Ad Thermas Diocletianas Monasterium hoc nuncupatur, quia super earum ruinas, adhuc majori ex parte vigentes constructum. Quin & ipsum Templum ad similitudinem Pantheon erectum, & D. Bernardo dicatum anno 1600. erat earumdem Thermarum Chalidarium. Idem Templum Titulo Cardinalitio, translato illo S. Salvatoris in Lauro, decoravit idem Joannes Bona primus illius Presbiter Cardinalis.

XXI.

PHILIPPO LABBE' Societatis Jesu Presbytero

JOANNES BONA.

Repertum a se primo innuens genuinum Authorem XV. Sermonum de Cæna Domini, inter D. Bernardi Opera, emendatumque cupiens errorem in Dissertationibus P. Labbè emersum, nonnullaque de sua Harmonia, de B. Ogerio, & de Lucediensi Abbatia subdens de quibusdam SS. Patrum Operibus sermonem habet.

1. ADsto coram Te Viro Clarissimo, & magni nominis in Republica litteraria, homo ignotus, & infimi subsellii, fiduciam mihi præbente benignitate tua, & ingenuitate, quæ in scriptis tuis mirabiliter elucet. Causa autem scribenbi error quidam est, qui ab amicissimo mihi Theophilo Raynaudo ad Te propagatus, in Dissertationes tuas ad Bellarminum irrepsit, & inde potest in universum Orbem disseminari. Primus ego sum, qui verum Authorem reperi Sermonum XV. de Cœna Domini inter Opera D. Bernardi, qui est Ogerius Abbas Lucedii. Qua de re cum per litteras admonuissem P. Theophilum, quia ego male characteres pingo, ille *Cucedium* legit pro *Lucedio*. In hunc impegit errorem. Cave in suo Tract. de Script. Eccl. *Cucedii* ponens *Iucedii* loco. Et hic error est, quem emendatum volo, Vir præclarissime, ne locus, qui nullibi est toti terrarum Orbi, pro vero obtrudatur. Oro igitur, & obtestor Te, ut in altera editione tuarum Dissertationum, vel alibi, si occasio tulerit, non solum corrigas præfatum errorem, sed etiam moneas, unde processerit: ut in priori editione tua, & in Codicibus P. Theophili emendari possit.

2. Edidi ego Romæ anno hujus Sæculi 53. librum in 4., qui hunc titulum præfert: PSALLENTIS ECCLESIÆ HARMONIA: & in notitia Autborum operi præfixa, hæc de Ogerio scribebam: *Ogerius Abbas Lucedii, quod est Cœnobium Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Vercellensi, Author est quindecim sermonum de Cœna Domini, inter Opera D. Bernardi, cui synchronus fuit, ut patet ex veteri Codice MS. Abbatiæ Stafardæ* (a) *ejusdem Ordinis, qui nunc est Taurini in Bibliotheca Regiæ Celsitudinis Ducis Sabaudiæ. Extat in Menologio Cisterciensi die* 10. *Septembris, & in Monastico Martyrologio Hugonis Menardi: at hic Oglerum vocat, alii Occlesium*. His addo ad pleniorem notitiam, quod ejus Abbatiæ fit mentio in Decretalibus *Cap.* olim causa *de restitut. spol.* Fundata fuit a Marchione Montisferrati Bonifacio circa annum ML. pro Monachis S. Benedicti, quibus expulsis, suadente D. Bernardo, data est Cisterciensibus circa annum MCXXIII (b) Beatus autem Ogerius eam regebat anno MCXL. Hic nomine Guillelmi Marchionis Montisferrati, Legationem gessit apud Ludovicum Juniorem Franciæ Regem, Comesque fuit ejusdem Marchionis in expeditione Hierosolymitana. Hæc ex Monumentis ejus Abbatiæ *Lucedium* dicitur, quasi *lux Dei*: seu, ut alii malunt, *Locedium*, quasi *locus Dei*. Ogerius autem præter illos Sermones, & Tract. de laudibus Mariæ, alia scripsisse dicitur, quæ, ut puto, non extant. Hoc est præcipuum motivum, quod me impulit ad has litteras conscribendas, Vir Clarissime, sed rogo Te, ut patiaris me pauca adjicere ejusdem argumenti, quæ tibi non ingrata fore confido.

3. Liber de Operibus Christi Cardinalibus apud Cyprianum est absque dubio Arnoldi Abbatis Bonæ Vallis (c), eique tribuitur in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ.

4. Libri de Spiritu Sancto, qui sub nomine Paschasii Diaconi circumferuntur, in Codice item Vaticano MS. nomen præferunt Fausti Regiensis: huncque verum illorum esse Authorem censuit olim P. Sirmondus, ut ex Viro docto, fide dignissimo audivi. Et hæc dudum in mea notitia præcitata adnotaveram.

5. S. Maximi Martyris multo plura sunt Opera in Bibliotheca Vaticana, quam quæ Pater Combefis enumerat in Catalogo a Te edito. Plures quoque S. Nili Epistolas, quam ediderit Possevinus, habet Vir Clariss. Leo Allatius.

(a) Fundata fuit hæc Abbatia juxta Manriquez Annal. Cisterc. Tom. 1. cap. 9. Anno 1135. VIII. Kal. Augusti in Diœcesi Taurinensi; eamque vocat de Strafordia, & Stafordia, & idem consentit Carolus de Wisch. Augustinus Ab-Ecclesia tamen vult eam ædificatam fuisse anno 1122. a Manfredo primo Salutiarum Marchione in Diœcesi Salutiensi, rogatu S. Bernardi, & Ordini Cisterciensi unita. Anno autem 1606. die 24. Aprilis ab Alexandro Scalia (cui commendata fuerat) Comitis Verrucæ Filio unita fuit Congregationi Fuliensi S. Bernardi.

(b) Hujus Locediensis Abbatiæ pluribi mentionem faciunt Mabillonius in Annal. Benedict. Dacherius in vita S. Bononii ejusdem Loci Abbatis, Augustinus Ab-Ecclesia; Henriquez in Menologio Cisterc., & Manriquez Annal. Cisterc. Tom. 1. cap. 4. num. 5. Porro hi duo postremi fundatam eam asserunt anno 1123. XII. Kal. Augusti; facile tamen cum Bona conciliantur. Non enim accipiendum est ly *Fundatam* pro eo, quod tunc ejus fundamenta primo sint jacta; sed quod eo anno Monachis Cisterciensibus tradita fuerit.

(c) In Authoris sententiam conveniunt omnes eruditi, & præsertim Mabillonius in Apol. pro Card. Bona adversus P. Franciscum a S. Augustino, Macedo, Authorem damnati libelli prænotati: *Azymus Eucharisticus*. Hunc quoque Arnoldum non fuisse Monachum Cisterciensem, sed Benedictinum docet Eminentissimus Author in notitia Authorum Harmoniæ præfixa.

6. S. Joan-

6. S. Joannis Damasceni extat copiosissimum Mariale, sive Officia de B. V. ritu græco, in Monasterio Cryptæ Ferratæ Monachorum Græcorum in agro Tusculano (*d*), quod P. Hippolytus Maraccius prælo paratum habet, in latinum translatum.

7. Joannem Cassianum miror, cur nemo adhuc Galliæ vestræ vindicaverit, Vir doctissimus amicus meus pro certissimo hæc habet, in Gallia Narbonensi ortum fuisse: Puerum ostennem in Orientem migrasse: ibi Monachum induisse in Monasterio Scyti, unde forsitan factum est, ut Scyta diceretur. Mihi certe, si quid video, stylus ejus Gallicum Cothurnum redolere videtur. Do occasionem sapienti, & veniam humiliter peto, si ausus sum Anser inter olores obstrepere.

8. Meam Harmoniam, si forte quæ præcitavi in textu legere cupis, invenies apud nostros PP. Fulienses, & in Bibliotheca quondam D. Puteani, & forte apud Bibliopolam Puget, cui ex Urbe quædam exemplaria missa fuerunt. Sed invenies typographicis mendis misere deformatam. Mea vero tot sunt, ut pudeat me edidisse. Nunquam oculis meis incurrit, quin occurrat Ovidianum illud: *Cum relego, legisse pudet*. Vale, Vir doctissime, & de meis inutilibus augeat tibi annos Deus ad Ecclesiæ suæ utilitatem. Romæ XVII. Januarii 1661.

(*d*) Crypta ferrata, olim Tusculanum Ciceronis, seu Villa Tusculana, Locus Latii, in Albana Valle, ad aquam crabram a Tusculo, nunc Frascati, quinque milliariis Austrum versus distans. Nunc autem celebre Cœnobium, licet commendatum vulgari nomine dictum *Grotta ferrata*.

XXII.

D. JOANNI BONA

PHILIPPUS LABBE' Soc. Jesu Presb.

Psallentis Ecclesiæ Harmoniam laudans, emersumque errorem in nova editione emendaturum se spondens, collectionem omnium Conciliorum sibi demandatam esse dicit.

DOleo vehementer, quod cum Dissertationem meam de Scriptoribus Eccl. ad Bellarminum subcisivis horis depromerem, nondum mihi perspecta fuerit elegans vestræ Paternitatis Harmouia, tessellatum illud opus Psallentis Ecclesiæ Asceticis, Theologicis, Poeticis, Rethoricisque floribus distinctum: ex eo enim fonte hausissem plurima, quibus arentes meas areolas identidem irrigassem. Altera die postquam humanissimas vestras litteras accepissem, ad Bibliopolam Puget illico me contuli, repertumque mihi desideratissimum thesaurum comparavi, quo Bibliothecam nostram, quamvis optimis libris refertissimam, locupletarem. Ubi compactus fuerit (cursim enim, atque apiculæ instar delibavi dumtaxat nonnulla) attentius legam, & particularius examinabo; nec carebit illa lectio jucundissimæ voluptatis sperato fructu. Ogerium Lucediensem vestrum, quem plurimi semper faciam, tamquam obsidem, ac pignus nostræ amicitiæ, suis deinceps condecoratum titulis, ac veluti propriis natalibus restitutum non invidebo viris eruditis; ac R. P. Theophili emersum errorem emendari conabor: neque prætermittam commonere, quis egregiæ hujus observationis primus fuerit repertor, & judex. Verum, aut altera erit expectanda editio, aut Dissertatio nova de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui in Bellarmini Catalogo non occurrunt. Hæc sub prælo modo ver-

faretur , aut forte jam exiisset libera , nisi a septem mensibus illud humeris meis impositum fuisset longe gravissimum onus , editionis scilicet amplissimæ omnium Conciliorum, sive etiam excussorum in xxxvii. Tomis Collectionis Regiæ ; tum in variis eruditorum hominum Commentariis, sive nondum e tenebris MSS. Codicum publicam in lucem editorum . Ad Eminentissimum Cardinalem Barberinum per tabellarios singulis hebdomadis mittebantur recentia e prælo folia , synopseos nostræ historiæ , cujus integræ, & perfectæ quinque, aut sex exemplaria transmissa sunt ad eumdem Cardinalem; ad VV. Cl. Holstenium, Allatium, Magium, Raynaudum, ad R. P. Possinum, & forte alios. Ex iis , Paternitas discet , quod sit consilium, quis scopus , & in quo juvare labores nostros possit . Si mihi nota vestra non fuisset humanitas , ac summa cum eruditione conjuncta bene de omnibus, de me, ac libro aliter merendi voluntas , effecissem apud Cramoiseos , aliosque illius Collegii Bibliopolas , ut exemplar unum ad Paternitatem vestram quoque non secus, ac ad cæteros destinassent . Verum id alia ratione , ut spero , perficiam , ac Fuliensium vestrorum opem , in quibus mihi amicissimi RR. PP. Petrus a S. Joseph , Petrus a S. Catharina , & Joannes a S. Mauro , implorare conabor . Interim rogo Paternitatem vestram , ut me Deo bonorum omnium fonti enixe commendet. Lutetiæ 17. Februarii 1661.

De Cassiano librum integrum emisit P ..... , & Maximi Operum Catalogum longe auctiorem , ut audio (nondum enim vidi) edidit Combesisius . R. P. Marraccii Marialia aliquot vidi. Etiam de Damasceni officiis græcis nonnihil ad me scripserat R. P. Possinus, qui hanc tibi a me Epistolam reddet.

XXIII.

D. JOANNI BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Plurimis se titulis devinctum asserens , suam pollicetur operam , ut manuductio ad Cælum in Belgio recudatur .

Ex plurimis titulis obligor profiteri Paternitati vestræ Reverendissimæ , & gratias agere ; quod ex animo facio per præsentes litteras . Quo gratum animum erga vestram in me indignum benevolentiam ostenderem , semper opportunitatem quæsivi . Egi cum primario nostro Typographo de doctrina , & varia vestra eruditione ; unde , & is post breve tempus opusculum vestrum mihi datum , Belgii recudet , cum Enchiridion S. Augustini absolverit . Libellus vester parvus est, at multum placet Academicis nostris . Si huic addere aliquid placuerit , ad me mittere poterit Paternitas vestra Reverendissima . Rogo , ut affectum meum boni consulat . Admodum doleo mortem doctissimi Viri Lucæ Holstenii . Amissi Patronum, cui Deus misereatur , Officiosissime saluto Reverendissimum P. Abbatem Hilarionem , quem una cum Paternitate vestra Deus Optimus Maximus Ecclesiæ Romanæ dudum custodiat. Dabam Lovani die 17. Maii 1661.

XXIV.

CHRISTIANO LUPO JOANNES BONA.

Quod variis occupationibus præpeditus citius respondere distulerit excusatum se haberi rogat. De nova sui libelli editione gratias agit, ejusque diligentiæ illius emendationem commendans; de Holstenii morte sermonem habet.

NEC mea negligentia, nec tui oblivione factum est, quod hactenus a me litteras non acceperis. Dudum siquidem ad te scribere destinaveram; sed variis distractus occupationibus tam diu distuli, donec jucundissimis tuis præventus sum. Ipse nosti, quæ sit in hisce Congregationibus, quibus inservio, negotiorum frequentia, tanta omnino, ut vix interspirandi sit locus. Rogo igitur, ut me excusatum habeas. quod vero isthic parvum libellum meum recudi cures, & gaudeo vehementer, & gratias maximas habeo. Quod vero Academicis vestris placeat, non ejus merito, sed tuæ adscribo commendationi. Nihil ei addendum censeo: sed obnixe dumtaxat rogo, ut pro tua in me benevolentia, a typographicis mendis, quantum fieri poterit, emendatum prodire satagas: hoc enim nomine editio ista gratior erit. cum autem excusus fuerit, oro, ut unum ad me exemplar transmittas. In morte Lucæ Holstenii magnam res litteraria jacturam fecit. Paulo ante obitum, mecum de amicis suis disserens, mentionem tui fecit multa cum laude. Sicut vixit, ita obiit: pie, Christiane, Philosophice. Emissa Fidei professione, veterum PP. more jussit sibi legi Hymnum Prudentii de resurrectione: *Deus ignee fons animarum*. Reverendissimus Abbas Hilarion (*a*) sat bene se habet, tuique memoriam summa cum benevolentia facit. Plurimam illi salutem dixi verbis tuis, tibique gratias agit. Ego autem nihil impensius opto, quam ut mea opera libere utaris. Tibi enim persuasissimum esse volo, neminem te reperturum, qui majori studio, & diligentia tebus tuis inserviat. Deus te nobis incolumem perpetuo servet. Romæ 9. Aprilis 1661.

(*a*) Is est Hilarion Rancatus Mediolanensis, Abbas S. Crucis in Hierusalem de Urbe, Ordinis Cisterciensis, necnon Procurator Generalis; Sacræ universalis Inquisitionis Consultor, omnium linguarum peritia, ac cognitione celeberrimus. Ejus virtutes breviter commemorant lapides duo: alter supra ejus tumulum in eadem Basilica: alter præ foribus Bibliothecæ ejusdem Monasterii, quam ipse optimæ notæ Codicibus locupletarat. Obiit autem XVII. Kal. Aprilis anno 1663.



XXV.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA

S. Patris Benedicti spiritum in Maurina Congregatione reviviscentem, Dacheriumque studiis sanctioribus occupatum laudans, & ad eundem S. P. Bernardi Tractatum MS. mittens, ejusque Operum ideam spondet, gaudens, quod novissimam illius Operum editionem, a se jam antea præcogitatam moliatur.

MAximæ meæ felicitatis fuit, quod paucis abhinc mensibus in viros Religiosissimos Procuratorem vestrum Generalem, & socium ejus D. Arnaldum, Deo duce, inciderim, quorum, mediante benignitate tua, mihi optatissima benevolentia conciliata est. Nusquam Monachos vidi, in quibus magis eluceat verus ille, & genuinus spiritus Sanctissimi Patris nostri Benedicti, quem ipse in regula exprimit, & in vita ipsius M. Gregorius describit. Gratulor hoc nomine Congregationi vestræ, per quam Deus Monasticam disciplinam, e Monasteriis diu exulantem, restituit. De te vero quidem audieram a Viro clarissimo Luca Holstenio, qualis vir esses; & quam mirifice studiis sanctioribus deditus; atque, ipso commodante, perlegeram Lanfrancum tuis eruditissimis notis illustratum; & primam, & secundam Spicilegii partem, quod in plures jam Tomos crevisse cum summa exultatione ex jucundissimis tuis litteris intelligo. Tractatum MS. S. P. Bernardi R. D. Arnaldo consignavi, ex antiquo illo Antiphonali fideliter transcriptum: nisi quod alicubi mendosus Codex, & litterulæ quædam corrosæ sensum integrum non reddunt. Editio autem omnium Operum ejusdem S. Doctoris, quam moliris, gratissima mihi, & commoda Asceticæ Theologiæ Professoribus erit. Paraveram & ego novam ejus editionem, sed aliis studiis pro Apostolica Sede occupatus, eam perficere prorsus despondeo. Hujus ideam, si volueris, describi curabo, & ad te deferri. Quod si quid studiis tuis in Urbe pro virium mearum tenuitate prodesse potero, etiam atque etiam rogo, ut id mihi per Monachos tuos hic commorantes significare non graveris: nam tuis commodis me semper paratissimum invenies. Vale: & Reverendissimo P. Domino meo, Generali vestro, quem demississime veneror, plurimam meo nomine salutem dicito. Romæ 4. Octobris 1661.



XXVI.

XXVI.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Delineatam a Bona Ideam Operum D. Bernardi pro nova eorumdem editione ratam habens, aliam tamen exhibens, D. Claudii Chantelou seriem subdit, pluraque alia superesse S. Bernardi Opera examinanda asserens, numquam ab aliis factam suspicit observationem, seque illius mentionem in Præfatione facturum pollicetur.

1. PErgrata mihi sane fuit tua responsio data 1. Novembris, qua non solum acceptum habere obsequium meum in Librorum Ecclesiasticorum Ordini Monastico assuetorum indicandis pretiis significasti; verum etiam ingenita, singularique humanitate meam prævenisti petitionem, seriem videlicet, seu ideam tuam novæ editionis Operum Sancti Bernardi delineando, de qua gratias ago quam maximas. Porro seriem hanc noster D. Claudius Chantelou approbat quidem, tamquam docte, & perite ordinatam (cui ego calculum adjicio); sed cum doctrinam Sanctissimi Doctoris ipse Ascetis proponat, ac divisim Tomos distribuere intendat, a sermonibus initium sumere, ac ducere censuit, censuereque Viri eruditi. Sermones autem, priores secutus editiones, ac MSS. Codices antiquiores, partitur in hunc modum. In prima parte sermones ponit de tempore, seu de mysteriis Christi; in secunda sermones, ut habent MSS. communes, seu de diversis, quos idcirco præfatis adjungit, quia eos maxima ex parte S. Bernardi protulit eo temporis interstitio, quod Pentecosten inter, & Adventum, atque inter Epiphaniæ Octavam, & Septuagesimam intercedit; seu demum, quod iisdem locus hic detur in nonnullis Codicibus manu exaratis: in tertia Parte sermones de Sanctis, quibus præmittuntur sermones de laudibus Mariæ, sive super *Missus est*; nempe Ordo iste Sanctorum Reginæ debetur. In quarta sermones in Cantica Canticorum; sermones vero in Psalm. *Qui habitat*, Quadragesimalibus inseret; quandoquidem & ad id tempus pertinent, & in variis itidem Codicibus MSS. sic collocantur. Post omnes illos sermones, Appendicis loco, adjungere poterit parvos sermones, sive sententias S. Bernardi, modo nihil inter legendum occurrat, quod veluti suppostitium foret rejiciendum; subodoratur enim ex vetustis sermonum collectionibus hinc inde consarcinatis, ac in unum volumen ab aliquo Scriptore indiscriminatim reductis, eos fuisse inter genuina S. Bernardi Opera traductos: imo complures videntur tantummodo sermonum præmeditatæ dispositiones. Sunt & alii sermones Bernardinis interjecti, quorum haud dubie Author dignoscitur Nicolaus ejusdem S. Patris olim Secretarius, ex scripto nimirum Codice, qui Nicolai sermones complectitur; ac præceteris sermo ille de Sancta Magdalena, quem Horstius S. Bernardo, & Cajetanus Abbas una cum aliis Nicolai sermonibus S. Petro Damiano supposuere. De aliis S. Bernardi Tractatibus, nihil in præsentiarum certo asserere potest, quippe qui eos adamussim nondum discussit, neque ad MSS. contulit. Pene exciderat e memoria subjicere, quod jam notaverunt alii, Homiliam, vel, ut alii volunt, declamationem in illud: *Dixit Petrus ad Jesum: Ecce* Matth. 12. vers. 27.

nos

nos reliquimus omnia &c. falso hactenus Mellifluo Doctori adscriptam; siquidem Gaufridus Abbas Igniacensis (*a*) primum, deinde Claraevallensis Author deprehensus est in MSS.

2. At ne sim prolixior, atque adeo meliores tuas horas, quas Ecclesiae utilitati pie, docteque impendis, conterere cogar, manum e tabula subduco; ac tibi, ut sit felix labentis anni finis, ac felicior proxime subsequens, quemque felicissime decurrat, Christum Salvatorem animitus exoro. Parisiis in Monasterio Sancti Germani a Pratis die 2. Decembris 1661.

3. Quod ad observationem attinet tuam de Authore sermonum XV. de Coena Domini, plurimi facit, mireque extollit idem P. Claudius; & merito quidem; cum hucusque eam adverterit nemo, quam (ut scias) & gloriosum nomen tuum in Praefatione minime praetermittet.

(*a*) Igniacum Clarae-Vallis Filia, celebris Abbatia in Dioecesi Rhemensi, anno 1127. a Raynaldo Rhemorum Archiepiscopo fundata, & anno 1130. consecrata. Vide Jongelinum in notitia Abbatiarum Ord. Cisterc. Menol. Cist. Manriquez in Annal.

XXVII.

D. LUCAE DACHERIO

JOANNES BONA.

Pro recuperata Dacherii valetudine gaudens P. Claudii consilium in nova Operum D. Bernardi editione, & diligentiam in segregandis genuinis a spuriis foetibus commendat.

Binas abs te litteras accepi novissime mihi jucundissimas, quarum priores gratissimum valetudinis tuae nuncium post diuturnum morbum attulerant: qua de re & Tibi, & Reipublicae litterariae, cujus commodo vivis, amantissime gratulor: tum Deo humillimas ago gratias, precorque, ut te diu incolumem servet. Ex posterioribus autem intellexi, quod sit consilium R. P. D. Claudii Chantelou in nova editione Operum S. Bernardi, diversum quidem a meo, sed Ascetis commodius, imo mea sententia necessarium. Neque enim utile foret eis in limine proponere Epistolas, quarum plurimae negotia continent, turbasque forenses. Laudo igitur propositum ipsius, laudo sermonum methodicam dispositionem in quatuor classes; laudo tandem summopere, quod venerandae antiquitatis monumenta perlustrans, pretiosum a vili segreget, legitimos scilicet foetus a spuriis, & suppostitiis. Hoc vero quam libenter legi, quod verus Author Declamationis in illud: *Ecce nos reliquimus omnia* sit Gaufridus Abbas (*a*); si antiqui Codices MSS. consentiunt, illi asserenda est. Gaudeo, quod placuerit vobis notitia veri Authoris sermonum de Coena Domini. Ego Romae anno 1653. edidi librum in 4. de divina Psalmodia historicum, symbolicum, & asceticum: & in notitia Authorum, quos cito, Operi praefixa, haec de Ogerio notavi: *Ogerius Abbas Lucedii &c.* (*b*) Addo, quod in praecitato Codice est alius Tractatus ejusdem Ogerii de laudibus Mariae. Quaeso, ut D. Claudio gratias quam plurimas meo nomine agas ob laborem, quem utiliter S. P. Bernardi

(*a*) De Authore Declamationis, & Gaufrido Abbate consulenda est admonitio Mabillonii Vol.2. Tom.V. praefixa huic Tractatui.

(*b*) Videnda est Epistola vigesima prima ad num. 2. cum notis.

Ope-

Operibus illustrandis impendit, quod si illius, tuisque studiis quidquam prodesse possum, etiam atque etiam obtestor, ne me patiamini vobis inutilem servum esse. Det tibi Deus cœpti anni felicissimum cursum; pluresque addat ad Monastici Ordinis, & Ecclesiæ decus. Reverendissimo P. Generali vestro fausta omnia precor, ipsumque per te humillime veneror. Romæ 27. Decembris 1661.

XXVIII.

D. JOANNI BONA

PETRUS POSSINUS Soc. Jesu Presbyter.

Ostendit Petrum Aurelium in ea fuisse sententia, quod Sacerdotalis character, & Episcopalis dignitas per peccatum mortale deleantur.

1. STatim atque domum redii a sermone habito cum Reverendissima Paternitate tua, & honesto illo Sacerdote, cujus nomen ignoro, qui negavit mihi Petrum Aurelium docere Sacerdotalem characterem, & Episcopalem dignitatem per peccatum mortale deleri, adii continuo librum, unde id hauseram; & reperi nequaquam memoria me lapsum, sed revera ita esse, ut dixi. Quare ne Reverendissima Paternitas tua ex tam præcisa negatione gravis illius, & Venerabilis Viri suspicari possit me Petro Aurelio imposuisse, putavi describenda hic duo illius Authoris loca, quæ fidem asserto meo faciunt.

2. Petrus Aurelius Vindiciarum pag. 319. editionis anni 1646. *Tanto facilius extinguitur Sacerdotalis dignitas, quam Regularis status, simul atque Castitas deficit: ut non solum deletio Castitatis vinculi, sed quælibet ejus infractio perimat Sacerdotium, secus quam Monasticum statum, qui nullis magis convenit, quam lapsis, & facinorosis.*

3. Iterum idem Petrus Aurelius Vindiciarum pag. 296. *Imperitissimum est quærere, an Episcopatus media habeat, quibus Episcopus a peccato ad gratiam transeat, ex injusto justus efficiatur. Clarissimum est enim, Episcopum peccatorem resurgere non posse per media statui propria, cum hoc ipso, quod peccator est, statum amittat ex primævo jure, nec amplius in eo sit.*

4. Hæc sunt Petri Aurelii verba, quæ mirum est honoratum illum Dominum apud eum non legisse, cum ejus opera sibi probe perspecta præsetulerit: aut, si legit, non fuisse offensum temeritate falsi dogmatis, quod Sac. Constantiensis Synodus in Wicleffo, & Husso damnavit. Horum enim Hæreticorum hic refertur articulus XV. *Nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Oro Paternitatem Tuam Reverendissimam, ut communicare dignetur hanc Epistolam illi Reveren. Sacerdoti, ut is quoque videat me non esse locutum sine fundamento. Vale Reverendissime Pater. Scribebam in Domo nostra professa Romæ die 20. Decembris 1661. hora prima noctis.



XXIX.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Distinctam exhibet notitiam Libri prænotati Speculum Virginum Peregrini, *quem utpote luce dignissimum, se curaturum transcribi spondet e Vaticano Codice facultate Pontificia prius obtenta.*

RETulit mihi P. Flambart cupere te summopere ex Bibliotheca Vaticana *Peregrini speculum Virginum*; sed veteri, ne jam typis vulgatum sit sub alio nomine. Hoc audito eo statim me contuli, & quia notus ibidem sum, petii Codicem, & diligenter examinavi. Et primo quidem reperi longe diversum esse, & stylo, & methodo a libro Aldelmi de laud. Virginitatis, quod tu verebaris. Deinde animadverti nondum esse impressum, cum tamen luce dignissimum sit. Spissum volumen est, in membranis graphice exaratum, in fol. pag. 269. sic inscribitur: *Incipit Dialogus Speculum Virginum dictus*. Dividitur in duodecim partes. Colloquuntur Peregrinus Presbyter, & Theodora Christi Virgo. Hoc est initium Præfationis: *Ultimus Christi pauperum Virginibus sacris gaudium assequi beatæ æternitatis. Cum omnis homo naturali quodam ordine ducatur ad principium suum repetendum, idest Creatorem suum*. Ipsum vero opus sic incipit: *Collaturo tecum, o Theodora, de floribus Paradisi, de fructu germinis Ecclesiastici, idest de sanctitate Virginalis vitæ &c.* Definit autem in hæc verba: *Itaque dilectæ Matris nostræ, quæ sursum est Hierusalem, vel memoria delectentur in via, donec veniat, quod perfectum est, & evacuetur, quod ex parte est in Patria*. Erat Codex, ut alia manu notatum est in fine, Monasterii B Mariæ Magdalenæ in *Franckentall* (a) inter Spiram, & Wormatiam, Canonic. Regul. S. Augustini. Quis fuerit Author (b) forte dignosci poterit ex accurata ipsius Libri lectione. Ego sane conjicio Monachum fuisse, tametsi in Præfatione Presbyterum se nuncupet. Character non est admodum antiquus; stylo utitur nobili, & eleganti: multa in eo pietas, & non vulgaris doctrina. Puto, quod exornaret vel tuum Spicilegium, vel Asceticam Bibliothecam. Si transcribi jusseris, quia fieri nequit sine licentia Summi Pontificis, ego petam a Sanctitate Sua; nihil enim mihi jucundius accidere potest, quam si studiis tuis aliquo modo prodesse possim. Deus te incolumem servet ad multos annos. Scribebam Romæ die 12. Januarii 1662.

(a) Fundatum fuit prænotatum Monasterium una cum Sanctimonialium Cœnobio eidem annexo anno 1135. a Buggone Wormatiensi Episcopo. De quo legendus Trithemius in Historia Hirsaugica ad annum prædictum, & Gabriel Pennotus lib. 2. cap. 39 §. 5.

(b) Author hujus libri est Conradus Hirsaugiensis Monachus Ord. S. Bened. ut infra ex Epistola XXXVI.

XXX.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Gratias agit pro misso Peregrini speculi specimine, obstrictumque se fatetur, rogatque eum, ut præfatum Tractatum transcribi curet.

1. TAntum est, quod mihi contulisti, ut de tam singulari benevolentia quid sentiam, scriptis vix exprimere valeam. Etenim, uti verbulo significavit noster P. Procurator me Tractatum Peregrini optare, non prius quievisti, quam te in Vaticanum transferres; illumque, sepositis quæ te ad Ecclesiæ utilitatem, decusque detinent studiis, discuteres, atque litteris doceres, quid contineret; quanti etiam pretii esset faciendus, indigitares. Sane ita beneficiis haud meritum ita cumulas in dies, ut me tibi obstrictissimum fatear oportet. At nihil prorsus cum in præsentiarum habeat tenuitas mea, quid reponat, vel gratias, quas hisce litterulis ago, velim, suspiciat tua insignis humanitas.

2 Sto igitur, Reverendissime Pater, judicio, quod de Peregrino tulisti; quippe qui in lege antiqua longe versatus es; & quandoquidem virtus egregia, atque eruditio non vulgaris tibi facilem non modo aditum, sed & librorum Bibliothecæ Vaticanæ usum paraverunt, obnixe rogo, ut pro tua erga me voluntate excribi cures præfatum Tractatum, nisi forte id grave sit, aut remoram injiciat tuis negotiis. Tum quidquid pecuniæ impenderis pro scriba, refundet R. P. N. D. Gabriel Flambart. Quod si præstiteris, certe beneficia in me augebis tua: & ego, ut te Deus remuneretur, atque optime valentem, ac florentem nobis diutissime conservet, supplex exoro. Parisiis in Monasterio San Germano die Virgini Scholasticæ sacra 1662.

3. Reverendissimam Paternitatem tuam plurimum salvere jussit suo nomine Reverendissimus P. Generalis noster. Sub prælo sudant Tom V. Spicilegii nostri, Tom. IV. Bibliothecæ Asceticæ, & Operum S. Bernardi Tom. I. necnon S. Gertrudis Revelationes, vulgo insinuationes dictæ.

XXXI.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Destinatum se dicens a P. Generali ad novam Parisiensem editionem Opusculi Via compendii ad Deum, *gratias agit pro obtento a Summo Pontifice Peregrino, & pro opera Amanuensi præstita.*

1. JUssus ego diebus abhinc paucis a Reverendissimo P. N. Generali, ut iterum typis mandarem aureum Paternitatis tuæ Reverendissimæ Opusculum *Via compendii ad Deum*, quo per diversa Congregationis nostræ Monasteria mitti, ut unicuique Monacho in hujusmodi cœlesti theoria versato possit distribui, id oneris volupe admodum suscepi, tum propter operis utilitatem, tum etiam, ut nonnihil obsequii erga te mei, hanc nactus occasionem exhibeam. Porro ad

ad opus me accingere nolui, quin prius Reverendissimam Paternitatem tuam monuerim, si quid forte habeat adjiciendum, corrigendumque, ad me quantocius transmittere dignetur. Siquidem emitti debet characteribus multo elegantioribus, ac in forma paulo majori Opusculum istud.

2. Cæterum insigne est beneficium, quo me singulari studio obstrinxisti, dum videlicet Peregrinum a S. Sanctitate obtinuisti non modo; verum & Amanuensem in Monasterio admisisti, & verba omnia ipsemet discussisti, & ad vetus apographum contulisti. Mirum quod Vir tam egregius maximi momenti negotiis continuo detentus, ac prope obrutus, tempus voluerit, potuerit, verius dicam, in hac re terere. Unde cum parem gratiam tibi, ac mereris, rependere scriptis meis non valeat tenuitas mea, rogavi prioribus litteris, rogoque novissimis R. P. D. Gabrielem Flambart, Procuratorem nostrum Generalem, id officium suis verbis, hoc est gratiarum actiones pro me præstet Reverendissimæ Paternitati tuæ, quam Deus diutissime nobis incolumem servet. Parisiis in Monasterio San Germani die 19. Maii 1662.

X X X I I.

Reverendissimo P. Superiori Generali Congregationis Benedict. S. Mauri

JOANNES BONA.

Gratiis P. Generali redditis pro novissime Parisiis impressa Via Compendii ad Deum; ad eundem librum de divina Psalmodia transmittit.

Audaciæ culpam deprecor, quod homo ignotus ad te scribere audeam, tuisque gravissimis occupationibus inconcinnis hisce litteris obstrepere. Audendi fiduciam præbuit benignitas, vicitque pudorem meum amor singularis, quo vestram Sanctam Congregationem prosequor, in qua Spiritus SS. P. N. Benedicti, priscorumque Monachorum pietas, doctrina, & decus omne revixit. Deinde gratiam tuam summopere ambio, & veritus sum, ne diutius tacendo ingrati animi notam incurrerem, benevolentiam tuam nullo meo merito, rem scilicet pretiosissimam, nullo pretio consecutus. Opuscula mea ascetica grata tibi fuisse dudum audieram a Viro religiosissimo, meique amantissimo D. Gabriele Flambart, vestro in Urbe Procuratore Generali; at nunc insuper admonuit me Vir Clar. D. Lucas Dacherius jussisse te, ut Via compendii ad Deum Romæ pene mortua, altera elegantiori editione Parisiis reviviscat. Hoc sane maximum beneficium est, & tam eximium, ut nulla occurrat formula, qua tuæ humanitati gratias agam; nec enim par sum solvendo, Reverendissime Pater, admodum enim exiguum, & exile est, quidquid mea tenuitas potest. Tamen polliceor me nunquam tanti beneficii immemorem futurum, semperque agam pro viribus, ne omnino ingratus sim. Si quid hic possum per me, vel per amicos, id totum tibi, & universæ Congregationi vestræ libentissime impendam. D. Gabriel tuus, & meus misit Dominationi tuæ Reverendissimæ filium meum primogenitum, Librum videlicet de divina Psalmodia secundis curis a me corre-

correctum, & auctum. Obsecro ut illum excipias eadem charitate, qua fratres suos minores amplecti dignatus es; cum tibi placuerint, fecisti ne mihi displiceant, tum animum addidisti, ut alios quosdam perficiam, qui si Deo cœptis annuente ex sententia processerint, nonnihil forsitan rei asceticæ me contulisse arbitrabor. Deus te diu incolumem servet, Reverendissime Pater, vestræque Congregationi copiosissimam benedictionem de rore Cæli, & de pinguedine terræ largiatur. Id ex animo opto. Romæ 12. Junii 1662.

XXXIII.

D. JOANNI BONA

BERNARDUS AUDEBERT Superior Generalis Congregationis S. Mauri.

Pietatem, doctrinam, & spiritum elucentem in Operibus a Bona editis admiratur, laudatque.

AGnosco in S. Bernardi Successore dignissimo eximiam illam arborem secus decursus aquarum cælestium plantatam feliciter quandoquidem & per exempla Sanctorum operum dat fructum suum in tempore suo; & ipsa ejus folia sunt ad sanitatem gentium: scripta inquam, divina super mel, & favum dulciora. Feci equidem sedulo pro eo, ac debui, ne unum hujusmodi foliorum, quantocius in manus meas venit, deflueret in oblivionem, pietatis omnis, ac justitiæ novercam. Sed nec facere possum, quin vehementer tibi gaudeam, quod Spiritus Domini super te fuerit, dirigens per semitas æquitatis, ut de oratione tractaturus, a Psalmodia exordium inciperes. Hanc enim dixerim esse, nec frustra, præviam orationi, paraturam, a Spiritu Sancto per os Sapientis commendatam, adeoque mandatam, quæ affectus humanos temperat, ne animæ Dominum in se loquentem audienti obstrep nt; quæ animam ipsam irriguo inferiori proluit, ut superius expeditissime consequatur. Sit vena tua benedicta, & fontes tui deriventur foras magis magisque ad Dei gloriam, & Ecclesiæ Sanctæ solamen singulare. Illam porro gratiam, quam rebus nostris polliceri dignaris, non abjicio; immo tam amplector lætus, quam terra sitiens imbrem de Cœlo hauriat venientem: gratiasque ago Deo maximas, qui hanc voluntatem in corde tuo dederit, obsecrans, ut eamdem & ipse custodiat semper, & tu in tempore opportuno exercere non graveris. Cæterum cum summas animi tui dotes, & virtutes egregias medullitus veneror, tum illam potissimum, qua titulum tibi assumis, quem mihi vicissim exambio, utpote prono ex toto corde. Parisiis 14. Julii 1662.



XXXIV.

XXXIV.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Ad varia quæsita de translatione Festorum respondet, methodum pro nova editione Operum S. Bernardi ratam habet, doletque, quod variis occupationibus distractus nullam in secernendis ejusdem S. Doctoris Operibus operam conferre possit.

1. AD primum dubium propositum circa ordinationem Officii pro anno proxime venturo respondeo breviter: Officium Inventionis Sanctæ Crucis absque ullo dubio transferendum esse ad fer. 6. post Oct. Ascensionis, quæ est prima dies non impedita Festo duplici, vel semiduplici. Neque obstat ratio in contrarium allata, quod potius debeat transferri Officium S. Catharinæ Senensis, quia die quarta Maii, cui adscripta est in Kalendario, non est dies Natalis ejusdem; hoc siquidem non attenditur. Sufficit enim, quod habeat locum fixum in Kalendario, qui, cum semel alicui Festo tributus est, non potest amplius mutari, ut det locum Festo translato. Nec etiam refert, quod reliquæ Ecclesiæ Officium S. Crucis celebrent in crastino Ascensionis, quæ dies ipsis non est impedita: quia unaquæque Ecclesia debet in his servare ordinem sui Kalendarii. Fiet igitur feria sexta post Octavam Ascensionis Officium S. Crucis nulla facta commemoratione Feriæ, nec ad laudes, nec in Missa, sed tantum in secundis vesperis, propter Officium Sabbati sequentis. Hæc est certa, & indubitata praxis Romanæ Ecclesiæ, longo usu, & variis decretis Sacræ rituum Congregationis approbata, & confirmata.

2. Quod attinet ad novam editionem Operum S. Bernardi, summopere laudo consilium P. Chantelon, rejiciendi scilicet in postremum locum sermones de diversis; idque placebit omnibus eruditis; nam revera multi ex illis nec stylum, nec spiritum redolent Sancti Bernardi. Diligenter examinandi essent, & cum antiquis MSS. conferendi. Certe irascor continuis occupationibus meis, quas tu nosti; me etenim impediunt, ne possim aliquid conferre in secernendis veris, & genuinis fœtibus S. Patris mei a falsis, & suppostitiis. Quamquam non deerunt in Sacra vestra Congregatione Viri docti, & sapientes, qui hoc accuratius, quam ego possim, præstabunt; & ipse in primis P. Chantelon, cui precor a Deo sospitem vitam, & omne bonum; Vale, & precibus tuis me commendatum habeto. Ex Monasterio S. Bernardi ad Thermas 8. Septembris 1662.

3. Ad alterum dubium dico, quod quando Ascensio Domini cadit in diem 1. Maii, Officium Apostolorum transferri omnino debet in primam diem non impeditam; & si nulla sit, nisi post Trinitatem: & tunc fiet Officium de communi Apostolorum extra tempus Paschale, retentis lectionibus propriis, & ultimo responsorio fine *alleluja*. Est enim regula generalis, quod nunquam mutatur aliquod Festum e loco, quem obtinet in Kalendario, ut det locum translato. Heri interfui ex munere meo Sac. Rituum Congregationi, quæ habita est coram Sanctissimo, & dubia hæc contuli cum Magistris cæremoniarum ejusdem Domini Papæ, Viris harum rerum peritissimis; quod addo, ut scias responsa mea verissima esse.

XXXV.

XXXV.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Laudat librum de divina Psalmodia, pro iis, quæ præstitit in Peregrini transcriptione, gratias agit, & petit, ut ex characterum antiquitate, de Codicis ætate judicium faciat, & P. Generalis nomine nonnullos ad eumdem libros mittit.

1. PErvenit ad nos tandem diutius optato in itinere demoratum insignis tuæ eruditionis, ac solidæ pietatis Commentarium de divina Psalmodia, quod Reverendissimus P. N. Generalis grate admodum suscepit, & volupe nunc percurrit, postea quibusdam e nostris perlegendum commissurus, quod data occasione iterum typis dare queat. Nulla enim tectio ad mentem S. P. Benedicti utilior offerri potest iis, qui ex voto cœlesti Psalmodiæ addicti sunt (scienti legem scribo) nequicquam hac de re attexerem. Ceterum quiquid a me gratiæ referri potest, tum de Commentario illo, tum præsertim de Peregrino, uti jam se verbis peregisse asseruit R. P. D. Gabriel Flambart, id relatum velim existimes. Certe metam humanissime devinxisti, ut scriptis, quantum sis de me meritus, aperire minime valeam. Enimvero non sat tibi fuit, ea qua polles auctoritate, Codicem MS. a S. Sanctitate, quod singulare est beneficium, obtinuisse: non sat exscribi, & figuras ab uno ex subditis Monachis affabre delineari curasse; sed & prompta, inauditaque benevolentia totum opus legere, discutere, notis illustrare voluisti. Superest tamen unum, quod a benignissima Paternitate tua scire areret animus, quam nimirum præseferant ætatem Codicis characteres, ut vel ex eo, sæculum, quo vixerit Author, conjectari liceat: nam illud nomen *Peregrinus* plane fictitium, adinventumque censeo.

2. Opusculum *Via compendii ad Deum* jam calente prælo brevi prodibit: tum nonnulla illius exemplaria Romam transmittenda curabo. Interim mitto ad Paternitatem tuam, nomine Reverendissimi P. N. Generalis, Operum S. Bernardi Tom. 1. Sanctæ Gertrudis insinuationes denuo latine cusas, & Tom. V. Spicilegii nostri. Porro si quid occasionis extiterit, qua vel meo officio, vel mea industria gratum tibi facere possim, nihil fecero libentius. Dominus Jesus Paternitatem tuam suis cumulet muneribus. Parisiis e Monasterio S. Germani a Pratis die 22. Septembris 1662.

XXXVI.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Quod Conradum Hirsaugiensem S. P. Benedicti Monachum sub Peregrini nomine latentem, incolumem susceperit, gaudens, gratias agit P. Generali pro Libris, quos sibi misisse indicavit.

1. QUod Peregrinus noster incolumis ad te pervenerit, quod benigne eum acceperis, gaudeo, & gratias ago. Quo autem desiderio tuo plenissime satisfiat, disces ex his litteris, quantus,

quantus, & quam magnus Vir ille sit, qui sub ficto, & humili nomine Peregrini latet. Præpara strenam pro bono Nuncio. Is est Conradus Hirsaugiensis, Monachus S. Benedicti, de cujus ætate, litteratura, aliisque præclaris dotibus quidquid optas, reperies apud Trithemium, Gesnerum, Possevinum, & alios hujusmodi Scriptores. Sapienti scribo, cui nomen indicasse satis est. Utinam posses hoc inditio cætera reperire ejus Opera.

2. Commentarium meum de divina Psalmodia potentem nactus est Patronum, Reverendissimum Generalem vestrum, cujus benignitati tantum debeo, ut impar sim reddendis gratiis. Quod si eo jubente typis iterum mandetur, sublimi feriam sydera vertice. Retribuat illi Deus vicem, quam meretur. Primus Tomus S. Bernardi, cæterique libri, quos te misisse mihi scribis, gratissimi mihi erunt; Tibique, & Reverendissimo P. Generali gratias humillimas ago. Deus te diu incolumem servet, & repleat omni bono. Romæ in Monasterio S. Bernardi ad Thermas die 22. Octobris 1662.

XXXVII.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Excusat se, quod transmissa Peregrini notitia gratias citius non reddiderit, paginasque nonnullas mittit de divina Psalmodia novæ editionis.

Diuturna adeo mora, fateor, protelare non debueram post tot abs te mihi collocata beneficia, quin ocyus gratias agerem, præsertim de germano Authore libri sub nomine *Peregrini* olim inscripti, ab eruditione tua olim indicato. Tempestas summe frigida partim, partimque adversa valetudo causa fuit. Addo, ut votis facerem satis, & aliquo usque vicem rependerem, volebam, mittendo Romam exemplaria aliquot aurei tui libelli, quem summe venerantur, & sedulo revolvunt divinæ Theoriæ addicti, una facere certiorem Reverendissimam Paternitatem tuam de iterata editione Commentarii de divina Psalmodia. Tandem aggressi sunt Opus Typographi nostrates: sed tam frigide; frigent quippe asperrima hac hyeme præla prope omnia, ut unum dumtaxat folium hactenus fuerit impressum. Atque, ut majorem verbis meis fidem adhibeas, typici periculi paginas aliquas mitto. Quæ subsequuntur, multo elegantius haud dubie erunt elaboratæ. Precor, ut Dominus Reverendissimam Paternitatem tuam prosperet in omnibus, cui sunt &c. Parisiis ex Monasterio San Germano die 23. Februarii 1663.

XXXVIII.

D JOANNI BONA Abbati Generali
GODEFRIDUS HENSCHENIUS e Societate Jesu.

Itineris sui seriem describit, & Manuductionem ad Cælum iterum Bruxellis recudi certiorem facit.

Quem Romæ coram experti sumus affectum sincerissimum, eumdem pergit Reverendissima Paternitas tua exhibere. Agnoscimus obligationem nostram, nostra offerimus obsequia, summas agimus

agimus gratias. Utinam dignetur mandare, quæ velit per nos fieri, promptissimi erimus ad exequenda omnia, quæ erunt in potestate nostra. Discessimus Roma 3. Octobris anni 1661. Florentiæ, ac in vicinis Monasteriis permansimus ad quatuor menses: Mediolani duos; Senis, Lucæ, Genuæ, Papiæ, Taurini ad plures hebdomadas, aut dies; Camberium in Sabaudia venimus sexto Idus Julii anni 1662. Inde perreximus Gratianopolim, Chartusiam, Antoniopolim, Turonem, Viennam, Lugdunum, Masticonem, Cluniacum, Firmitatem, Cabillonem, ac post octidui moram Divionem, Antissiodorum, Pontiniacum, Senonas: ac tandem 11. Augusti Lutetiam Parisiorum ingressi, ac post tres menses egressi 9. Novembris in Normanniam fuimus, Rotomagum, Gementicum, Fontanellam, Beccam, Tepam, Augium, Abbatis-Villam, Attrebarum, dein per Belgium Duacum, Cameracum, Valencenas, Montes Hannoniæ, Hallas, Bruxellas, Mechliniam, ac tandem 21. Decembris Antuerpiam in amplexum R. P. Bollandi, qui sarcinas librorum, ac scriptorum missas Venetiis, Roma, Mediolano, Lugduno, Parisiis acceperat; & inter alios libros sibi seposuerat Manuductionem ad Cœlum, opus, & donum Reverendissimæ P. V., quod hisce diebus mihi ostendit Consul Antuerpiensis, qui Bruxellis, ubi recusum fuerat, curarat sibi mitti sex exemplaria, ac summe gaudebat intelligere notitiam Reverendissimæ P. V., quæ dignabatur nos, cum essemus Romæ, ac hactenus prosequitur, maxime circa vitas Sanctorum apud D. Marium Canonicum ab ejus obitu repertas. R. P. Bollandus, ac P. Papebrochius itineris socius reverenter salutant. Rogamus Reverendissimam P. V., ut dignetur nos in Sanctis suis, suorumque Sacrificiis commendare Deo, apud quem conabimur debitas rependere vices. Antuerpiæ 31. Martii 1663.

XXXIX.

D. JOANNI BONA
GODEFRIDUS HENSCHENIUS e Soc. Jesu.

Gratias agit etiam Sociorum nomine pro præstita eorum studiis opera, Manuductionis ad Cœlum Bruxellis recusæ nonnulla transmittens exemplaria.

Quas placuit scribere 28. Aprilis accepi, summo benevolentiæ affectu erga nos, & studia nostra refertas; quodque idcirco curam susceperit, ut possimus nancisci quæcunque apud D. Laurentium Marium, post obitum D. Canonici fratris, extant monumenta studiis nostris de Vitis Sanctorum utilia. Agnoscunt mecum singularem favorem R. P. Bollandus, & Papebrochius, qui officiosissime salutant, & omne mecum obsequium offerunt. Die 22. hujus advecti hinc in Hollandiam sunt libri, quibus addidi sex exemplaria tuæ Manuductionis, ac totidem imposui imagines. Sarcina illa, seu Balla librorum dirigetur ad Patrem Jacobum Schellebroot Pœnitentiarium Belgii apud S. Petrum, optime notum R. P. Possino. Est hic fasciculus inscriptus Reverendissimæ P. tuæ, & Deo dante ad ejus manus perveniet. Manuductio jam omnium manibus teritur. Harmoniam psallentis Ecclesiæ Romæ emi, licet ob defectus exemplarium

cariori pretio; proinde non est necessarium, ut Parisiis huc mitti curet. Adjungo amabilissimam clausulam Reverendissimæ P. tuæ, qua vicissim ejus memoriam summa cum fide in æternum conservare cupio, dum una misericordias Domini in æternum Harmonia cantabimus: ad quem finem consequendum me sanctis Sacrificiis commendo. Antuerpiæ 25. Maii 1663.

X L.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Quid pro conquirendis antiquis Carthaginensibus Conciliis præstiterit, exponens, pro receptis divinæ Psalmodiæ foliis, aliisque libris grates reddit.

1. Didici longa experientia quod olim audieram, hujus Urbis negotia in immensum protrahi. Dudum scripseras Admodum R. P. Gabriello nonnulla, quæ optabas ex antiquis Conciliis Carthaginensibus, cumque hujus rei curam suscepissem, multis evolutis Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus, nulla ex Synodis reperta est, quia in Schedula tua numerus V. Codicis falso signatus erat. Quia vero sciebam Conciliorum Africæ collectionem, quam prælo paratam reliquit Lucas Holstenius, extare apud D. Cardinalem Barberinum, nihil intentatum reliqui, adhibita etiam Amicorum opera, quo mihi liceret ex eo Codice ea transcribere, quæ tu desideras. Et Dominus quidem Cardinalis benignissime annuit, statimque mandavit uni ex suis Aulicis, ut ipsum Codicem mihi ostenderet. Sed iste in longum res distulit; meque adeo fastidiosa procrastinatione fatigavit, ut desierim illi molestus esse. Tandem casu factum est, ut id repererim, quod quærebam. Cum enim visitassem Amicum meum R. P. Petrum Possinum, virum doctissimum e Societate Jesu, is mihi significavit ea Concilia tradita sibi ab Emin. Cardinali, ut Præfationem iis præfigeret, quo typis mandari possint. Rogavi illum hac de re; & die sequenti scripsit mihi Epistolam: Autographum ad te mitto; utinam possit studiis tuis prodesse.

2. Recepi folia mei libri de divina Psalmodia, quæ misisti ab A usque ad X inclusive; & benignitati tuæ quam maximas ago gratias, reliqua expectans usque ad finem Operis. Verumtamen supplex rogo, ut omnino scribas qua impensa ea portet Veredarius, ut D. Gabrieli vestro pecuniam hic persolvam; id enim æquum, & justum est. Gratias item ago quantum possum pro V. Tomo Spicilegii tui, & primo D. Bernardi. Hæc editio videtur mihi absolutissima. Notulæ additæ Indici sermonum, & variæ lectiones summum judicium, & indefessum laborem, atque exactissimam diligentiam P. Chantelou maximopere commendant. Deum oro, ut vires illi largiatur, quatenus quod cœpit, cito perficiat. Tibi autem, mi Luca, insolubilibus vinculis devinctus sum: nec facile credere potes quantum doleam, quod servus tibi inutilis sim; itaque nihil mihi gratius futurum, quam si tuis me mandatis frequenter honores. Vale. Romæ 4. Junii 1663.

XLI.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Pro ad se transmisso Concilii Carthaginensis decreto gratum se dicens, suumque desiderium pro obtinendis Capitulis Aythonis Monachi S. Benedicti Basileensis Episcopi, exponit.

1. TAM vehemens, & sollicita continuo erga me est animi tui propensio, ut verbo, vel indiculo, ubi noveris mihi profuturum aliquid, omnem statim moveas lapidem ad hoc disquirendum, comparandumque. Apparet id potissimum in decreto Concilii Carthaginensis sub Reparato celebrati, quod die quarta Junii transmisisti; quo me, fateor, singulariter devinxisti. Scripseram equidem R. P. D. Gabrieli Flambart, ut quæreret in Bibliotheca Vaticana, an decretum istud, ac sessio secunda Concilii, Præside Bonifacio, Carthagine habiti reperirentur. At cum intellexissem quantum operæ impenderis incassum in his quæritandis, semel, iterumque ipsum interpellavi, ne se amplius & amicos hac de re fatigaret: quippe & decretum, & sessionem mihi concesserat Stephanus Baluzius, quæ e Viri Clariss. Holstenii schedis, Illustrissimo Petro de Marca olim missis descripta a Mensibus prope septem prælo supposui. Utrumque in Tom. VI. Spicilegii priorem locum obtinet, quod silentio velim tegas: & quamquam inutilis in præsentiarum labor ille tuus videatur, mihi tamen beneficii loco æternum mente retinebo.

2. Optaveram potius, ac petieram Aythonis celeberrimi quondam Benedictini, & vigilantissimi Ecclesiæ Basileensis Pastoris Capitula ad instaurandam ejusdem Ecclesiæ disciplinam edita: sed repulsam tulit D. Gabriel, eam dumtaxat ob causam; quod mutata nunc temporis Ecclesiastica disciplina, hujusmodi Capitula haud forent in lucem emittenda. Indigna profecto eruditis Viris responsio, quæ injuriam non levem veri, & rei antiquæ amatoribus infert, haud mihi; judicent illi.

3. Audio librum tuum, cui titulus *Manuductio* Bruxellis iterata editione prodiisse. Nondum vidi: sed brevi spero illiusce plura exemplaria. Parisios Bibliopola Leonard evehenda, & per Monasteria nostra distribuenda curabit. Mitto interim ad Reverendissimam P. tuam septem folia Operis de divina Psalmodia; cui sum totus in Christo &c. Parisiis in Monasterio San-Germano die 16. Julii 1663.

XLII.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Psalmodiæ folia pro texendo indice præstolans, spem dat de transcribendis e Vaticana Aythonis Capitulis, deque reperto Codice MS. Collectionis Canonum S. Anselmi Lucensis Episcopi certiorem reddit.

1. ACquiesco consilio, quod per D. Gabrielem Flambart suggessisti mihi, ut nimirum addam Indicem rerum libro meo de divina Psalmodia; & quia non habeo, cui hanc rem committam, quam-

vis non desint aliæ occupationes, ipse ei incumbam, & brevi perficiam, & mittam simul cum erratis, quæ irrepsere. Interim excepto folia, quæ desunt, sine quibus & notam errorum, & Indicem perficere nequeo. Bibliotheca Vaticana nunc clausa est, elapso Septembri aperietur. Et tunc tentabo, an possim habere Capitula Aythouis Basileensis, quod non despero; & siquidem successus fuerit felix, statim transcribi, & ad te mitti curabo. Conquestus sum cum D. Gabriele, quod hoc mihi significaverit, nam si ipse eum librum postulassem, forsitan obtinuissem.

2 Ostendi Tom. V. tui Spicilegii Viro docto, & familiari D. Papæ; ipsumque rogavi, ut illud Sanctitati Suæ commendaret, quo facilius possem licentiam obtinere transcribendi Capitula Aythonis, & alios Codices, si oportuerit. Monui etiam ipsum, ut quatuor priores Tomos, quos ego non habeo, curet adserri Sanctitati Suæ e Bibliotheca Vaticana. Quam grati sint Suæ Sanctitati labores tui, cum intellexero, tibi scribam.

3. Rogo, ut moneas Impressorem libri mei, ne ipsum distrahat, donec errata, & Index in fine accesserint. Mea Manuductio bene ubique excepta fuit; nam post editionem Romanam statim recusa fuit Lugduni, & Viennæ, nunc vero Bruxellis, & Francofurti. Utinam quod dicitur, hoc fit.

4. In Bibliotecha Barberina vidi nuper antiquum Codicem MS, in quo continetur Collectio Canonum S. Anselmi Lucensis Episcopi, qui fuit Monachus S. Benedicti in agro Mantuano (*a*), & pro Gregorio VII. strenue decertavit, nondum edita. Non erit fortasse indigna tuo Spicilegio. Si jusseris, eam petam a D. Cardinali. Vellem sane studiis tuis prodesse, ut tu promoveas mea. Deus te incolumem servet. Romæ die festo S. P. N. Bernardi 1663.

(*a*) S. Anselmi Patria Mediolanensis, præter Baronium meminit Mabillonius Annal. Benedict. Tom. V. pluribus in locis, maxime autem lib. 67. num. 3. ubi inter cætera ejus Opera hanc Collectionem Canonum tredecim libris ab eo compositam numerat. Dacherius in Actis Sanctorum D. Benedicti, parte 2. sæculo sexto, qui fundationem hujus Monasterii, prius de Padolirone nuncupati, ab eo quod inter fluvios Padum, & Larionem constructum sit anno 1007. adscribit Tedualdo Attonis Comitis filio, de quo Tedualdo, deque Cœnobio ab eodem ædificato sic canit Domnizo:
Iste Padum juxta, Larionis propius undam Cœnobium dignum Domino Sanctum Benedictum construxit certe: Monachos ibi voluit esse. Felix iste locus, nimis est quam Religiosus.

XLIII.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Indicem rerum, ac errata divinæ Psalmodiæ transmittens; Spicilegium in Papæ manibus esse asserit; nonnullorumque librorum notitiam subdit.

1. Licet gravissimis occupationibus occupatus fuerim, studio tamen pertinaci conatus sum Indicem perficere, quem ut Typographo imprimendum tradas. Seorsim est nota errorum, qui irrepserunt in hac editione: nam qui erant in prima, uno aut altero excepto, fideliter emendati sunt; sed hoc est fatum inevitabile librorum, quod & Authorum; nemo enim sine crimine vivit. Rogo te,

ut

ut cum excusum fuerit hoc folium, ad me transmitti cures, simul cum libri facie, & præfatione, & cæteris, ut integrum exemplar habeam. Gratiarum actionem non replico, paratus referre, si tu occasionem dederis, uti enixe deprecor.

2. Tuum Spicilegium nunc est in Pontificis manibus, ad cujus pedes post paucos dies accedam; & quid ille sentiat, ex ipsiusmet ore ediscam.

3. Prodiere nunc primum Acta Ss. Perpetuæ, & Felicitatis, quæ Lucas Holstenius editioni parata reliquit, suis notis docte, & copiose illustrata. His addita sunt Passio S. Bonifacii Martyris; quædam item animadversiones ad Romanum Martyrologium; & liber Fastidii Episcopi de vita Christiana, dudum editus sine nomine Authoris inter spuria S. Augustini. Unum exemplar accipies a D. Gabriele Flambart. Hic sisto Deum orans, ut te diu incolumem servet. Romæ die 3. Septembris 1663.

4. Promisi vitam S. Simeonis Stylitæ. Quidam amicus meus habet vitam admirabilem S. Simeonis Stylitæ, quam olim P. Sirmundus e Societate Jesu latine interpretatus est ex antiquo Codice Græco MS. Bibliotechæ Sfortianæ. Nondum edita est, & frater hujus amici, Vir Eruditus, qui obiit anno præterito, notis illustrare, & typis mandare cogitabat, & ideo nemini unquam communicare voluit. Hoc percepi ab amico meo, qui me hodie mane visitavit, postquam scripseram hanc Epistolam: & asserit eam esse triplo auctiorem, quam quæ habetur primo Tomo Bollandi die V. Januarii. Si hanc tuo Spicilegio dignam putas, statim transcribi, & ad te mitti curabo.

XLIV.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Pro Aythone reperto, & prope diem transmittendo gaudens, ob oblatum Summo Pontifici Spicilegium gratias habet.

1. ACcepi indicem rerum, & errata operis tui de divina Psalmodia, quæ ubi typis impressa fuerint, mittere Romam non morabor. Certiorem me facit R P. Procurator noster Capitulare Aythonis tua industria, & cura repertum, se brevi ad me transmissurum, quo certe jucundius nuntium scribere poterat nullum.

2. Porro quasi somnium dormienti mea suadebat tenuitas, quod scripseras, nempe Summo Pontifici virum doctum, ejusque familiarem oblaturum mea Spicilegia, ut legat ea, probetque. At vero ecce postrema haud me visum vidisse, imo præ manibus Sanctitatis suæ esse asseris. Et quid (amabo) nunc tibi Reverendissime Pater, qui causa existis tanti beneficii, gratiarum referre possum? Plane nihil usquam dabitur occasionis. Necessum itaque est, ut absque ulla spe Te compensandi æternum me fatear.

3. Ad cumulum beneficiorum mihi abs te collatorum voluisti (quod scribere alias in mentem non venerat) ut Illustrissimus Sabaudiæ Ducis Legatus apud Christianissimum Regem, novum amicitiæ singularis erga me tuæ symbolum daret. Id tam urbane, ac facunde consecutus est, ut pudore, fateor, fuerim tanta humanitate suffusus. Unde, ipse facete admodum me alloquens, dixit: putabam ego Lucam

Dache-

Dacherium statura eminenti Virum esse, sed pusillum video. Cui humiliter, & vere ego respondi: scripta mea forte gravia amicis apparent, sed præsentia in omnibus longe infirma est. Parisiis die 21. Septembris 1663.

XLV.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Aythonis Capitulare e Bibliotheca Barberina transcriptum mittens, nonnullaque obscuriora ejus loca explicans, Pontificis Summi oraculum subdit, quo Dacherii Spicilegium, studiaque commendat.

1. Citius quam crediderim, mitto tibi Capitulare Aythonis Episcopi Basileensis. Reperi illud præter spem in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Barberini, & lætatus sum, sicut qui invenit spolia multa. Tum nulla interposita mora petii, obtinui, & Amanuensi scribendum tradidi, quod fidelissime peractum est. Inseres illud sexto, aut septimo Tomo Spicilegii tui; dicesque illud te accepisse ex Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini S. R. E. Vice-Cancellarii. Collatum fuit cum antiquo Codice Vaticano, sed hoc dignis de causis silentio teges; nec dices tibi negatum fuisse ab hujus Bibliothecæ Custodibus. Cap. 31. *genu* positum reperies pro *generatione*, sive generationis gradu, obsoleto plane vocabulo. In usibus feudorum *geniculum* dicunt eodem sensu Jurisconsulti. Quod vero ait in fine capitis postremi exigenda a baptizatis, cum adulti fuerint, eadem responsa, quæ pro illis Patrini spoponderunt: ego sic explicarem: ut nimirum sciant, quid eorum nomine susceptores promiserint. Ne quis forte hoc dictum trahat ad confirmandum errorem damnatum in Concilio Tridentino sess. 7. can. 14. de baptismate, quod modo præcavendum est, prout pietas, & eruditio tua suggeret tibi.

2. Multum laudat Summus Pontifex Spicilegium tuum, dixitque, sibi præ omnibus placere Virorum illustrium Epistolas, & ea omnia, quæ pertinent ad historiam, & antiquam Ecclesiæ disciplinam; nam hæc, inquit, singularia sunt, & historia Epistolaris certior omnibus est. Tum ait: utiliorem præstare operam Reipublicæ litterariæ, qui eruendis e situ Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos edunt libros. Novi enim libri, si quid boni continent, ab antiquis acceperunt. Hoc est judicium de studiis tuis, quod ex ore SS. D. N. acceptum tibi sincere repræsento, nihil addens, nihil minuens. Deus tibi vires largiatur, ut plures hujusmodi spicas colligere possis ad Ordinis Monastici decus, & totius Ecclesiæ utilitatem. Die 14. Septembris 1663.

XLVI.

XLVI.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Transmissum Aythonis exemplar cum tribus Vaticanis Codicibus concordare affirmans, de Capitulari Theodulphi Episcopi, de Ebbonis Apologetico in eadem Bibliotheca MSS. repertis, & de quibusdam erratis in Divina Psalmodia Typographi inscitia emersis certiorem facit Dacherium.

HEri ad Vesperam traditæ mihi fuerunt litteræ tuæ; & hodie post prandium in Bibliothecam Vaticanam perrexi, in quam deinceps facilior mihi aditus patebit: studui enim, vel tui causa, variis officiis mihi benevolum reddere Illustrissimum D. Allatium ejus Custodem, qui summa benignitate, & humanitate me eo perduxit in curru suo. Contuli diligentissime loca difficilia, quæ tibi negotium facessere in Capitulari Aythonis cum tribus Codicibus MSS. ejusdem Bibliothecæ, signatis num. 1146. 1147. 1148. & reperi omnes constantissime legere juxta exemplar tibi dudum transmissum. Id tuto poteris affirmare mea fide: & audeo consulere, ne quid mutes; quandoquidem tres Codices antiquos habebis in ea lectione conformes. Reperi in uno ex illis Codicibus MSS. aliud Capitulare Theodulphi Episcopi, & in alio Apologeticon Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis. Non vacat nunc disquirere, an hi libri sint impressi, si eos optas, facillime obtinebo. Pro mea divina Psalmodia iterum gratias ago. Quo Bibliopola lucri causa titulum inverterit, non improbo; sed quod in eodem titulo *disciplinis* pro *disciplina* posuerit, & in Epist. dedicatoria ad B. Virginem annum 1650. in præsentem mutaverit, non probo. Nam disciplina Ecclesiastica una est, & non multiplex: & anno 1650. eram Abbas illius Ecclesiæ, non præsenti 1663. sed hoc jus sibi arrogant, qui præter titulos nihil norunt. Viri eruditi hæc spalmata, etiam non moniti, corrigent; imperiti non observabunt. Scripsi currenti calamo. Ignosce, & vale. Die 21. Septembris 1663.

XLVII.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Totus est in gratiarum actione pro Aythone recepto, & pro Spicilegii approbatione a Summo Pontifice facta. Explicationem nonnullarum vocum a Bona insertam ratam habet, testimonium petens circa quasdam Synodos Carthag.

1. AYthonem, Hermanno contracto, Hettonem, aliis Hattonem ad nos feliciter appulsum apertis ulnis amplexatus, volupe fuim exosculatus. Quid dicam? Quid scribam, mi Reverendissime Pater? præ gaudio certe nihil habeo. Hæret animus, hæret calamus, verba suppetunt nulla, quibus gratias offerre, ne dum referre valeam. Tantis enim in dies me honoras, onerasque beneficiis, ut tota litterarum mearum materies, dum ad te scribo, pondere velut oppressus, sit gratiarum actio. Immo vero non sat tibi me rebus anti-

antiquis locupletare; sed & ad hanc evehere dignitatem voluisti, ut supremus ille Doctorum Doctor Pontifex Maximus meæ tenuitatis meminerit; &, quod spem omnem superat, tua opera, tuaque eruditione, qua polles, suis approbarit verbis Spicilegia; atque uti messem ditissimam existimarit. Ipsissima ejus, quæ refers verba, tamquam pretiosissimas margaritas Præfationi meæ (a) cum Epistola tua, iis expunctis, quæ jubes, intexam. Et vero hac in re non de me tantum singulariter, sed universim de Congregatione Sancti Mauri promeritus es.

2. Quod de verbo *genu* me juvandi gratia præmonueris, singulari tuæ humanitati debeo. Scio anteriores ævi Scriptores Ecclesiasticos hanc vocem mutuatos esse a jure profano; sæpiuscule enim juri Pontificio Cæsareum ancillari voluere SS. PP. cum in Conciliis, tum alibi. Occurrit nunc animo Concilium Wermeriense anno 755. præsente Pipino Rege celebratum, can. 1. *In tertio genu separentur*. Paulo post: *Attamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus*. Explicatur hic vox *genu*. Observatione haud indigere puto quod ait Hatto in cap. 25. *& quod illi, qui pro eis spoponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant*. Siquidem nihil frequentius in Gallia, quam Christianos exhortari Concionatores, Catechistæ, & Confessarii, ut in mentem revocent, quæ pro iis spopondere Patrini: eaque iterum, ac sæpius ex animo voventes Deo, factis adimpleant.

3. Cæterum Aythonis Capitulare Coronidem imponet Tomo VI. Spicilegii. Optarem, si grave id non esset, abs te testimonium, quo perhiberes sessionem secundam Synodi Carthaginensis Præside Bonifacio, quam eo in Tomo edidi, extare in MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, vel Barberinæ inter Concilia Africana ab Holstenio collecta. Adferrem illud testimonium in mea Præfatione, simulque Testimonium de Concilio postea a Recuperato, Carthaginensi postea Archiepiscopo, celebrato, quod ad me non ita pridem misisti. Te nobis diutissime incolumem servet, Christum exoro. Parisiis die 7. Octobris 1663.

(a) Confer Epistolam relatam sub numero XLVI. & illam, quam recitat Dacherius Tom. VI. Spicilegii pag. 15. & quid expunctum sit, agnosces.

XLVIII.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Omnem ei spondens operam, testimonium Synodi Carthaginensis jam transmissum asserit, iterumque agens de Anselmo Lucensi, & Simeone Stylita, errores in Bruxellensi editione Manuductionis emersos innuit.

1. POstremæ litteræ tuæ summo me pudore affecerunt; nam si quid feci tui gratia, quod tibi gratum fuerit; si curavi, ut Summus Pontifex tuum Spicilegium videret, & approbaret, sane
Luc. 17. 10. juxta Evangelicum sermonem servum me inutilem exhibui. Tot enim beneficia mihi ipse prior contulisti, ut nec minimam quidem eorum partem rependere valeam. Scias igitur te Romæ habere servum addictissimum: utere opera mea liberrime, si quid possum pro te, & tua Congregatione. 2. Testi-

2. Testimonium, quod petis de Concilio Carthaginensi sub Bonifacio, jampridem postulavit nomine tuo D. Gabriel Flambart, cui statim dedi: nec dubito, quin acceperis.

3. De Anselmo Lucensi, molesta quadam infirmitate præpeditus, nondum alloqui potui Emin. D. Cardinalem Barberinum, in cujus Bibliotheca reperitur; sed hac hebdomada ipsum hac de causa adire curabo, vel saltem ejus Bibliothecarium. Scripseram tibi sub die 3. Septembris de vita Simeonis Stylitæ, quæ integra extat apud amicum meum: sed oblitus es hac de re responsum dare: obsecro, ut rescribas quid fieri velis. Nondum edita est, & est triplo auctior ea, quæ reperitur apud Bollandum die 5. Januarii ex antiquo Codice Græco Bibliothecæ Sfortianæ, translata in Latinum a P. Sirmondo, qui eam dono dedit Fratri hujus amici, qui nuper obiit.

3. Gaudeo, quod D. Legatus Ducis Sabaudiæ te visitaverit, sicut ipsi scripseram. Vir est nobilitate, doctrina, & pietate insignis, cum quo arctissima mihi necessitudo intercedit.

5. Gratissimum quoque est, quod mea Manuductio ad Cœlum in vestris Monasteriis legatur: sed in editione Bruxellensi præter minuta quædam errata, unum irrepsit satis enorme pag. 139. num. 4. *Natura omnis amorem indidit mortuum*, ubi legendum est: *Natura nobis amorem indidit mutuum*. Displicuit etiam, quod sublata fuit parva Elegia, qua Librum dedicabam Angelo Tutelari. Hic sisto, tuisque me enixe commendo precibus. Romæ 30. Octobris 1663.

XLIX.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Redditam gratulatus sanitatem; Simeonis vitam, opusculumque metricum D. Bernardo attributum grata sibi fore dicens, P. Chantelovii nomine doceri petit, an Templariorum Regula Romæ queat comparari.

1. AManuensis litteræ mœrore multo me depresserant, quod adversam valetudinem, scribendi usum tibi abstulisse significarent. At vero novissimæ manu tua exaratæ, queis Te pristinæ partim sanitati restitutum affirmas, animum levavere meum, ac gaudio perfuderunt. Obnixe rogo D. O. M., qui exiguitatis meæ preces quotidie pro te fusas jam aliquo usque exaudierit, ut integram tibi valetudinem impertiatur, ac diutissime perfectam servet ad decus Ecclesiæ. Gratias quam maximas possum benevolentiæ tuæ ago, qui nequicquam moratus es, quæ petieram, mittere, verum & ultro offers; immo quam ausus postulare haud fuissem, vitam Simeonis Stylitæ cogis accipere. Grata igitur mihi erit hæc vita a Sirmondo in latinum translata: sed gratissima, si græcam una obtinere possem.

2. Opusculum vero metricum (*a*) S. Bernardo adscriptum perjucundum foret Chantelovio nostro, qui indefesso labore Opera hujusmodi eximii Doctoris accurat, modo id haudquaquam grave non sit Reverendissimæ Paternitati Tuæ; illud enim dubiis opusculis accensere paratus est. Scire etiam percuperet, an Regula Templariorum jussu Concilii Seno-

(*a*) De Opusculo metrico vide admonitionem Viri Clarissimi Mabillonii præfixam Hymnis, & Rythmis S. Patri attributis.

nensis ab ipsomet S. Patre conscripta, fusior edita Romæ alicubi delitescat; & an possit comparari.

3. Tria mitto exemplaria Libri de divina Psalmodia ad R. P. Procuratorem nostrum D. Gabrielem, duo Tibi offerenda, tertium sibi ipsi servandum, legendumque tanquam pignus amoris erga se Tui. Parisiis e Monasterio San Germano die 23. Novembris 1663.

L.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Textum Græcum Vitæ S. Simeonis despondens, Opusculum metricum D. Bernardo male adscribi asserit, seque a Summo Pontifice inter universalis Inquisitionis Qualificatores connumeratum dicit.

1. PRoxima festa Dominicæ Nativitatis cogunr me ab Urbe discedere, molestissima enim sunt in ea degeotibus cum aliqua dignitate. Opprimunt, ac pene eneeant fausta precantium inurilia vota; & erumenam exhauriuot famuli Principum, ac Prælatorum, qui strenas impudentissime exigunt, tamquam sibi debitas stricto jure. Secedo itaque (tune enim erat Abbas Generalis) ad nostrum Cœnobium Sancti Sebastiani (a), quod a Porta Capena sesquimilliario distat, & post diem Epiphaniæ regrediar; statimque ab amico Vitam Simeoois Stylitæ postulabo, & mittam. Textum Græcum prorsus despondeo; nam Bibliotheea Sfortiana centum elavibus clausa est. Opusculum metricum S. Bernardo a P. Possino adscriptum, me inscio, editum est, iostante Procuratore Generali Ordinis Cistereiensis. Unum legi, postquam impressum est; & ut sint secundæ curæ Sapientiores jam mihi videtur Mellifluo Doctori perperam tribui. Duo ejus versieuli, tertius scilicet, & quartus a principio citantur in fine Libri de Vita Eremitica ad Sororem in Appendice Tom. I. S. Augustini.

2. Regulam Templariorum Romæ editam esse nunquam audivi, tametsi olim diligentissime quæsierim quidquid pertinet ad S. Bernardum.

3. Nudiustertius SS. D N. allocutus sum, & opportuna oblata oeeasione iterum de tuo Spicilegio sermo habitus est; dixique illi te sextum Tomum sub prælo habere, quod gratissime audivit, ut rem valde utilem Ecclesiæ. Nuper idem Sanctissimus me inter Sanctæ, ae universalis Inquisitionis Censores, seu Qualificatores, ut voeant, connumerari jussit; qui gradus honorificus est, sed laboriosus: nulla autem occupatio mihi potior erit, quam ut tibi, tuisque studiis deserviam. Ad-

dis

(a) Licet Monasterii celeberrimæ S. Sebastiani Basilicæ annexi difficile admodum sit fundationem invenire: certum tamen est ex Ciacooio, & ex Lectionibus S. Bonifacii Papæ IV. ad diem 25. Maii eamdem Regulam Benedictinam in eo professum fuisse ante annum 607. Gabriel Pennotus lib. 2. cap. 16. asserit ab Alexandro III. Canonicis Regularibus traditum fuisse. Gaspar Jongelinus in notitia Abbatiarum Ordinis Cistereiensis, hoc Monasterium cum Basilica annexa suis traditum fuisse docet anno 1170. misso primo Abbate ex Monasterio S. Sulpitii, quod est lineæ Pontiniacensis in Ducatu Sabaudiæ. Trieonio anteriorem hanc concessionem nonnulli affirmant, factumque asserunt a Hieronymo Cardinali Diacono S. Mariæ Novæ, consentiente Hugone dicti Ascerii Abbate, seu Priore anno 1167. Gregorius XIII. Congregationi S. Bernardi Provinciæ Lombardiæ, ejusdem Ordinis donavit. Et demum Paulus V. 20. 1614. illud Congregationi Fulliensi concessit, quod deinde Cardinalis Gabriellius S. Bernardi Reformat. Ord. Cisterc. Monachus novis ædificiis, ac fundis dotavit.

dis ad cumulum beneficiorum tuorum duo exemplaria Operis mei de divina Psalmodia ; jam gratiis agendis impar sum , Deus retribuet ; & tu , obsecro, ne parcas mihi, si quid possum pro te, & tua Vener. Congregatione, Deumque pro me exora. Romæ die 22. Decembris 1663.

L I.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Pro præstita opera in perquirendo Capitulari Aythonis gratias agens , Ebbonis Apologeticum pro se transcribi postulat , sextumque Spicilegii tomum spondens , quod inter Sanctæ Inquisitionis Qualificatores adnumeratus sit , gratulatur .

1. NOvissimis tuis Litteris tam cito, quam optaveram, non respondi; quippe qui volebam una mittere Opusculum tuum *Manuductio ad Cælum* , nuperrime Parisiis e prælo emersum : & cum in dies protelaret Bibliopola adferre , diutius differre nequivi me beneficiorum tuorum memorem exhibere . Gratias igitur immensas habeo Reverendissimæ Paternitati tuæ , quod summam adhibuit diligentiam ad perquirendos in Bibliotheca Vaticana Codices MSS. Capitularis Aythonis Basileensis Episcopi . Monitis præterea tuis assurgens, ne unguem quidem transversum discessi a Textu exempli , quod ad me misisti : sed marginibus conjecturas affixi : religiose id enim observo, ut nihil prorsus addam , detrahamque in scriptis , quæ luci expono . Si quid porro obscurum , vel detruncatum , aut intricatum deprehendo , mos mihi est notatiunculis illustrare , vel conjecturas, variasque lectiones, & cum suppetunt plura exemplaria adtexere , non verba, aut stylum immutare, sicut in Præfationibus multoties Lectorem monui.

2. Quod vero scribis repertum in illis Codicibus Vaticanis Theodulphi Capitulare , tibi , reor, non latet unum a Jacobo Sirmondo publicatum fuisse cum cæteris ejusdem Operibus , aliud a me in Tomo V. Spicilegii.

3. De Apologetico Ebbonis nihil certi habeo; vidi dumtaxat fragmentum in Tom. I. Galliæ Christianæ a San-Marthanis fratribus impressum. Cuperem idcirco Apographum illius Apologetici, modo id per otium liceat, nec molestiam afferat . Scriptori pecunias solvet R. P. D. Gabriel Flambart.

4. Bibliopolam acriter increpavi ob illa, quæ irrepsere errata in Opere de divina Psalmodia, atque, ut ea corrigeret, mandavi.

5. Ut autem stem promissis , egregium tuum mitto Opusculum *Manuductio ad Cælum* ; nuperrime Parisiis recusum ; non ea , fateor, qua optaveram elegantia : curavi nihilominus , ut præfatiuncula ad Angelum Custodem ederetur , & mendum , quod adnotaveras , expurgaretur . Spero brevi me Romam transmissurum Tomum VI. Spicilegii Paternitati tuæ Reverendissimæ offerendum . In antecessum misi ad R. P. D. Gabrielem Flambart elenchum eorum , quæ in hoc Tomo continentur . Si per otium liceat , velim illum percurras .

6. Dum vitam S. Simeonis Stylitæ, quam iterum novissimis Litteris polliceris , ac Collectionem Canonum S. Anselmi Lucensis accepero , historica paro ad Spicilegii Tomum VII.

7. Gratæ mihi erunt, quas promittis , Ss. Niconis, & Myrobliti, &

Pauli Latrensis vitæ. Si quid præterea vetustæ ætatis se se det sub manum, quod Spicilegio nostro dignum judicaveris, lubens excipiam, tibique æternum ero devinctus.

8. Benedictus Deus, qui votis meis partim annuit, quod inter Censores, seu, ut vocant, Qualificatores Sacræ Inquisitionis te adnumeraverit Summus Pontifex; sic nimirum, & insignis tua pietas, & doctrina singularis, & scripta omnigenæ eruditionis bono Ecclesiæ in lucem emissa evehent te gradatim ad summæ dignitatis apicem: & hoc quidem nuntium me lætitia perfudit maxima. Deus ipse O. M. compleat mea vota, & te ex candidato Purpuratum efficiat.

9. Noster Reverendissimus Superior Generalis invisit hisce diebus Illustrissimum Sabaudiæ Ducis Legatum, eique Opus tuum de divina Psalmodia obtulit; cui jucundum fuit munus ob antiquam ejus tecum necessitudinem. Sed longe gratius audivit, quod ipsum latebat, te a Pontifice Maximo Qualificatoris dignitate auctum, volupe quidem id nuntii se accepisse gratulabundus indicavit. Deus te hoc anno 1664. omni benedictione cœlesti locupletet, incolumem conservet, & ad fastigium illud honorum, quos pietate, & doctrina, quæ in te singulariter resident, præditis tribuere solet, ascendere faciat, peropto. Parisiis in Monasterio San-Germano die 11. Januarii.

L I I.

D. L U C Æ D A C H E R I O
J O A N N E S B O N A.

Ebbonis Apologeticon e Vaticana transumptum, cum Apographo collatum, & a se emendatum, mittens, postulatque priores pro sua Bibliotheca Spicilegii Tomos.

MItto, quod pridem tibi indicavi, Ebbonis Rhemensis Apologeticon haud contemnendum Ecclesiasticæ antiquitatis monumentum. Statim ut intellexi te illud desiderare, contuli me in Vaticanum; & obtenta facultate quæsivi, ac reperi Codicem MS. 576. Bibliothecæ Palatinæ pag. 14. repertoque ibi satis perito Amanuensi, ei tradidi transcribendum; tum altera die cum præfato Apographo antiqua manu exarato diligentissime contuli, & si quid erratum fuerat, minutissime emendavi. Non videtur alicubi sensus, sed tu, ut soles, conjecturas adjicies, & notationes. Si quid autem ago, quod studiis tuis prodest, non est, cur mihi gratias agas; tibi enim debeo multis nominibus quidquid habeo, quidquid possum. Unum exemplar meæ manuductionis ad Cœlum Parisiis impressæ libenter excipiam. Quia vero tua summa benignitas, & munificentia fiduciam mihi præbent nova beneficia impetrandi, audeo te exorare, ut cum mittes in Urbem Tomum VI. Spicilegii tui, addas pro mea Bibliotheca quatuor priores ejusdem Tomos. Sæpe rogavi Romanos Bibliopolas, ut eos quacunque impensa e Gallia huc vehi curarent, sed præter inania verba nihil habui. Refundam pro iis quidquid jusseris. Sit Deus adjutor laborum tuorum, & custos vitæ. Romæ 29. Februarii 1664.

LIII.

LIII.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Pro accepto Ebbonis Apologetico gratum se dicens, Spicilegii Tomos jam missos asserit, petitque, an comparabilis sit Vita S. Anselmi a Wadingo conscripta.

1. NUperas Litteras, & munus tuum ubertim animi, affectusque tui indices accepi; Apologeticum, inquam, Ebbonis Rhemensis Archiepiscopi, præclarum sane vetustatis, & Christianæ humilitatis monumentum, exemplumque. De me non modo, sed & de viris litteratis hac in re optime meritus es. Prolixius hocce beneficium prædicare supervacuum arbitror. Uno verbo, quod sæpius repeto, quia gratiam gratiæ accumulas, sum, & ero obstrictus, utpote vicem reddere impar.

2. Gaudeo equidem, scias velim, quod vota tua prævenerim: siquidem a duobus jam mensibus, cum in Bibliotheca tua priores Tomos Spicilegii nostri haud extare pernossem, retulissemque Reverendissimo P. Superiori nostro Generali, mandavit ipse, ut cum sexto quatuor alios Romam ad te suo nomine transmitterem: Unde ac tutum, ut id renuntiaret Reverendissimæ Paternitati tuæ; scripsi ad R. P. D. Gabrielem Flambart, cui Tomos istos, & exemplaria aliquot sexti, ocyus quam potero, Parisiis evehi Lugdunum, indeque Romam curabo.

3. Scire averet animus, utrum facile negotio comparari possit Vita S. Anselmi Lucensis Episcopi, quam scribis Romæ editam a Luca Wadingo: illam etenim vidi nusquam. Interim gratias ago de collectione Canonum ejusdem Anselmi, cujus exemplar MS. R. P. D. Gabriel Flambart sibi abs te traditum, ut transcribatur, certiorem me reddidit. Vale vir eruditissime, ac lætus, & sanus publico, nostroque privato commodo vive. Parisiis die 7. Martii 1664.

LIV.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

S. Anselmi Vitam, una cum carmine Augustini Favoriti pro profectione in Galliam Cardinalis Chisii se jam consignasse asserens, gratiasque agens pro Spicilegii Tomis, ab onere Abbatis Generalis absolutum se dicit.

1. POstquam intellexi ex novissimis litteris tuis gratam tibi fore Vitam S. Anselmi Lucensis Episcopi olim in hac Urbe editam a Luca Wadingo, quæsivi statim, & inventam tradidi R. P. D. Gabrieli, qui Parisios evehi curabit. Addidi amici mei Viri Clariss. Augustini Favoriti Cardinalium Collegii, & Eminentissimi Chisii a secretis carmen ad eumdem Cardinalem Chisium in Galliam navigaturum, quod D. Papæ obtulit in die Anniversaria suæ creationis. Tuum de illo, & aliorum eruditorum judicium libenter audirem. Tibi, & Reverendissimo P. Generali vestro quam maximas ago gratias, quod meam petitionem præ-

venien-

venientes, præclarum addideritis meæ Bibliothecæ ornamentum, Spicilegii tui priores Tomos, quorum tertium, & quartum a D. Gabriele simul cum litteris tuis accepi; primum vero, & secundum a benignitate tua præstolabor.

2. Egimus hic in Urbe Congregationis nostræ comitia initio hujus mensis, in quibus Abbatis Generalis nomen, & onus post decennium deposui, utpote incompatibile cum litterariis meis occupationibus. Abstinebis itaque ab hoc titulo, cum ad me scribere dignaberis. Solutus ab hac cura, facilius potero amicorum commodis incumbere, & tuis præcipue; Te enim præ omnibus amo, & veneror, utpote devotissimus, & obsequentissimus servus. Romæ die 15. Aprilis 1664.

L V.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Sanctorum Pauli Latrensis, & Niconis Vitas Græce conscriptas Eruditis Viris arrisuras affirmans, ejusdemque de Tomo VI. Spicilegii judicium cæteris anteponit.

1. TRansactis hisce diebus Sanctis, Pœnitentiarii præsertim munere fungens in hac Ecclesia, præpeditus, implicatusque ocyus scribere nequivi, tuæ ut responderem quæstioni, nempe an velim Græce Vitas Ss. Pauli Latrensis, & Niconis, quarum spem affert Vir Clariss. Leo Allatius. Sane erunt & mihi, & Viris eruditis gratissimæ, si haud gravate tua industria possunt comparari, & exscribi, quod quidem spero; quippe singulari tuæ erga me benevolentiæ nihil tam arduum est, quod hactenus non superaverimus. Asserit R. P. D. Gabriel, utriusque Vitæ Latinum Apographum se Veredario commisisse, de quo cum accepero, certiorem te faciam, interim gratias ago.

2. Tomos Spicilegii abs te desideratos misi D. Gabrielem tibi offerendos, Reverendissimi P. nostri Superioris Generalis nomine, qui & jussit, ut significarem, rogaremque ea, qua soles humanitate, digneris hocce munusculum, veluti specimen observantiæ erga te suæ, accipere.

3. Equidem tuum de VI. Spicilegii mei Tomo judicium, utpote Viri gravissimi, non tantum magni facio, aliisque antepono: sed & mirum in modum ad spicas continuato labore colligendas, ordinandasque animum addit, quem antea aliquo usque despondeam. Bene vale, meique, dum sacra facies, memineris, oro. Parisiis 18. Aprilis 1664.

L VI.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Transcriptam S. Anselmi Canonum Collectionem e Bibliotheca Barberina, Vaticani Codicis ope sex libris ditiore se correcturum spondens, eumque certiorem facit alteram Collectionem in Barberina Bibliotheca reperiri, & in Vaticana Attonis Vercellensis Episcopi Opera, aliudque opusculum Polypticum *prænotatum.*

1. TRanscripta tandem est S. Anselmi Collectio Canonum, qualis reperitur in veteri Codice Eminentissimi Cardinalis Barberini; sed

ſed quia in eo quædam lacunæ ſunt, contuli me in Bibliothecam Vaticanam, ut viderem, an ex aliquo integro exemplari poſſent ſuppleri. Inveni autem multo plura, quam quæſieram; nam cum Codex Barberinus ſeptem tantum libros contineat, in Vaticano, eoque ſatis antiquo, ſunt tredecim. Curabo igitur non ſolum præfatas lacunas impleri; ſed etiam ſex poſteriores libros deſcribi, petita facultate a Sanctiſſimo D. N. cum ex ſeceſſu ſuburbano, in quem hodie, vel cras ſe conſeret, reverſus fuerit.

2. In eadem Bibliotheca Barberina extat alia Collectio Canonum incerti Authoris, quam ſæpe citat Antonius Auguſtinus ſub nomine Collectionis Cæſar-Auguſtanæ, ut retulit mihi ejus Bibliothecæ Præfectus, Vir eruditus: & eſt eadem prorſus, quam ipſe Auguſtinus inter ſuos Codices MSS. recenſet in ſua Bibliotheca Ss. Latinorum num. 286 & dicit fuiſſe Hieronymi Zuritæ, poſtea Monaſterii Aulæ Dei Ordinis Carthuſianorum (*a*); neſcio quo caſu huc delata ſit. Dominus Cardinalis permittet libenter eam tranſcribi, ſi volueris.

3. Quia vero de re libraria ſermo eſt: addo me nuper incidiſſe in Opera Attonis Epiſcopi Vercellenſis, qui vivebat anno 945. (*b*). Sunt in Bibliotheca Vaticana, atque in Codice 4322. qui vetuſtiſſimus eſt, adeo ut videatur vel ab ipſo Authore, vel circa ejus tempora ſcriptus. Sed proh dolor! Liber eſt ſuperiori parte corroſus, & carie conſumtus. Tranſcribi eum curaverunt ejus Bibliothecæ Cuſtodes, ne totus periret; propter Authographi vitium frequentes inſunt lacunæ, quæ grandem legenti moleſtiam afferunt. Continet primo ſermones, qui vix legi poſſunt, in præcipuis anni Feſtivitatibus: & hi non fuerunt tranſcripti. Sequuntur liber Canonum Eccleſiæ Vercellenſis, continens capita centum; liber de preſſuris Eccleſiaſticis in tres partes diviſus. Primus eſt de judiciis Epiſcoporum; ſecundus de ordinatione eorumdem; tertius de facultatibus Eccleſiarum. Sunt & quædam Epiſtolæ pulcherrimæ de rebus Eccleſiaſticis. Omnia hæc ſtylo claro, & qui ætatem illam redolet. Oh præclarum Eccleſiaſticæ antiquitatis, & diſciplinæ monumentum, & plane dignum tuo Spicilegio, ſi integrum foret. Sed rerum antiquarum fragmenta etiam in pretio habentur. Eſt denique aliud Opuſculum, quod Polypticum, ſeu Perpendiculum inſcribitur, in quo noxia redarguere, & honeſta ſancire docet. ſed ſtylo prorſus diverſo, affectato nimirum, & prorſus ænigmatico. Bis in eodem Codice eſt, primo ſimpliciter, ſecundo cum ſcholiis, & notis. Sic incipit -- *Hujus qui languor eſt* --. Promiſi textum Græcum vitæ S. Niconis; dum hæc ſumma animi voluptate percurrerem, dixi protinus intra me: oh ſi adeſſet meus Lucas Dacherius, quantum mecum gauderet! Et quam libenter hunc repertum theſaurum cum eo partirer! Grata ſit tibi mea voluntas, amicorum præcipue, & ſcito hæc tibi ab eo ſcribi, qui eſt, & ſemper erit tuus. Romæ die 5. Maii 1664.

(*a*) Fundata fuit hæc Charthuſia ad oram fluminis Gallæci a Fernando de Aragonia Regis Catholici Filio, & Epiſcopo Cæſarauguſtano anno 1564., qui eidem Aulæ Dei nomen attribuit, impoſuitque ob devotionem erga Cœlorum Reginam, cujus Virginalem Uterum Deus ibi in Aulam elegit. Eidem Carthuſiæ citatus Hieronymus Zurita fatis cedens, librariam ſupellectilem, nonnullaque Opera inedita a ſe compoſita, bonaque ſua in hæreditatem legavit. Vide Morotium in Theatro Chronologico Carthuſianorum, alioſque ab ipſo citatos.

(*b*) De Attone Vercellenſi Epiſcopo videndus Ughellius Tom. 4. Italiæ ſacræ in Epiſcopis Vercellenſibus de eodem, & ejus operibus fuſe agens.

L V I I.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Reperti Attonis Epistolas transcribi postulans, Polypticum Ratherio Veronensi adjudicandum censet, primaque folia collectionis Canonum Anselmi peroptat.

1. NON bona tantum mihi adprecaris, immo & beneficia affatim conferre tibi deliciæ videntur, quæ adeo singularia sunt, ut verbis vix ea exprimere, nedum vicem reddere sim prorsus impar, impotensque. Quid itaque reponam, mi Pater Reverendissime, cum nihil habeam? Certe æternum tibi devinctissimum, me fatear, oportet.

2. Perjucunda mihi fuere nuntia de Operibus Attonis Vercellensis Episcopi in Biblioth. Vatic MSS. adinventis; sed proh dolor! corrosa sunt, inquis, superiora folia, quod labem, perniciemque affert rei litterariæ maximam. Erunt nihilominus, spero, hæc opera, qualiacunque existant in illo Codice profutura: nam sæpe utilia sunt & fragmenta veterum (bonæ notæ præsertim) scriptorum, ut scite admodum, & docte observas: libenter igitur colligam egregias adeo spicas, ne pereant, & Spicilegio meo inseram. Dignaberis pro tua humanitate, si liceat per otium, quantocyus epistolas exscribi curare; deinde transmitter R. P. D. Gabriel, ad quem hac de re scribo, ni Forte an spes fuerit certa Vercellis integra omnia posse reperiri, ac comparari, quandoquidem familiaritate cum Antistite ejusdem Civitatis jungi te asseris, notatque Ughellius, quod te non fugit, in Episcopis Vercellensibus de Attone agens, extare ipsius Opera in Archivio Vercellensi. Polypticum vero, seu perpendiculum, an partus censeri debeat ejusdem Authoris, graves ob rationes merito in dubium revocas. Porro quæ in litteris refers verba, stylum plane, ac genium, mea quidem sententia, redolent Ratherii Veronensis, cujus opuscula complura continet Spicilegii mei Tomus 2. Prius hunc habet titulum: *Volumen perpendiculorum Ratherii Veronensis, vel visus cujusdam appensi*: queis conjectare datur Ratherio tribuendum illud opus in Vaticano Codice repertum.

3. Non magni facio Collectionem Anonymam, quæ olim Antonii Augustini fuit, quippe plures ejusdem Collectiones hic, & Parisiis asservantur, quare in his haud morandum scribendis.

4. Si Actorum Ss. Pauli Latrensis, & Niconis textus græcus nondum sit descriptus, desinat, quæso, Amanuensis; perparum siquidem historiæ rei, aut disciplinæ Ecclesiasticæ, varia solummodo miracula complectuntur. Quid ergo utilitatis conferent Viris eruditis, quibus studeo proficere in vulgandis veterum Authorum scriptis? Plane non video, & hæc quidem pace tua dixerim.

5. Tantis me divitiis auges, ut pene obliviscar Anselmi Lucensis. Non sat tibi est, Reverendissime Pater, indicasse illius Antistitis collectionem; verum etiam variis licet, iisque gravissimis negotiis occupatus, in Bibliothecam Vaticanam ad lacunas, quibus fœdatur Codex Barberinus, supplendas advolasti. Ecce dum Codicem revolvis, sex alii, qui in Barberino deerant, libri occurrunt. Sic nimirum tuæ dili-

gentiæ

gentiæ adscribent Viri eruditi, cum integrum, ac numeris omnibus absolutum prodibit opus; ego quippe curabo, ne benemeritus sua laude fraudetur. Optarem Apographi prima duo folia videre, quo nobilis thesauri partem osculando, opem meam interim sustentare valeam. Precor Deum, ut pro tuis erga me amplissimis studiis, atque beneficiis perpetuum conferat præmium. Parisiis die 30. Maji 1664. e Monasterio San-Germano.

L V I I I.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Operam pro transcribendo Attone navatam exponit, nullam spem esse dicens illum ex Vercellensi Codice habendi.

ACcipio litteras tuas, quibus exscribi petis epistolas Attonis Vercellensis, tempore non admodum opportuno; nam Bibliotheca Vaticana clausa est; nec aperietur usque ad Kalendas Octobris propter calores æstivos, qui hoc anno maximi sunt; ac pene intolerabiles. Codex non potest extrahi sine licentia Summi Pontificis, a quo non sum ausus petere, licet nudius tertius eum alloquutus fuerim; etenim viderer abuti ejus benignitate, quum jam concesserit extrahi Anselmum. Ut ergo satisfacerem votis tuis, conveni D. Allatium, quem scio habere facultatem domum suam asportandi unum tantum Codicem ex ipsa Bibliotheca: rogavi itaque, ut restitueret unum, quem domi habebat, & unum cum me contuli in Vaticanam, ac nobiscum tulimus Attonem. Ejus epistolas domi suæ transcribet Amanuensis hac hebdomada, ut spero; paucis enim paginis continentur, quas statim D. Gabrieli consignabo. Scripsi Vercellas: sed vix ulla spes est integra ejus opera Attonis ibi reperire; nam Doctor quidam Vercellensis, qui in hac Urbe commoratur, dixit mihi: Codicem Vaticanum ex illius Ecclesiæ Archivio Romam delatum tempore Pauli V. Admonebo D. Gabrielem, ut mittat tibi aliquot folia collectionis Anselmi, postquam collata fuerint cum Codice Vaticano. Romæ die ultima Junii 1664.

L I X.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS

Attonis epistolas, etsi lacunis fœdas, præstolans, Viri Clarissimi D. Sauval ab Urbe reducis verba in commendationem Bonæ refert, quem tamen sanitati restitutum gaudet.

1. LÆtatus equidem fueram, sicut qui lætantur in messe amplissima, cum apud Ughellium in Italia Sacra legissem Attonis Vercellensis opera Vercellis certo reperiri posse, spemque mihi fecisses ea te ab amico tuo Illustrissimo ejusdem Civitatis Præsule obtenturum. Sed proh dolor! Nullibi extant, ut scribis, nisi in Codice Vaticano, eoque corroso ad maximum rei litterariæ detrimentum. Benedictus Deus, qui non tribuit sæpe, quod volumus, ut quod malimus attribuat, docet Augustinus. Dolorem interim meum epistolæ, etsi lacunis fœdæ, quas promittis, utcunque deliniunt, & sublevant; itaque ubi præ-

ſcriptæ fuerint, quæſo ad me quantocyus transferendas cures, quo cætera Attonis Opera, an mihi profutura ſint, necne, conjectari liceat.

2. Non vereor hujuſmodi poſtulationes tibi fore moleſtiæ, quandoquidem tua ſponte continuos labores vis pro me haud merito ſuſcipere, quorum teſtem habeo locupletem, quamvis opera id minime prædicarent. Clariſs. Virum D. Sauval, qui nupertime Pariſios rediit. *Vidi*, inquit (quæ Romæ admiratus fuerat ad me referens) *Reverendiſſimum P. Bona Codices MSS. Bibliothecæ Vaticanæ ſedulo revolventem. Vidi virum humaniſſimum; vidi ſapientiſſimum, facundiſſimum, doctiſſimum: immo præter ipſum in Urbe vidi neminem, qui tam eximiis & animi, & corporis dotibus præpolleret*. Verba iſta, velim credas, ſummo me affecere gaudio. Faxit Deus bonus hoc, ut perfrui ſinat, quoad vixero; nempe incolumem te diutiſſime ſervet, ſupplex exoro. Pariſiis e Monaſterio San-Germano Kal. Auguſti 1664.

3. Ecce quum has litteras obſignare pararem dolore ſimul, & gaudio ſum affectus; quippe in graviſſimum morbum te chariſſimum Patrem incidiſſe ſcribit R. P. D. Gabriel; at vero paucos poſt dies omni ægritudine, ac moleſtia depulſis, ſubjicit ipſe, miſericordiſſimum Deum mihi compaſſum, quin & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, quam ſanctiſſimis moribus, & eruditione exornas, ſanitate reſtituiſſe, cui ego gratias refero, referamque immortales.

L X.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Grates proprio nomine D. Sauval per Dacherium reddi peroptans ſe ejuſdem precibus ſanitati reſtitutum aſſerit, ab eodem, an reliqua Attonis velit opuſcula, exquirit.

Litteras tuas Kal. Auguſti ſcriptas reddidit mihi D. Gabriel, quibus ſignificas Virum Clariſs. D. Sauval multa tibi de me dixiſſe, quæ me ſummo rubore afficiunt; plus enim mihi tribuit, quam merear, quod ſummæ ejus humanitati adſcribo. Dignatus eſt me domi inviſere, & paucis interjectis diebus, reperit in Bibliotheca Vaticana ad MSS. Codices Attonis Capitulare conferentem. Rogo, ut illi gratias quam plurimas agas meo nomine. Tu vero, qui me tot beneficiis cumulaſti, non deſinis iterum honeſtiſſimis verbis onerare, Tuis precibus acceptum fero, quod e certiſſimæ mortis diſcrimine me Deus eripuit. Graviſſima ægritudo fuit, quæ me paucis horis ad extrema deduxit. Febris enim me repentina invaſit: tam continua pravorum humorum ſupra, & infra per unum diem, & noctem eruptio, nervorum etiam contorſiones, & convulſiones acerrimæ, aliaque ſymptomata, a quibus nedum plene convalui: nam & ſtomachi languor, & capitis debilitas me a libris abſtinere cogunt: ſed ſpero ineunte Autumno me ad priſtinam incolumitatem rediturum. Moleſtiſſima mihi fuit hæc infirmitas, vel hac de cauſa, quod non potui collectionem Anſelmi ad probæ notæ Vaticanum Codicem referre, & emendare, ſicut dudum ſtatueram, ut quidnam fieri poſſet, ad te ſine mendis perveniret. Oro te, ut deſiderium meum acceptum habeas.

Si

Si quid vero dubium occurrit, admoneas, ut ex collatione cum præfato Codice tolli queat. De Attonis epistolis quid sentias, expecto: & an velis reliqua Opuscula, seu potius Opusculorum fragmenta transcribi. Vale, & me ama, ut facis, tuisque orationibus Deo commenda. Romæ die 25. Augusti 1664.

L X I.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Pro acceptis Attonis Epistolis, primisque foliis Collectionis Canonum Anselmi gratias agens, reliqua Attonis Opuscula transcribi, & sibi mitti postulat.

NUdius tertius Attonis epistolas, etsi deartuatas perjucunde accepi, & exosculatus sum, utpote summæ eruditi viri, cujusque stylus veteres redolet Patres; ac proinde cuperem, si fas esset, nec grave tibi, librum ejusdem Authoris de pressuris Ecclesiasticis in tres partes divisum, quemadmodum ipse in litteris indicasti. Librum quoque Canonum Ecclesiæ Vercellensis, ni prolixiorem vererer, averet animus; sed prius illum de pressuris exscribendum, & ad me transmittendum existimo; quo de Canonibus quid sentiendum, utcunque valeam judicare; qua de re scribo ad R. P. D Gabrielem. Accepi una cum hisce epistolis septem quaterniones collectionis Canonum Anselmi Lucensis. Ingens sane opus, & improbi latoris: an vero studiis meis profuturum sit, nondum conjicere potui. De his interim omnibus Reverendissimæ Paternitati tuæ gratias ago, quas possum maximas. Utinam verum sit, quod mihi venit in mentem, nimirum firmam esse valetudinem tuam. Si ita fuerit, ut summus erga te amor exoptat, certiorem quæso, dum ad me scribes, reddere non obmittas. Parisiis die Assumptæ Virginis sacra 1664.

L X I I.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Nullum in Vercellensi Tabulario Attonis exemplar reperiri scribens, se brevi ab Urbe recessurum, ait, una cum Card. Pallavicino, nonnullasque exemptiones a Pontifice sibi concessas subdit.

1. GAudeo, quod Attonis epistolas tales repereris, quales tibi rescripseram; utinam possem aliquod exemplar integrum alicubi reperire. Episcopus Vercellensis Tabularium diligentissime perlustrari jussit, sed nihil repertum est. Aliud extat in eadem Civitate Cartophylacium Canonicorum, cujus custos pollicitus est mihi se omnes chartas exactissime discussurum; & si quid Attonis invenerit, brevi certiorem me reddet. Interim peragendum est mihi longum iter, quod me extra Urbem per aliquas hebdomadas destinabit. Non admodum libenti animo id aggredior: vereor enim, ne viæ incommodis imbecillitas mea succumbat, sed Principi de me optime merito, hoc summis precibus exigenti, non potui honeste negare. Is est Eminen-

tissimus Card. Pallavicinus, Vir ob singularem doctrinam, & alias eximias dotes Urbi, & Orbi notissimus, qui religionis, ac recreationis etiam gratia, ad Deiparæ sacram ædem Lauretanam, ad Montem Alverniæ S. Francisci incolatu consecratum, aliaque sanctuaria Umbriæ, & Picæni statuit proficisci, meque socium suæ peregrinationis pro sua benignitate adscivit. Sanctissimus D. N., sine cujus licentia non licer mihi extra Urbem pernoctare, libentissime impertiit, sperans hanc ambulationem proficuam fore valetudini meæ, cujus majorem, quam mereor, curam habet. Faxit Deus. Cum rediero, si nulla spes fuerit integrum Attonis librum de pressuris Ecclesiasticis Vercellis inveniendo, curabo transcribi ex Codice Vaticano.

2. Quod vero attinet ad meam valetudinem, cujus statum sollicite inquiris, hactenus exigua fuit: sed ab heri, & nudius tertius meliuscule me habeo; deferbuit enim calor, & venti australes cessarunt, qui me pene enecabant. Præsidio etiam mihi erit ad vires pristinas recuperandas Summi Pontificis erga me propensa voluntas: nam sua sponte præcepit, ne nocte surgam ad vigilias, neve deinceps monasticis vescar cibis; meque ab aliis nostræ Congregationis austeritatibus amplissimo diplomate exemit; quod vero magni facio, ex sua Cella vinaria vinum mihi suppeditari possit, quoties voluero. Hæc tibi liberius, ut soleo, nam & me summopere amas; & te ego diffusissime redamo. Utinam Christi amor nos aliquando indissolubili vinculo jungat in Cœlis. Vale Romæ 9. Septembris 1664.

L X I I I.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Virum Clarissimum D. Felibien Baccalaureum Sorbonicum Romam proficiscentem ejus patrocinio commendat.

TAm celebris est tuæ eruditionis, & sapientiæ fama, ut qui Romam petunt Viri litterati, te videre, teque alloqui percupiant. Unde Vir Clariss. D. Filibien Baccalaureus Sorbonicus, probe sciens familiarem, qua me dignaris, amicitiam, ac volens viros doctos, & te in primis invisere, cum Parisiis discederet, litteras a me commendatitias expetiit, cui equidem ego libenter, utpote viro doctissimo, ac virtutibus præclaro assentiens, paucis hisce verbis oro te, Reverendissime Pater, ut illam, quam & notis, & extraneis exhibere soles humanitatem, & ipsi exhibeas: seque a me commendatum experiatur; ex quo tibi æternum fuero, velim credas. Parisiis die 15. Septembris 1664.

L X I V.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Attonis de pressuris Ecclesiasticis, Canonumque Vercellensis Ecclesiæ libros transcribi postulans; nonnulla subdit circa Abbatem de Ransé, *tunc de Trappa ad Romam proficiscentem.*

1. PErgratæ mihi fuerunt litteræ 25. Augusti tua manu exaratæ, quod ex iis didicerim te multo melius e gravissima ægritudine

ne valere: atque ut perfectam, firmamque sanitatem possis adipisci, D. O. M. supplex orare non desinam.

2. De Attonis epistolis recolo, ni memoria me fallat, mentionem in postrema epistola injecisse; nempe esse viri gravis, ac in re Ecclesiastica, & antiqua versati, mea quidem opinione significavi, ideo tuam sum deprecatus humanitatem, ut exscribendum curare dignaretur librum de pressuris Ecclesiasticis: nunc addo & librum Canonum Ecclesiæ Vercellensis, si contineat is, quod conjicio, ea capitula, sive statuta, queis more illius sæculi, ac præcedentium nonnullorum disciplina tum clericis, tum laicis, qua quisque in suo statu recte vitam componeret, præscribebatur. Tuæ eruditionis, & prudentiæ erit dijudicare, an exscribenda sint, necne, ut expensæ, ac labor hac in re frustra non impendantur. Expectabo igitur, & si res ita est, ut opto, illas omnes Attonis Perycopes Tomo VII. Spicilegii inserere haud refugiam. Tu vero ad valetudinem tuam vel conservandam, vel confirmandam, sepositis interim omnibus gravioribus curis, omne studium confer, ut mihi, quin & Ecclesiæ, eo quo pede soles, proficere pergas.

3. Juvenem Gallum, cujus schedulam misisti, scientia non mediocriter excultum, jampridem agnosco. Viderer facturus injuriam humanitati tuæ, si te orem, ut solita benevolentia ipsum complectaris; scio enim sponte facturum; litterulas commendatitias ad te hesterna die dedi Baccalaureo Parisiensi non aliam ob causam, nisi ut coram audire possit, quod de te fama ubique percrebuit. Romam proficiscitur cum insigni Abbate *de Ransé*, nunc de Trappa (*a*), qui & alius Abbas Ordinis Cistercensis causæ de stricta observantia tuendæ gratia Urbem petunt. Abbas ille *de Ransé* Doctor Parisiensis non solum, sed omni scientiarum genere instructus, & Abbas Commendatarius, spretis mundi illecebris, quod te opinor non later, Christi monitis obtemperans: *Nisi efficiamini sicut parvuli*, rudimentis Monasticis se Matth. 18. 3.
abhinc plus anno tradiderat instruendum. Jam nunc inter primos Abbates arctæ disciplinæ ob egregias virtutes accensendus; quod sane miraculi instar in hoc sæculo exulceratissimo suscipiendum est. Parisiis 26. Septembris 1664.

(*a*) Hujus Monasterii de Trappa sub invocatione Beatæ Mariæ meminit Jongelinus in notitia Abbatiarum Cisterciensium, eamque filiam Brolii-Benedicti de linea Claravallis nuncupat, fundatamque vult anno 1140. Manrique Annal. Cisterc. Tom. 2. ad annum 1148. cap. 7. n. 10. ejus fundationem refert ad diem 10. Decembris ejusdem anni. De eadem videndi Cæsarius Heisterbacensis Histor. memorab. lib. 7. cap. 9. Henriquez in Menol. Cisterc. ad diem 7. Maji, qua obiit B. Adam ejus loci Abbas. Seguinus in Compendio Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib. 3. cap. 48. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson Histor. Eccles. part. 3. tom. 8. ubi diffuse agit de Armando Joanne Buttilierio Ranczo, Abbate Monasterii B. Mariæ domus Dei de Trappa Ordinis Cisterciensis, deque nota reformatione per eum ibidem introducta. De eodem quoque sermonem habet Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Malachias d' Inguimbert ex Monacho Trappensi Archiepiscopus Carpentoratensis a Clemente XII. creatus in libro a se edito sub hoc titulo: *Genuinus character Reverendi admodum in Christo Patris D. Armandi Joannis Buttilierii Rancæi Abbatis Monasterii B. Mariæ domus Dei de Trappa*.

L X V.

D. JOANNI BONA BERNARDUS (a) AUDEBERT.

Pro acceptis nonnullis Sanctorum reliquiis gratum se dicens, & divina Psalmodia Tractatum commendat.

1. ACcepi tandem, quas ad me Sanctorum reliquias misisti; sed quanto cum lætitiæ sensu, nemo dixerit; cum hoc munere nec attento viro dignius, nec a me sanctius potuerit expectari. Fecit sane Paternitas vestra sua pietate dignum, dum ad me direxit pignora hæc Cœlo debita, trophæa mortis, immo & vitæ, quibus interim ista, quæ sub Cœlo est, Hierusalem, exilii sui solatur molestias, Patriæ Cives, ex parte licet minima, contuens. Iterum dico, lætatus sum, dum hæc accepi, sicut qui invenit spolia multa: & tanta quidem, ut plura ex eis nostra Monasteria ditaverim, in quibus, spondeo, tantus hisce sacris exuviis honor habebitur, quantus a mortalibus exhiberi potest.

2. Legi etiam divinam Paternitatis vestræ Psalmodiam; opus divinum certe, & suis omnibus numeris absolutum, in quo sive quis antiquitatis delectetur arcanis, sive quis pietatis sensu moveatur, sive quis scientiæ studio teneatur, inveniet, majore votis opinione, expectationem. Quamobrem (liceat hoc mihi) vestram Paternitatem oro, obtestorque, ut quam plurima poterit opera, publici juris faciat, & quod sine fictione didicit, sine invidia communicet. Aspirat huic quidem fortuna labori; verum ampliorem spem dedisti, non complesti: nec eam forte sine religione frustrare poterit; opto quidem etiam, ut hisce tuis in me meritis respondere queam, sed qua tandem ratione? Nisi ipse dixeris, non video; cum nihil juris esse putem, quod vestræ Paternitati prodesse possit. Si quid tamen, vel ut mihi gratiam præstet, expetierit, hoc sibi jam totum deberi sciat: sum enim toto pectore. Parisiis 30. Octobris 1664.

(a) *Bernardus*. De eo frequens mentio in hisce epistolis. Maurinæ Congregationis Generalis Superior, Vir eruditione, pietate, & zelo insignis.

L X V I.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Redditam sanitatem, beneficiaque a Summo Pontifice collata, gratulatus; eundem, quo in loco Altaris collocari debeat Eucharistiæ Sacramentum, consulit: & cur Launoji Opera inter prohibita non recenseantur, doceri petit.

1. DE tuo discessu admonitus decreveram non prius postremis tuis responsum dare litteris, quam resciviſſem te Romam rediisse: at cum ingenti desiderio tenerer de tuo statu aliquid cognoscendi, diutius mihi temperare nescivi, quin calamo manum admoverem, litterasque exararem, ut consolationis nonnihil inde perciperem; & scires, quam jucunda fuerit illa significatio singularis erga me amicitiæ tuæ;

dum

dum videlicet in meum quasi alterius tui ipsius sinum effundis tui cordis arcana, certioremque me facis de beneficiis a Summo Pontifice tibi abunde collatis, qui amplissimo Diplomate, aliisque modis dolores tuos delinire curat. Et prudenter quidem, ac provide vigilantissimus Pastor ipse viri de Ecclesia benemeriti consuluit valetudini infirmæ, ac fractæ propter labores pro hac ipsa Christi Sponsa exantlatos: quo sublevatus vires tam corporis, quam animi ad onera denuo imposita facilius, leviusque subeunda valeat impendere.

2. Attonis Opera expetivi describenda; modo immensis scriptura non constet expensis, uti Collectioni Canonum Anselmi Lucensis accidit; factum id scio aut necessitate, aut inscitia eorum, qui hanc curam suscepere.

3. Mos, heu inducitur, recondendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in arcula, quæ supremum Altaris gradum non supereminet, ut pedes candelabrorum æquent superiorem arculæ partem, cui, veluti suppeditaneo, magna est Crux affixa, qui vero morem istum adsciscere conantur, favere sibi falso opinantur Canonem Concilii Turonensis II., cujus hæc sunt verba: (*a*) *Ut Corpus Domini in Altari non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. Sed longe eos a mente Concilii aberrare existimo; non enim ajunt Patres componendum Corpus Christi sub pede Crucis, sed sub titulo, nempe (ut interpretor) J. N. R. J. super caput Crucifixi, & non in imaginario ordine, idest, collocandum in ordine, qui superest omnes Altaris imagines. Continuo quidem consuetudo fuit apud Ecclesiæ Rectores in altum sustollere Corpus Christi adorandum in Altari. Rationes non attexo; te non latent. Ea de re quid sentias, quæso, me litteris doceas.

4. Ecquid causa fuit, cur in Librorum prohibitorum Indice nuper Romæ edito (*b*) Opera Joannis Launoji Doctoris Parisiensis non reperiantur proscripta? Sane vehementer sum admiratus; vale. Parisiis 31. Octobris 1664.

(*a*) Quomodo exponendus sit hic Canon, videndus Labbeus in notis ad eumdem Tom. 5. Conciliorum. De hoc iterum agitur in Epist. LXVIII. & in sequenti.

(*b*) Licet ab eo tempore, quo Dacherius scribebat, Launoji Opera inter damnata non reperirentur in Librorum prohibitorum Indice; tamen ejus opuscula a Sacra Indicis Congregatione prohibita fuere 21. Novembris 1690., & die 2. Julii 1686. ut patet ex novo Indice Librorum prohibitorum; quin & in veteri adhuc nonnulla ejus Opuscula proscripta erant.

LXVII.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Quæsitis ab eodem propositis facit satis.

1. Continuæ meæ occupationes, & novissima ægritudo impedimento fuere, ne attentius evolverem Anselmi Lucensis Collectionem Canonum; nam proculdubio percepissem, quam modico studiorum tuorum emolumento transcriberetur. Obsecro; ut ignoscas; nec Attonem quidem potui legere, nisi perfunctorie; sed exigua erit impensa, & deinceps in hac re ero diligentior. Sic contigit studiosis; sæpe librorum tituli nos decipiunt.

2. Quod attinet ad ritum collocandæ Crucis in Altari, praxis Romanæ Ecclesiæ hæc est: in Basilicis insignioribus non solet Missa

cele-

celebrari in eo Altari, in quo asservatur Eucharistia; & ideo in illo non ponitur Crux . At in aliis Ecclesiis Crux ita collocatur, ut ante oculos Celebrantis sit , ne eos sursum attollere necessarium sit ad ipsam inspiciendam: idque etiam observatur , ut commodius incensari possit, cum Sacrum solemniter celebratur . Sit ne autem supra , vel infra arculam , in qua reconditur Corpus Christi , nulla ratio habetur. Neque putant nostri cæremoniarum Magistri huic consuetudini officere Concilii Turonensis Canonem a te citatum ; nam varia est ejus interpretatio , ut ipse videre poteris apud Baronium Tom. VII. anno 570. , ubi agit de hac Synodo Turonensi , & apud Joannem Stephanum Durantium lib. 1. cap. 16. de ritibus Ecclesiasticis.

3. In Indice Librorum prohibitorum nuper edito exiat unus Liber Launoji pag. 221. cæteri si desint, ne mireris. Non omnes Libri in manus Censorum perveniunt ; nec omnes accusantur apud Sacram Congregationem : sicut non omnes fures suspenduntur , ut fert vulgaris paræmia, quia multi lictorum manus effugiunt. Deus te incolumem diu servet. Romæ 2. Decembris 1664.

LXVIII.

D JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Pro responsione ad Canonem Concilii Turonensis gratias habens , Baronii interpretationem respuit ; nomine Patris Generalis nonnullos libros dono missos indicat , & Patrem Chantelou immatura functum morte valde deplorat .

1. DE tua ad Canonem Concilii Turonensis responsione gratias habeo plurimas; quod vero ad Baronii interpretationem attinet, semel iterumque legeram , sed arrisit nunquam ; ea de causa eruditos nonnullos , te in primis consulere visum est , ut enodare hujusce Canonis difficultates , quibus aliquando hæsi, valerem: atque adeo nuperrime ab eruditissimo dissertatiunculam accepi , qui profecto a Baronii , Durantii , Espencæi, & aliorum interpretationibus dissentiens præclaram , ac doctam , mea quidem sententia , profert . Si detur occasio , eam vulgare non obmittam.

2. Misimus ad R. P. Gabrielem libros nonnullos, Tom. V. videlicet Bibliothecæ Patrum Asceticæ , libellum Baccalaurei Parisiensis adversus Joannem Launojum; Poesim de nova capsa Sanctissimo P. Benedicto fabricata, & alia munuscula nomine Reverendissimi P. Genereralis tibi offerenda , quæ haud injucunda fore existimavimus.

3. Miror equidem quanta animi demissione excusari a me postules, quasi vero, dum me beneficiis cumulaveris , injuria affectum putem : ut tam ingrato animo esse velim , minime suspiceris; tibi enim sum, eroque in æternum obstrictissimus.

4. Tam vehementi dolore obrutus fui de charissimi sodalis mei D. Claudii Chantelou præmatura morte (nondum 48. annos attigerat), ut aliquandiu respirare vix , nedum loqui potuerim . Et quod multum auxit dolorem , inter brachia mea efflavit animam; unde mihi temperare nequivi , quin abundanter illachrymarer . Vir sane erat Monasticæ disciplinæ observantissimus, & non modo veteris Theologiæ

logiæ peritus, sed præsertim in rebus Benedictini Ordinis historicis longe versatus, quem veluti alterum me ipsum tuis Precibus, & Sacrificiis commendo. Incolumem, ac felicem te Christiclementia tueatur. Parisiis sub die secunda anni 1665.

L X I X.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Patris Chantelou mortem dolens, alium Monachum Virum eruditum suffici exoptat, qui incboatam Bernardi editionem absolvat.

1. DE præmatura morte sodalis tui D. Claudii Chantelou summus mihi dolor fuit, & proximus tuo; sciebam enim eum tibi amicissimum esse, & ego plurimi eum æstimabam ob novam editionem S. Bernardi, quam incœperat, summoque judicio, ac eruditione ordinabat. Verissimum hoc est; magnorum Virorum quantum sit pretium magis nos intelligere, cum eos amisimus, quam cum viventibus fruebamur. Visus sum mihi te audire hujusce Viri jacturam deplorantem iisdem verbis, & affectibus, quibus Bernardus Gerardum & Aelredus Simeonem prosecuti sunt. Sed hæc sunt tributa nostræ mortalitatis æquo animo ferenda, quia inevitabilia, & Divinæ Providentiæ justissimo decreto ab æterno sancita sunt. Obtuli Sacrificium pro illo; teque enixe deprecor, & per te Reverendissimum P. Generalem, ut aliquem illi sufficiat, qui inchoatam Bernardi editionem perficiat: Non enim vobis desunt Viri docti, qui tua adjuti ope, & protectione, huic operi digne incumbant. Hoc omnes Religiosi, hoc Respublica litteraria a vestra pietate, & doctrina exoptant, idque etiam exigit vestræ Congregationis honor, & existimatio.

2. Dudum mihi mandaverat P. Flambart, ut Aimoinum de Abbatibus Floriacensibus quærerem, sed nec in Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sueciæ, nec in Vaticana repertus est. Tomum V. Bibliothecæ Asceticæ, & alia munera vestra nondum accepi; gratias tamen ago immensas, atque utinam aliquando referre possim. Inter cætera gratissimum mihi erit super aurum, & topazion sertum ex ligno capsæ, in quo Sanctissimi P. Benedicti sacra ossa quiescunt, quod exultantis animi intima devotione exosculabor, & inter charissima mihi pignora conservabo. Vale, & gratia Christi tecum sit semper. Romæ die 10. Februarii 1665.

L X X.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Dotes D. Joannis Mabillonii ad S. Bernardi opera edenda suffecti enumerat, suumque de nonnullis operibus, eidem Doctori Mellifluo adscriptis, judicium petens.

JAm a tribus circiter mensibus unus e nostris a Superioribus jussus, me rogante, ad S. Bernardi opera denuo edenda, quod ipse optasti, animum appulit, strenueque iis incumbit, ut pura in lucem prodeant; vestigiis inhærens charissimi mei sodalis D. Claudii de Chan-

telou. Vocatur ille Joannes Mabillon, qui dotes habet tam sancto Operi aptissimas; in primis est humanioribus litteris satis excultus; Philosophiam, & , ut ajunt, Scholasticam Theologiam callet non mediocriter: nunc vero legendis, intelligendisque Sanctis Patribus, Conciliis, & Historia Ecclesiastica sæpe dat operam; queis illustratus Syderibus lucis nonnihil effundere queat. Uno sub prælo cuduntur illa Bernardi Opera in fol. & in octavo. Porro legimus apud Horstium, & Carolum Visch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis, extare Romæ in Bibliotheca Sfortiana libros *de Vita Prælatorum*, & *de triplici ascensu ad perfectionem*. Item Ferrariæ in Bibliotheca S. Andreæ *Commentarium in Epistolas Pauli*, quæ quidem Opera Mellifluo Doctori adscribuntur; at falso haud dubie: scire tamen averet animus de iis quid sentiat singularis eruditio tua, anque reperiri facili negotio possint duo præsertim priores libri. Statim atque Reverendissimus Pater noster Superior Generalis audivit, quod Diurnum Eruditorum videre optares, præcepit, ut Romam qualiber hebdomada ad D. Gabrielem Flambart transmitterem, cui, ut libentissime obtemperem, hodie mitto hujusce hebdomadis Diurnum; sicque faciam Deo favente deinceps. Parisiis die 20. Martii 1665.

L X X I.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Suam spondens operam in perquirendis D. Bernardo adscriptis opusculis, nonnulla ex illis enumerat, de eorum Authore propriam subdens sententiam.

1. JUcundissimæ mihi litteræ tuæ contigerunt, quibus asseris unum ex vestris virum doctum, novæ, & jam inceptæ Operum S. Bernardi editioni sedulo incumbere. Perlustravi Bibliothecam Sfortianam, & licet inde multi Codices sublati fuerint, in ea tamen reperi Tractatus, de quibus scripseras: *De Vita*, scilicet, *Prælatorum*, & *de triplici ascensu ad perfectionem*. Primus est celebris Epistola 42. ad Henricum Senonensem, quæ in editione Horstii inter opuscula collocata est Tomo IV. post Tractatum de Consideratione; secundus est Tractatus ad Fratres de Monte-Dei.

2. Necessarium foret in vestra editione hac de re monere Lectorem, ne deinceps diversa illa inscriptio sollicitet curiosos. Habeo etiam Ferrariæ Amicum, ad quem de Commentariis in Epistolas Pauli scripsi, tametsi non dubitem ea perperam D. Bernardo tributa esse. Extat sub nomine S. Doctoris expositio in septem Psalmos Pœnitentiales edita Venetiis in 4. quæ proculdubio est Innocentii III. ut memini in mea divina Psalmodia pag 279. editionis Parisiensis. Speculum quoque Bernardi Cassinensis de his, ad quæ Monachus obligatur in sua Professione, quod habeo Venetiis impressum 1505. Memini me vidisse a quibusdam imperitis Bernardo nostro adscriptum; si quid aliud reperero, certiorem te reddam, nihil enim mihi jucundius, quam tuis, tuorumque studiis prodesse.

3. A R. P. Flambart accepi Tomum V. Bibliothecæ Asceticæ, & elegantissima Carmina P. Vaiblant heroica, & Lyrica, qui revera in Poesi multum valet. Et quia Sanctissimus D. N. his amœnioribus litteris,

teris, in quibus utile dulci, & pietas eruditioni miscetur, non abhorret, curabo, uti ea vel ipse legat, vel me legente audiat horis, quas post prandium honestæ relaxationi cum viris doctis tribuere solet. Interim tibi, & per te Reverendissimo P. vestro Generali gratias humillimas ago, Deumque rogo, ut vos diu servet incolumes. Romæ 21. Aprilis 1665.

L X X I I.

D. J O A N N I B O N A

PETRUS DE GOUSSAINVILLE Presbyter Parisiensis.

Psalmodiæ divinæ Librum commendat, & ad se mitti rogat quidquid in Cæremoniali Romano a viginti annis immutatum est, inserendum Libro de Cæremoniis Michaelis Baudry, cujus nomen insertum cupit Catalogo virorum illustrium eidem Psalmodiæ præfixo.

Licet ignotus, non tamen ad ignotum scribo; Christianus ad Christianum, Sacerdos ad Sacerdotem, studiosus ad Virum eruditissimum scribere non erubescit. Dicam ingenue quid me moverit, ut ad Paternitatem vestram scriberem. Cogitanti mihi jam diu, quomodo P. V. quæ mihi ex doctissimis libris, quos in Ecclesiæ utilitatem edidit, & præcipue ex relatu antiqui, & carissimi mei amici R. P. D. Lucæ Dacherii apprime innotuerat, adirem, opportuna occurrit occasio, excellentissimus ille videlicet Liber de divina Psalmodia, quem cum attente legissem, mirifice me affecit, tum propter omnimodam Scripturæ Sacræ, & Canonum scientiam, ex diversis tam antiquis, quam modernis Authoribus contextum, tum propter Cæremoniarum eruditionem variam. Cum enim a viginti, & amplius annis in illis versatus sim, mitifice delectat, cum librum aliquem de illis tractantem invenio. Unde cum R. P. Michael Baudry bonæ memoriæ librum suum de Cæremoniis tertio a se recusum, & emendatum mihi veluti testamento legaverit, de iterata illius editione multorum rogatu cogitavi. Sed quia, ut audivi, quædam sunt, quæ in Breviario, & Missali Romano a sacra Rituum Congregatione mutata, vel addita sunt; pergratum mihi faciet P. V., si quidquid a viginti circiter annis in Cæremoniali Romano immutatum fuit, ad me mittere non gravetur, quo plenius, ac perfectius Cæremoniale nostrum reddere possim. Non enim ignorat, opinor, Paternitas vestra venerabilem illum Patrem multum in cæremoniis elaborasse; quippe hac præsertim de causa bis Romam petierit, & multa cum R. P. Gavanto, cui familiarissimus erat, contulerit. Unde in illis versatissimus toti Galliæ eas infuderit; nullusque sit, maxime Lutetiæ, cæremoniarum peritus, qui eas se ab illo didicisse non glorietur, quæ est præsertim gloria mea, licet omnium minimi, & in illis minus versati. Tamen quandiu spiritus hos reget artus, palam, & ubique me illi profitebor obstrictissimum; unde cum librum vestrum de divina Psalmodia evolvissem, & magna cum voluptate perlegissem, una res mihi nonnihil ex gaudio illo detraxit, quod inter viros celebres, quorum initio Catalogum Paternitas vestra texuit, nescio quo fato R. P. Michaelis Baudry nomen excidit, quod tamen in altera editione spero Paternitatem vestram pro sua erga Viros litteratos, & eos maxime, qui pro Ecclesia laboraverunt, humanitate restauraturam.

Quod sane & viris bonis, qui illum cognoverunt pergratum, & toti Ecclesiastico Ordini non injucundum fore arbitror. Precor ergo P. V. ut in hoc labore, & aliis, quos ad Ecclesiæ, cui totus deservio, utilitatem insectatus sum, me sua eruditione, & consilio juvare non dedignetur. Interim D. O. M. enixe rogabo, ut eam ad totius Ecclesiæ utilitatem diu incolumem conservet. Hæc sunt vota illius, quem semper experietur. Lutetiæ 8. Martii 1665.

LXXIII.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Monitus ab eo meditari Opus Chronologicum de Sacrificio Missæ, ad eumdem mittit Capita quædam Tractatus de eodem Sacrificio in Sorbona prælecti, rogatque, ut votis D. de Goussainville respondere dignetur.

1. SEmel, atque iterum scripsit ad me R. D. Gabriel, te opus de Sacrificio Missæ ordine Chronologico meditari, atque, ut de hac materia, qui scripsère, Authores Romæ, & in Italia ignotos tibi ocyus indicarem. Isthæc certe tam generalis petitio mihi sollicitudinem ingessit non parvam: quandoquidem perdifficile fuerit nosse, utrum in Gallia, an alibi extent Scriptores ea de re tractantes, qui te eruditissimum, & oculatissimum lateant; verum ne id, quod scribo, effugium existimes, Tractatus MSS. satis prolixos de Sacrificio Missæ in Scholis Sorbonæ prælectos ab eruditissimo Viro Jacobo de (*a*) Sainte Beufve, quos tibi profuturos spero, D. Gabrieli nos habere significavi. Partes Sacrificii non modo sacra Scriptura, Concilii, ac Patribus probat Author; sed & Eterodoxos confutat omnes, seriem servando temporum. Hujusce Operis præcipua capita tibi offerenda ad P. Gabrielem novissimis litteris misi. Quod si ex eis utile instituto tuo opus judices, integrum describi lubenter curabo, cum jusseris.

2. Rogavit me amicus meus D. de Goussainville Presbyter in rebus Ecclesiasticis peritissimus, ut Epistolam, quam ad te scribit, Romam transmitterem, seque humanitati tuæ commendarem. Is est, qui novæ editioni Operum Petri Blesensis dat operam; precor itaque, ut votis ejus, si grave minime sit, aut molestum, respondere digneris. Noster D. Joannes Mabillon non prætermittit observationem tuam de vita Prælatorum perperam sub hoc nomine S. Bernardo adscripta, de qua tibi gratias agit maximas. Sed amplius, quæso, de Commentariis in Paulum Authore inquirendo ne graveris; novit esse Bernardum Clavonensem Augustinianum.

3. Binæ D. Gabrielis litteræ me valde hilararunt; quippe quæ integrum Attonem Vercellis repertum nuntiarent; sed vero quia nullam hujusce Nuntii in tuis litteris mentionem facis, subdubito, an id constet, necne.

4 Quod abs te probentur carmina Hugonis, dignaque censeas coram Sanctissimo Pontifice legi, perjucundum fuit Reverendissimo Patri nostro Generali, & Patribus præcipuis nostræ Congregationis (nos die tam appel-

(*a*) Præter Tractatum præcitatum extant quoque hujus Viri doctissimi prælo consignati Tractatus de Sacramentis Confirmationis, & extremæ Unctionis Parisiis 1686. 4.

pellamus) in Monasterio S. Dionysii celebrantibus. Ii plurimam salutem tibi impertiuntur, & ego omnium licet infimus. Parisiis 12. Maii 1665.

LXXIV.

AUGUSTINO FAVORITO S. P. D.
JOANNES BONA ab Urbe transfuga.

De suo in agrum Tusculanum secessu Favoritum admonet, ibique eumdem condita die præstolatur.

TAndem confractis vinculis in tutum evasi, & a complexibus amicæ abstractus, & avulsus secessi in agrum Tusculanum. Quid ringeris? Quid tollis supercilicium? Amica mea Philomathia est, quam hactenus efflictim, & medullitus deperivi; illam enim amare cœpi a teneris annis; meque ejus laqueis irretitum nunc sero cognovi, cum omnes res, ac rationes meas falsidicis fallaciis suis jam pene confecerat. Memini me aliquem sic cecinisse, cum lucis purioris radius pulsa caligine menti affulgeret.

Nil me amplius cultos legere libros juvat,
    Et noctu ad tremulas evigilare faces.
Quidquid Licæum, porticus quidquid sonat,
    Despicio, & quidquid Castalis unda rigat.
Jam nolo putri squallidas chartas situ
    Excutere, & vigili volvere scripta manu.

Sic, inquam, cecini, cum me insanus ille amor exanguem, tabidum, ac deartuatum ad ostium Acherontis perduxerat; sed citius, quam par erat, meo experimento didici veram esse Comici sententiam: *Amantium ira amoris redintegratio est*. Rediit illa ad me vix ab inferis redivivum, & protervis, ac improbis comitata puellis, quæ vobis Pierides, mihi deinceps Eumenides erunt, ita Vincula, ac Venustula Oratione incautum delinivit; ita Blanditiis, & illecebris, & sociarum lenocinio dementavit, ut me nullatenus continere potuerim, quin eam rursus lætis ulnis amplecterer, omnemque ejus supellectilem nondum firma manu depulverarem. Ne, quæso, succenseas inconstantiæ meæ, mi Augustine, non sum fortior Hercule Scytalo Sagitti pelligero, qui minori flamma succensus totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit. At vero nunc, Deo propitio, liber sum, ætas, & satietas meliorem mentem indiderunt. Dudum fugam meditabar, & Propheticæ pennæ in votis erant, ut volarem, & requiescerem. Jam voti compos sum; apage te Philomathia: non places; res tuas tibi habe; nimis tecum consuevi; mecum nimium lusisti: nunc aliis illude, si potes. Te vero, Augustine, hic præstolor, ut congaudeas mihi, sicut probum decet amicum; meaque mecum libertate fruaris. Dominus Riccius noster ædilitia edictione præcipit tibi, ut domui suæ te sistas XII. Kalend. Junii. Hunc diem dicit tibi; & quia novit pervicacem quandoque te, & refractarium esse, etiam minas addit, ut saltem formidine pœnæ edicto pareas. Nosti hominem quam sit iracundus, & superstitiosus; si præceptum ejus spreveris; sexcenta monstra in tui perniciem ab Orco evocabir, Scalenos, Oxigonios, Tropaxios, Isoxelios, Ambligonios, Rhomboides, Paralellogrammos, Isocaedros, Dodecaedros, Paralellepipedos,

&

& consimilium Dæmonum phalangem innumerabilem, qui te ad Insulas Fustidinas, Feminepidinas deportatum, fame, siti, ærumnis, probris, atque omni pœnarum genere usque ad saturitatem excruciabunt. Ut igitur infortunium vites, die condicta veni & vale. Ex Ædibus Tusculanis Domini Riccii amici tui, futuri inimici, si non veneris 17. Maii 1665.

L X X V.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE Presbytero

J O A N N E S B O N A.

Nihil in Cæremonialibus, vel Ritualibus Romanæ Ecclesiæ libris immutatum dicens, suam pro ejus studiis operam exhibet, seque mentionem R. P. Michaelis Baudry, sibi prius ignoti, in altera editione facturum spondet.

GRatissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ; & hac de causa communi amico D. Lucæ Dacherio gratias ago, quod Viri eruditi, & in sacris Ecclesiæ ritibus dilucidandis occupati mihi amicitiam conciliavit. Quod vero lucubrationes meas aliquid esse probasti, id summæ pietati, ac bonitati tuæ adscribo, spectant enim laudes ad decus potius laudantis, quam ejus, qui laudatur; sicut lux illuminantis qualitas est, non illuminati. Consului Magistros, quos vocant, Cæremoniarum SS. D. N., an a viginti annis aliquid additum, vel immutatum sit in rubricis Breviarii, & Missalis, aliorumque librorum Ritualium S. Romanæ Ecclesiæ, qui id factum negant; nisi quod anno 1651. jussu Innocentii X. editum est cum quibusdam annotationibus Cæremoniale Episcoporum, quod Parisiis te reperturum non dubito. Quo autem plenius votis tuis satisfaciam, rogavi Illustrissimum Virum Bernardinum Casalium, qui sacræ Rituum Congregationi a secretis est, ut e Tabulario ejusdem Congregationis extrahi jubeat, mihique communicari. Regesta ab anno 1645. & deinceps, ex quibus diligenter excerpam, si quid occurrerit, quod studiis tuis prodesse poterit. Sed rogo benignitatem tuam, ut aliquod dierum spatium mihi concedat: nam exigua valetudo mihi est, & occupationes multæ. Reverendi P. Michaelis Baudry hactenus mihi inauditum nomen fuit, nec in hujus civitatis Bibliothecis, quæ multæ, & instructissimæ sunt, ejus opus inveni. Ita plerumque fit, ut quæ in una Provincia celeberrima sunt, alibi nec nominentur. Hunc fructum e litteris tuis capio, ut mihi jam notus sit magnus Sacrorum Rituum illustrator, cujus eruditione Tractatum meum de divina Psalmodia locupletabo, si eum recudi contingat. Rogo autem te, ut si me aliquid studiis tuis conferre posse existimas, opera mea christiana libertate utaris. Romæ 16. Junii 1665.

L X X V I.

D. J O A N N I B O N A

PETRUS DE GOUSSAINVILLE Presbyter.

Pro Pollicita suis studiis opera gratias reddit, immutatum cupiens in Divina Psalmodia id, quod de Carthusianorum origine scripserat.

1. NOn mediocrem sane ex litterarum vestrarum lectione percepi lætitiam maxime, cum summam in eis erga me humanitatem agno-

agnoverim, & quod suam mihi in lucubrationibus meis operam, & gratiam polliceri non dedignetur. Verumtamen paululum mihi de hac lætitia imminuit, quod de invaletudine sua mihi rescripsit P. V. quam vellem semper incolumem, ut alacriter suos pro Ecclesia labores impendere posset. Gratias tamen D. O. M. qui animam in corpore infirmo non patitur infirmari, & quod non obstantibus infirmitatibus vestris, semper laboratis exemplo Gregorii illius Magni, qui tam multa scripsit, præsertim infirma, & ægra semper valetudine. Etsi quid de communi amico D. Luca Dacherio dicere audeam, miraretur P. V. si videret hominem exilem, & delicatæ naturæ a vigintiquinque annis, ex quo illum novi, perpetuis infirmitatibus obrutum, indefesse tamen laborasse, maxima cum eorum, qui eum noverunt, admiratione. Ea est magnorum virorum indoles, ut in hac vita tam brevi requiem non optent, qui sciunt in altera perpetuam fore. Ceterum miror, quod thesaurus sacrarum Cæremoniarum R. P. Michaelis Baudry Romam usque non pervenerit, cujus exemplaria multa se Lugdunum misisse mihi protestatus est Bibliopola; mittetur tamen unum ad P. V. ad proximam occasionem. Interim dum nova paratur editio longe cultior, cui me accingam, ubi Petrum Blesensem perfeceto. Cum librum illum legerit P. V. non dubito, quin Authoris nomen inscribat Catalogo Virorum Illustrium, ubi liber de divina Psalmodia recudetur.

2. Cuperem etiam P. V. immutaret quod scripsit in libro de divina Psalmodia pag. 453. de Origine Ordinis Carthusianorum; Historia enim illa nunc a viris doctis habetur pro fabula, ex quo maxime prodiit ille liber Guiberti de Nongento (habemus hanc gratiam Dacherio nostro), quem cum legerit P. V. sane huic Historiæ vale dicet. Vivebat autem Guibertus ætate S. Brunonis, de cujus secessu scribit quæ vera sunt; at de illa Historia, ne verbum quidem. Deinde inter Opera S. Brunonis habetur Epistola, quam scribit ad Radulphum Viridem Rhemensis Ecclesiæ Præpositum, qui peregrinationis ejus socius fuerat, & qui postea solitudinis pertæsus in Patriam remeaverat. Hunc enim Vir Sanctus conatur revocare multis, & solidis rationibus, sed de illa historia altum silentium, quam, si fuisset vera, certe non omisisset. Præterea quis Author per 300. annos de ea mentionem fecit? Tandem ex omnibus Breviariis expuncta est, utpote apocrypha; ita ut jam nemo illi fidem adhibeat; maximeque a viris doctis omnino sit explosa. Hæc sunt, quæ P. V. arbitror non injucunda fore, cum procedant e sincero animo, & eo maxime, qui quamdiu spiritus hos reget artus, erit obsequentissimus. Parisiis 6. Augusti 1665.

LXXVII.

D. JOANNI BONA
BERNARDUS AUDEBERT M. B.

Suæ sollicitudini Favores, quibus Maurina Congregatio a Sede Apostolica ditata fuit, adscribit; & pro præstita Cisterciensibus Opera gratias habet, & S. Gertrudis Exercitia pollicetur.

VIsitavit terram nostram, & propemodum inebriavit eam flumen Dei Cœlestibus repletum aquis; atque a Sede Apostolica velut e Thro-

Throno Agni, seu e medio profluens Paradisi, eo quod R. V. piam pro nostra egestate gerens sollicitudinem multiplicaverit locupletare eam divinarum benedictionum per Sanctissimum D. N. Papam irriguo ad vestras preces duplicato, quo deserta nostra pinguiora fiant pariter, & speciosiora; hancque ob rem colles, cum grege universo accincti exultatione dicunt per me R. V. hymnum festivissimum gratiarum. Equidem cum antehac infirmarer prope ad mortem, dolorem mihi super dolorem addiderat triste a D. N. Gabriele de V. R. incommoda valetudine nuncium. Sed Deus misertus est mei, ut simul convalescens, simul V. R. melius habere gauderem; necnon & de peregregia, & feliciter navata recens per eam sanctissimæ Cistercienſium Familiæ, Sanctorumque fœcundissimæ Parentis saluti opera gratularer. Tuo sane opere vix dixerim sanctiusne, ac genuina, qua in res Dei præcellit pietate dignius opus quiverit perpetrare, ex quo lux orta est justis, & rectis corde lætitia; iis præsertim, quibus apprime nota est R. V. pietas, & sapientia; in primis Serenissimi Allobrogum Ducis Oratori clarissimo. Hunc enim virtutum, meritorumque tuorum (quod mihi cum ipso confabulandi argumentum frequens) ut admiratorem sincerissimum, ita & justissimum agnosco ponderatorem; eoque nomine magis ac magis amplector, & deamo. De Sancta Gertrude, cum acceperim refloruisse non leviter erga Sanctissimam Christi Sponsam animos Romanorum, spiritualium gloriosæ Virginis exercitiorum, quod ab ejus hactenus vita abfuissent seorsim nostra cura editorum, sex ad R. V. exemplaria mittenda putavi. Exiguum quidem munusculum, & vestris meritis, & nostris debitis comparatum, fidelissimæ interim gratitudinis, & dilectionis integerrimæ pignus haud dubium. Deus R. V. diu servet incolumem Ecclesiæ splendori, Cistercii felicitati, bonorumque omnium consolationi; meo præ cæteris solatio, & gaudio, qui præ omnibus haberi ambiam, & ex corde esse. Parisiis ultima Julii 1665.

LXXVIII.

D. BERNARDO AUDEBERT

Congregationis S. Mauri Superiori Generali.

JOANNES BONA.

Redditam ei gratulatus sanitatem, injudicatam asserit ob Pontificis infirmitatem Cisterciensium litem

1. SI quid tibi, tuæque Congregationi gratum præstiti, officii mei fuit: Quod vero tam benigne gratias agis, id humanitatis tuæ est. Servus tuus sum, tibi, tuisque devinctissimus; teque summopere exoro, ut mecum agere digneris tamquam cum minimo subditorum tuorum. Cum Domino Oratore Ducis Sabaudiæ arcta mihi necessitudo est a multo tempore; ideo de me loquitur ex suo affectu, non ex meis meritis. Is me dudum admonuit de gravissima infirmitate tua, quæ me maximo dolore affecit: sed gratias Deo ago, quod te Congregationi, cui dignissime præes, mihique, & bonis omnibus incolumem restituerit. Lis Cisterciensis adhuc sub Judice est, nam per ægritudinem Summi Pontificis Congregatio, quæ pro decisione cogenda erat, in aliud tempus dilata est. Quid pro Reformatis egerint DD. Abbates

de

de Trappa, & Vallis Richerii (*a*), cum redierint in Galliam, narrabunt.

2. Libelli Exercitiorum S. Gertrudis, & liber cæremoniarum P. Baudry gratissimi mihi erunt, & hæc munera addam ad multa, quæ tibi debeo. Retribuat tibi Deus, quem quotidie rogo pro tua salute, & sanctissimæ Congregationis vestræ amplificatione. Romæ Kal. Septembris 1665.

(*a*) Vallis Richeria, Gallice *Vau-Richer* in Diœcesi Bajocensi, alias dicta *Salabria*, Filia Claraevallis, fundata fuit anno 1146. a Philippo de Harcourt, S. Bernardo adhuc vivente. Hujus loci Abbatis meminit Innocentius III. illi committens causam Abbatiæ de Conchis, ut ex lib. 1. Epist. Decretal.

LXXIX.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Attonis opera, licet lacunis fœdata, acceptissima sibi extitisse asserens, nonnullosque Libros pollicetur.

1. SUmmo dolore me affecerunt infausta illa de carissimo Patre nuncia, quæ in litteris refert noster D. Gabriel; te nimirum adversa, imo & fracta valetudine vexatum, & identidem, ni maxima animi tui fortitudo morbi vim superasset, pene oppressum. Obnixe Deum precatus sum, precorque continuo, ut pristinam tibi sanitatem restituat, nec Ecclesiam tanto sinat privari sydere.

2. Tandem Attonis opera, licet lacunis crebrioribus fœdata, maximi instar thesauri suscepi: spirant enim purissimam veteris Ecclesiæ Patrum doctrinam a Sancto Spiritu inspiratam. Cumque Illustrissimus Sabaudiæ Legatus, & ego quinque ab hinc, vel sex mensibus in nostra Bibliotheca confabularemur, & in Attonis opera sic hiatibus oppleta incidissemus; integra Vercellis reperiri a te certior factus aperui. Actutum ille pro singulari sua in me benevolentia opem obtulit, & favorem: cui tunc quidem gratias egi, & hæc dumtaxat verba subintuli: Reverendissimus P. Bona amicus tuus ea de re scripsit ad Canonicos Vercellenses; paulisper itaque opperiendum an ejus petitioni annuant, nec ne. At ubi nullam intellexi spem superesse aliud adipiscendi, Illustrissimum illum rogavi, ut mihi nunc, qua polleret auctoritate, ostenderet ad obtinendum, quod opto, Operum Attonis Apographum. Gratiam omnem ille pollicitus est non modo, sed litteras etiam Vercellas se missurum affirmavit. Si quid accepero, tibi nunciare, utpote cujus inditio, & beneficio Attonem debeo, non morabor.

3. Statim atque ex litteris cum D. de Goussainville abs te datis ego didici ignotum Romæ thesaurum sacrarum Cæremoniarum Michaelis Baudry Benedictini, Reverendissimo P. N. Generali indicavi: jussit protinus ipse, ut exemplar compararem, & ad te mitterem. Efficiam id quantocyus potero: nam Sanctæ Gertrudis exercitia nuperrime cura nostra Parisiis edita cum nonnullis libris Romam sum transmissurus. Parisiis 4. Septembris 1665.

LXXX.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES BONA.

Redditam sibi sanitatem ejus precibus adscribens, se Catalogo Virorum Illustrium & Baudrium inserturum spondet, & Amanuensis incuriam accusat, quod fabula Theologi Parisiensis (a) in secunda editione expuncta non fuerit.

1. QUod me Deus pristinæ sanitati restituerit, tuis precibus adscribo: utere, obsecro, residuo vitæ meæ, tanquam re tua, tuo arbitratu. Si Attonis Opera integra erunt in Tabulario Vercellensi, habebis procul dubio interventu Domini Oratoris Sabaudiæ: nam boni dicti Canonici, qui hactenus illuserunt mihi, summam ejus in illis Regionibus potestatem vel inviti venerabuntur. Faxit Deus, ut reperiantur; nam revera maximum ornamentum Spicilegii tui erunt.

2. Thesaurus, quem spondes, sacrarum cæremoniarum P. Baudry gratissimus mihi erit; atque illo Bibliothecam meam locupletabo. Accepi litteras plenas honoris, & humanitatis a D. de Goussainville, quibus me admonet, ut si librum de divina Psalmodia recudi contingat, addam Catalogo Virorum illustrium Michaelem Baudry, quod libentissime faciam: imo efficiam, ut omnes Cardinales, Prælati, ac Consultores Sacræ Rituum Congregationis eum sibi librum comparent.

3. Monet me etiam, ut pag. 453., ubi de Ritu Carthusianorum ago, expungam fabulam illius Theologi Parisiensis, qui se post mortem juste accusatum, judicatum, & damnatum pronunciavit, quam in meo Exemplari vix elapso anno a prima editione deleveram, postquam intellexi jussu Urbani VIII. a Breviario expunctam fuisse. Sed cum pararetur secunda editio, Amanuensis tunc mei incuria factum est, ut illud mendum, & alia quædam leviora remanserint.

4. Patietur vir benignissimus, ut hæc epistola utrique vestrum sit communis; quandoquidem amicorum omnia communia: nam brevitate temporis, & occupationibus impedior, ne ei rescribam: & te, & illum demississime veneror, vestrisque precibus me enixe commendo. Romæ 16. Septembris 1665.

(a) Vide supra Epist. LXXVI.

LXXXI.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Epistolas quasdam Amalarii editurus, doceri petit, Episcopus ne, an Diaconus dicendus fuerit; nonnullaque subdens de Dissertatione MS. Constantini Cajetani de duobus Amalariis.

NOnnullas Amalarii epistolas in MS. Codice repertas, quæ tertio de officiis Eccles. libro finem imponunt, editurus, anceps valde sum, qualiter Amalarium nuncupem Diaconum, an Episcopum, siquidem utrumque apud Authores reperio. Honorius Augustodunensis de

Scripto-

Scriptoribus Ecclesiasticis Amalarium Episcopum; Ademarus in Chronicho Engolismensi Diaconum appellat: Sigebertus vero de Scriptoribus Ecclesiasticis Monachum scribit Amalarium. Hisce tenebris quasi obvoluto mihi nonnihil lucis attulere, quæ refers ipse de Amalario in notitia Authorum Tractatui tuo de divina Psalmodia præfixa, hæc inter alia scribens: *De duobus Amalariis vidi MS. Dissertationem Constantini Cajetani, in qua ait hunc posteriorem ex Monacho Metensi &c.*. Sed majori indigeo elucidatione; nosse nimirum vellem, quos ad id probandum Testes adhibet Cajetanus; non enim ipsi fidem habeo. Intelligenti loquor; ad te igitur, tamquam ad sydus eruditionis accedo, oroque ut si grave non fuerit, quid de hac re sentiendum me doceas: & utrum ex illa, quam citas, MS. Dissertatione, ad stabiliendam Cajetani opinionem Testimonia possim habere: nova enim, & singularis est; & proinde eam tueri, & amplecti peroptarem. Vale quam optime. Parisiis 8. Septembris 1665.

LXXXII.

D. LUCÆ DACHERIO JOANNES BONA.

Propositis superius quæsitis breviter facit satis.

Constantinus Cajetanus antiquitatum Monasticarum peritissimus fuit, sed ordini suo immoderato affectu addictus, ejus ornamenta conquisitis undique mendaciis, quod citra ejus injuriam sit dictum, sæpe fœdavit. Ostendit mihi Dissertationem de duobus Amalariis, cum librum de divina Psalmodia vix incœpissem; sed cum Indicem Scriptorum componerem, non memini quibus, & quam solidis rationibus sententiam suam de Monachatu Amalarii comprobaret. Ideo non sum ausus id pro certo asserere, sed criticis examinandum reliqui. Illud dumtaxat verum esse dixi, quod vixerit circa annum 840. ex his, quæ Sirmondus, aliique notarunt. Nunc autem, ut desiderio tuo satisfacerem, aliquot Urbis Bibliothecas perlustravi: sed illam Dissertationem hactenus reperire non potui. Epistolarum Amalarii, quæ desunt in fine lib. 3., quas extare apud te scribis, meminit Georgius Cassander epist. 114. ad Jacobum Pamelium, ubi eumdem Amalarium Viennensem fuisse dicit. Sed hæc tibi notissima arbitror; si quid occurrerit de hac re, sequenti hebdomada mittam. Romæ 26. Septembris 1665.

LXXXIII.

D. JOANNI BONA LUCAS DACHERIUS.

Ei gratulatur ob Astensis Ecclesiæ recusatum Episcopatum.

I. Didici ex litteris R. P. D. Gabrielis Flambart Serenissimum Sabaudiæ Ducem te ad Episcopatum Astensem evehere cupientem misisse Romam Diploma, quod Breve vocant. Nec sane mirum, quod Princeps ipse tam splendidissimum sydus per Urbem, & Orbem pietatis, atque eruditione radios emittens sua in Ditione concludere velit. Ecquis Regum talem Virum integritate morum, præstantia ingenii, & doctrinæ, suavitate sermonis præditum, uno verbo,

omni scientiarum genere perpolitum, ad se adsciscere, si obtinere posset, non optaret? Verum hisce illecebris haud assensum te præbuisse; imo summa cum animi demissione te refugisse onus illud volu-e audio. Etenim insigniorem capiti tuo, si augurari licet, coronam divina servat Providentia, qua non uni Populo, sed Ecclesiæ universæ inter Purpuratos; indeque ad altiorem gradum provehendus affulgeas, præfulgeasque. Quod annuat ipsa Providentia votis omnibus precor, & obnixe.

2. Illustrissimus Sabaudiæ Orator apud Christianissimum Regem non modo singulari benevolentia, sed & familiaritate mecum agit, meque cumulat beneficiis. Paucis abhinc diebus Historiam Chronologicam Augustini ab Ecclesia, quam mihi necessariam putaverat, ad se jussit advehi, & sua manu expurgatam (mendis siquidem multis fœdata est) mihi contulit. Et quandoquidem es eorum omnium causa, cum ipsi dabis litteras, velim gratias pro me rependas; impar enim sum viro tam magnifico vicem unquam reddere. Vale quam optime. Parisiis 4. Decembris 1665.

LXXXIV.

D. JOANNI BONA

BERNARDUS AUDEBERT.

Sabaudiæ Ducis zelum in nominando ad Episcopalem Cathedram eum commendat, cui gratulatur, quod eamdem adire recusaverit.

VOcem jucunditatis annuntiavit in terra nostra communis amicus, Illustrissimus scilicet Serenissimi Allobrogum Orator; cujus ut facta est vox in auribus meis, exultavit, fateor, cor meum in Domino; divino siquidem perfusus lumine Princeps vere Christianus quæsivit Virum secundum Cor Dei, qui juxta Propheticum sermonem pasceret populum suum doctrina, & scientia, revocans quodammodo prisca illa tempora, in quibus assumebantur e desertis Lucernæ ardentes, & lucentes, Ecclesiarum Dei præponendæ candelabris. Et vere qualem quæsierat, invenit; hoc est Virum bono Episcopatus Operi tanto magis idoneum, quanto sincerius ab Episcopali honore abhorrentem: idque infelici sæculo, quo fugientes Primatum inveniuntur tam pauci. Sed cui magis gratulandum? illi, quod te invenerit; an tibi, quod renueris? Bene ille quidem tamquam bonus Villicus, & prudenter se egit, quod suis talem Pastorem optavit: at tu, ni fallor, melius, & prudentius, qui neque in nocte præteritorum laborum, neque in die oblatæ ad præsens, & cito transituræ prosperitatis abesse pateris a tuis fratribus. Æmularis enim charismata meliora, & hoc ipso charactere Patrem Sanctissimum exprimis, cujus animaris spiritu, & virtute, tam multis sanctarum animarum millibus præfulges, & proficis. Utinam, ut illius verbis utar, sicut præsentem epistolam, ita vobis mentem meam mittere possem, sine dubio clarissime legeretis quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, & quantum, uti talia verba de vobis audio, gaudium in me accenderit ille, cujus misericordiæ per vos exopto, atque enixe commendari oro. Parisiis 24. Decembris 1665.

LXXXV.

L X X X V.

Reverendissimo P. Generali Congregationis S. Mauri

JOANNES BONA.

Gavisum se dicit, quod suum in Episcopali dignitate respuenda propositum laudaverit.

SI litteris tuis sero, & paucis respondeo, obsecro, ne reverentiæ, aut amori, quibus te prosequor, quidpiam decerptum existimes. Premor enim angustia temporis; nec mei juris me esse sinunt perpetuæ occupationes. Tum mihi facile persuadeo, te animi mei affectionem non verborum officiis æstimaturum, in quibus plerumque latet adulatio; sed solida, & Christiana dilectatione, qua tibi, & tuæ Congregationi maximopere me devinctum esse profiteor. Summe autem delectatus sum, quod propositum meum in oblata mihi a Serenissimo Sabaudiæ Duce Episcopali Dignitate recusanda, non solum approbare, verum etiam laudare dignatus sis. Sed sicut optimus Princeps famæ mendacio de me falsa prædicantis deceptus est; ita tu quoque amore deceperis; dum me talem esse existimas, qualis esse deberem. Nam si onus, cui me imparem esse scio, non suscepi, nihil dignum laude feci: Deoque gratias ago, quo inspirante in vocatione mea permaneo. Dudum scripsi R. P. D. Lucæ Dacherio inter alias causas, quæ me ad hanc deliberationem impulerant, non fuisse postremam, quod manens in Urbe vestræ forsitan Congregationi prodesse potero: si vero Episcopus fuissem, omnis occasio vobis serviendi præcisa esset. Id profecto verissimum est: atque ideo te summis precibus oro, ne me patiaris inutilem servum esse. Deus te diu incolumem servet, & cumulet benedictione. Romæ 26. Januarii 1666.

L X X X V I.

D. JOANNI BONA

NICOLAUS ANTONIUS.

Toletanum Officium miraculose igne probatum fuisse ostendere nititur.

1. NON ita est, ut excidit heri, & nudius tertius tibi, Pater Reverendissime, fidei lubricæ id esse, quod tempore Ritus Romani a nobis accipiendi, & præ Isidoriano habendi contigisse, ego tecum de ipsa re conferens, in memoriam revocavi. Perductam quippe Regis Alphonsi VI. Castellæ, seu potius Constantiæ Reginæ, quæ in Galliis nata, communi jam apud suos Romano Officio favebat, cum toto fere Regno controversiam fuisse ad non unum examinis discrimen; quod illius ætatis mos ferebat, Rodericus Toletanus Præsul, Hispaniarum rerum historicus eximius sesqui sæculo tantum eo tempore, quo res gesta narratur inferior, veluti rem notissimam in Commentario retulit. Gerebatur nempe hæc res circa annum redempti Orbis MLXXXV.; floruitque Rodericus sub Ferdinando Rege III. Sancto circa annum MCCXLIII., quo historiam suam absolvit. Perductum, inquam, negotium fuit in duelli periculum ante alia: *Ad hoc ultimo pervenit res* (ait Rodericus lib. 6. de rebus Hispan. cap. 26. Tom. 2. Hispaniæ illustratæ pag. 207. editionis Francfort) *mi-*

litari

litari pertinacia decernente, ut hæc dissensio avelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus a Rege, qui pro Officio Gallicano; alter a militia, & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, Miles Regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat Miles Officii Toletani. Cujus facti adeo se gnarum ille ostendit, ut qua familia miles victor fuit, adjunxit: *Miles autem, qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Metantiæ prope Pisoricam, cujus hodie genus extat, atque adeo cognomen ipsum etiam hoc tempore extinctum non est*; sed neque id examen valuit, ut ab incœpto suo Rex desisteret; magnaque seditione in militia, & populo orta, Regis pervicaciæ obnitentibus; *demum placuit* (loquentem iterum audis Rodericum) *ut liber Officii Toletani, & liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. & in dicto omnibus jejunio a Primate* (Toletano) *& Legato* (Ricardo scilicet a Gregorio VII. in Hispaniam hoc super negotio deputato) *& Clero, & oratione ab omnibus devote* peracta, igne consumitur liber *Officii Gallicani; & prosilit super omnes flammas incendii cunctis videntibus, & Dominum laudantibus, Liber Officii Toletani illæsus omnino, & a combustione incendii alienus.* Hæc tam perspicue dicta sunt pro Toletano Officio, ut nulla tergiversatione perviceris aliter gestam rem esse, nisi Historico omnem fidem abrogaveris. Nec temere venit hæc lectio in typorum lucem; Sancius Nebrissensis, Antonii Grammatici celeberrimi filius ita edidit primus Granatæ anno 1545. ex MSS. ut par est credere, bonæ notæ. Hisque omnino se conformant duo alii hujus Historiæ Codices, qui asservantur manu exarati in Bibliothecis Toletanis Cathedralis Ecclesiæ, ac Monasterii Franciscanorum S. Joannis, Regum nuncupati; simillimaque rei narratio exstat in veteri exemplo historiæ, quam generalem nostrates homines vulgo appellant; Alphonsi Sapientis, Castellæ Regis X. jussu, & auspiciis formatæ. Hunc Librum Matriti vidimus apud D. Gasparem Ibannez de Segovia, Acropolitanum Marchionem, eruditionis, & ingenii admodum locupletem, qui quidem veteri forma scriptus, quamvis acephalus, eamdem historiam continet, paucis demptis, quæ sub nomine Historiæ generalis, ut jam diximus, Floriani Decampii Regii Chronographi diligentia centum ante annos in lucem primo edita est. Ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris, quam barbariei extirpandæ studebant magis majores nostri. Transcribit historiæ Author apertissime Rodericum Episcopum his verbis: *E quemose y el libro Frances, e finiò y el Toledano sano.* Hoc est: „ Exustus ibi fuit Liber Gallicus, remansitque ibi Toletanus illæsus „. Nec dubitare nos sinunt de Roderici mente ea, quæ sequuntur; *Sed cum Rex esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suasus voluit inclinari: sed mortis supplicia, & direptionem minitans resistentibus præcepit, ut Gallicanum Officium in omnibus Regni sui Finibus servaretur.* Miraculum igitur, si quod contigit, veterem Hispanorum Ritum, quem ignis non offendit, qui ignis Gallicanum, hoc est Romanum, consumpserat, haud temere abrogati debere satis indicavit.

2. Quod cum ita scriptum ab Archiepiscopo, eoque unico rei gestæ Auctore sic idoneo, & gravi sequentes legerint; quid in mentem eis venerint, nondum video, ut factum aliter, totoque Cœlo, ut dici solet, diversum referrent. Historia scilicet generalis Alphonsi Regis X. tempore scripta, de qua nuper meminimus, in utroque libro rem contigisse miram, alio tamen, & alio modo diserte docet. Hispana verba interserenda sunt, quæ factum continent: *A quellos dos libros fueron*

puestos

puestos en la foguera, y el libro del Officio Frances quexabase con el fuego, que se queria apegar a el, y diò entozes un salto sobre todas las llmas, y saliose de la foguera, veiendole todos, e alabaron a Dios por aquel milagro tan grande, que ay quisiera mostrar: e el libro del Officio Toledano finiò en la fogeura sin todo daño, de guisa, que en ninguna cosa non le taxò el fuego, nin le fizo ma ninguno. Manifestissima ante oculos Authoris fuit, cum hæc scriberet, Roderici Toletani Chronicon: nihil ex eis verbis, relationeque prætermittit. Manifestissime etiam textum Rodericianæ orationis aut corruptum, aut male interpunctum is offendit, aut nimis indiligenter expensum, eo modo, quo minus debuit, interpretatus est. Extra flammas saltum illæsi omnino libri Rodericus Toletano non obscure tribuit; siquidem Gallicanum igne consumptum diserte præmiserat. Neque alteri debebantur adstantium prius conceptæ erga Deum preces, quam miraculo intemerati ab igne, cum remansisset in medio igne, Codicis.

3. Qui enim asbestinum linum, quod, ut Plinius dicere amat lib. 9. (immo 19.) cap. 1. assuescit vivere ardendo, intervenisse hic sanus dixeris? Vulgarem Ritus Codicem ab Æde sacra aliqua petitum, non medicamine ullo, indumentove munitum, experimento expositum fuisse, cum rei ipsius gravitas, tum ævi illius hominum sinceritas persuadet. Saltare autem rem igni suppositam, humiditate, quæ intus latet, ne calori cedat, expellente, quotidiana fere res est, admirationisque prorsus indigna. Et animadvertis tu ipse jam, ac perinde rides stupidam horum Roderici verborum interpretationem: *Igne consumitur liber Officii Gallicani*: quæ sic ille reddidit: „ El libro Frances quexabase con el fuego, que se queria pegar a el „; idest *Liber Gallicus stridebat ab insinuante se ad eum igne*. Quasi non quidem flammis devoratæ, atque in favillas, & cineres abeuntis, sed incendium adhuc timentis, stridoreque idipsum testantis, rei consumptionem latine significatam iis verbis crediderit. Et tamen, quia vulgaris, & vernacula hæc fuit Historia, inficere valuit vitio suo posteriores alias. Chronicon apud nos creditum D. Joannis Emmanuelis, Ferdinandi Sancti, ut credo, Neporis, quod adhuc it per manus curiosorum ineditum, & quasi Epitome est generalis illius Historiæ, ita habet: *E saltò el del Officio Frances fuera del fuego, e finiò el del Officio Toledano muy quedo, que non vegò el fuego a el.* Simillime concepta sunt noviorum, qui res nostras illustraverunt, monumenta; Joannis Marianæ lib. 9. cap. 18. Prudentii Sandovalis in vita Alphonsi Regis VI. Gundisalvi Argotæ, de Molina lib. 2. Nobilitatis Bæticæ cap. 36. Petri de Alcozer Historiæ Urbis Toletanæ lib. 1. cap. 68. quorum utroque librorum incolumi remanente, persuasum populo Hispano fuisse, ait Mariana, utramque precandi rationem superis placere; atque eo temperamento rem compositam, ut in antiquis Toletanæ Urbis, ubi curia tunc regia fuit, Ecclesiis veteri precandi forma retenta, in aliis ex Romano Ritu res divina procuraretur. Hæc habui ad manum, de quibus te, vir eruditissime, tamquam de domesticis admonerem. Scis enim in talibus testimonio etiam eorum, qui alias fide indigni sunt, adhiberi fidem. * Plane haud facile dixerim, quanam verborum forma referri hæc debeant, Romæ præsertim; quibus, si vera sunt, authoritati Pontificiæ, quæ nonnisi justo, & rationabili semper innititur, aliquo modo derogari videtur * Expende tu, & mei esto memor, cum ex munere preces ad Deum effuderis. Vale. Ex hoc Palatio Excellentissi-

lentissimorum Hispaniæ Legatorum, domo nunc habitationis nostræ, die 12. Februarii 1666.

Hanc epistolam refert Joannis Pinius Societatis Jesu in Dissertatione de Liturgia Mozarabica pag. 50. præliminari ad Tom. VI. Actorum Ss. Bollandi mensis Julii, iis paucis exceptis, quæ intra hos duos * * asteriscos continentur.

Consulte autem postremum supra relatæ epistolæ locum assignavimus inter a Bona datas, vel ad eum scriptas, antequam sacra insigniretur purpura, cum ad rem spectet Liturgicam, & viam quasi sternat ad plures alias sequentes, in quibus agitur de sacris Ecclesiæ Ritibus, deque præclarissimo tractatu Liturgico ab eodem Bona in lucem edito, postquam Cardinalium cœtui adscriptus fuit.

LXXXVII.

CHRISTIANO LUPO Augustiniano

JOANNES BONA.

Excitatos adversus eum motus ob Joannem Hierosolymitanum hæreticis adnumeratum innuit; eumdemque ad silentium adhortatur.

1. SUpra modum gaudeo, & gratias ago, quod mea Opera uti dignatus sis: ideo enim amicitia comparata est, ut alter alteri serviamus. Litteras tuas ipsemet præsentavi Sanctissimo Domino nostro, eique negotium tuum, qua potui efficacia, commendavi. Audivit me benignissime Sanctitas Sua; tum ait, ut verba ipsius præcisa scribam: *Vedremo, che il Padre Lupi sia consolato.* Hactenus scire non potui, quod ad tuas preces rescripserit; id tamen diligenter investigabo, teque certiorem fieri curabo per apocrisarium tuum D. Hubertum Fabrum.

2. Parum abfuit, quin initio hujus anni turbæ contra te excitarentur a Carmelitis propter Joannem Hierosolymitanum, quem eodem errore, quo Eliam, sui Ordinis Authorem, faciunt, inter suos enumerant: tu vero cum Hieronymo, & Epiphanio ipsum inter hæreticos merito recenses. Vidi librum in ejus defensionem editum; & quia verebar, ne illæ querelæ aures Domini Papæ præoccuparent, me rem consentaneam nostræ amicitiæ facturum existimavi, si illum prævenirem, statumque controversiæ ei exponerem; quod feliciter accidit. Audeo tamen hic rogare te, ne præfato libro pro Joanne subscripto quidquam reponas: in his enim gloriosior victoria acquiritur tacendo, quam contradicendo. Viri docti, & eruditi, rerum æqui æstimatores optime norunt, quam solide tu scripseris; & quam parvi momenti sint adversantium conjecturæ; atque ideo præter decretum foret in hujusmodi nugis tragœdias excitare. Vale, Vir clarissime, & perge scriptis tuis Sanctam Ecclesiam illustrare. Romæ 17. Aprilis 1666.



LXXXVIII.

LXXXVIII.

D. JOANNI BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Dicteriis impetitum se dicens ob Joannem Hierosolymitanum hæreticis adnumeratum; quæstionem Gandavi suscitatam de essentia attritionis exponit, summumque Pontificem rogari petit, ut Gandavensis Ecclesiæ Regularibus antiquum permittat absolvendi morem a casibus Episcopo reservatis.

1. QUod meas, ac nostri P. Provincialis litteras tradere Sanctissimo Domino, & commendare dignata sit Reverendissima Paternitas tua, non me solum, sed & hanc omnem Ordinis nostri Provinciam obligavit, & omnino bonum opus operata est; nam privilegiorum, & privilegiatorum multitudinem insigniter adversari observantiæ regulari, religiosissima vestra prudentia optime novit.

2. Meis in generales Synodos scholiis Joannis Hierosolymitani Episcopi nomen inserui incidenter, & sine causa; nec prævidi inde quempiam offendendum, longe minus tantos motus. Utinam non indidissem, quam maxime enim amo neminem offendere; & res erat curatu facilis, nam R. P. Franciscus Bonæ spei dicta scholia, antequam vulgarentur, arte quadam nactus fuerat. Potuisset me monere de injuria, & ego lubentissimus folium illud lacerassem; curans novum imprimi fine isto nomine. Cur me tot dicteriis impetierit, ignoro. Forsan Domini manus hic sit, ut me a vana, quam ex nimiis P. V. Reverendissimæ, & aliorum amicorum laudibus conceperam, gloria me liberaret. Quidam insuper hic quasi occasiones quærunt inquietandæ hujus scholæ; quibus absit, ut quis ex nostris obsecundet. Hinc ejusmodi litigiis respondere nunquam mihi fuit mens; Deoque dante nunquam erit. Reverendissimæ interim P. V. quæ rem omnem Sanctissimo Domino exponere, ejusque animum prævenire, ac munire dignata est, ago summas gratias, & sum plurimum obligatus.

3. Pergo tertiam partem scholiorum scribere; verum hic in Ecclesia, ac Diœcesi Gandavensi jampridem mota est quæstio de essentia Attritionis, seu Contritionis imperfectæ. Altera pars in alteram publice, cum populi scandalo, etiam prædicavit. Ad ipsam quidam volebant nullam omnino requiri Dei dilectionem, sed purum gehennæ servilem metum sufficere cum Sacramento ad justificationem. Paradoxum id visum multis, & adversum Apostolo: *Qui non diligit, manet in morte*. Hinc in eam rem rogatus sui commentari aliqua folia Reverendissimæ P. V. quamprimum mittenda, quæ ejusdem censuræ, ac judicio ex corde committo. *Joan. Ep. 1. cap. 3. 14.*

4. Libertinam moralem Theologiam circumscribere, & castrare tandem aliquando cœpit Sanctissimus D. N., cujus exinde memoria erit in perpetua benedictione. Verum neutra Bulla hic fuit publicata, nec per Superiores intimata. Unus hic articulus ait: *Regulares non posse absolvere a Casibus reservatis Episcoporum*. Quæ res nunquam hic fuit in usu; & quoniam Bulla intimata non fuit, vidi omnes permanere in praxi antiqua. A variis Mendicantium, & non Mendicantium, qui ipsorum tamen privilegiis gaudent, Ordinum Superioribus fui desuper rogatus; & nescio quid respondeam. Me, propriis pene onustum, gravare nolui alie-

nis peccatis. Et sane ex articuli illius observantia video apud nos secutura incommoda. Ex D. Abbatis Rospigliosii optimi vestri Internuntii, ac vestri singularis amici consilio rursum supplico Reverendissimæ P. V. quatenus dubium hoc ex quapiam occursura opportunitate dignetur exponere Sanctissimo Domino, ipsumque permonere, quatenus hac in re dignetur dissimulare, & nobis relinquere morem antiquum. Ejus saltem mentem novisse merear, ac ita meam, & multorum aliorum conscientiam quietari. D O. M. Reverendissimam P. V. dudum custodiat. Dabam Lovanii die 28. Maii 1666.

LXXXIX.

CHRISTIANO LUPO
JOANNES BONA.

Controversias inter Gandavenses Theologos ortas dolens, ejus ea de re lucubrationem se volupe lecturum dicit, asturumque, ut suum dubium iterum a sacra Congregatione examinetur.

1. TÆdet me controversiarum, quæ quotidie inter Theologos non veritatis indagandæ, sed partium studio oriuntur: his enim fit ut charitas scindatur, scandalizentur pusilli, & exultent heterodoxi. De discrimine attritionis, & contritionis, deque utriusque motivo multa dudum scripta sunt; sed post Concilium Tridentinum, si recte verba ejus expendantur, vix ullum de mente Ecclesiæ dubium remanere existimo. Porro libentissime legam tuam, quam polliceris de hac re lucubrationem, quam non dubito parem futuram tuis summæ pietati, doctrinæ, & eruditioni.

2. Quod vero attinet ad articulum de prohibita Regularibus absolutione a casibus reservatis, nuper audivi, quod in Germania Regulares manent in antiqua possessione ex tacita quadam Episcoporum concessione. Nescio an in Belgio vestro conveniat. Si opportuna occasio se se obtulerit, scrupulum tuum Sanctissimo Domino nostro proponam, vel si iterum congregabimur pro censurandis aliis hujusmodi propositionibus, sacram Congregationem supplex rogabo, ut hoc ipsum dubium iterum examinare dignetur, & vestræ conscientiæ securitati consulere. Illustrissimo Domino Abbati Rospigliosio oro, ut plurimam meo nomine salutem dicas: Vir optimus est, omnium bonorum amore, & obsequio dignissimus. Crescit in dies scholiorum tuorum in Canones existimatio, ipsaque anxie exquirunt, quicumque bonas amant litteras. Ex epistola amici didici summo cum plausu excepta fuisse Parisiis, licet multis displicuerit, quod de Summi Pontificis potestate ab illorum sententia discesseris. Quæ desunt in latinas Synodos, omnes avide expectant, & ego Deum precor, ut ad ea perficienda tibi vires, & incolumitatem largiatur. Romæ 3. Julii 1666.

XC.

X C.

P. ASSELINE
In Romana Curia Canonico Regulari Gallorum
Procuratori Generali.

JOANNES BONA.

Authorem libri de habitu Canonicorum Regularium laudatur, nonnullis notatis in eo opere emendatione dignis.

1. Librum de habitu Canonicorum nuper a Concanonico tuo Parisiis editum perlibenter legi; statimque adverti Authorem illius cujuscunque eruditæ scriptionis capacissimum esse; in hoc enim Opusculo varia ejus eruditio, solidum judicium, & vivax ingenium elucet. Quia vero præcepisti mihi, ut si quid offendissem aliqua correctione dignum, id tibi indicarem, tuis mandatis obtempero qua soleo ingenuitate, & sinceritate.

2. Et primo quidem pag. 1. displicet, quod Canonicorum originem a Collegio Apostolorum deducat: dedecet enim virum gravem hæc nimia antiquitatis affectatio. Prævivit quidem in Apostolis aliqua forma Canonicorum, sed nimis remota, ut per se patet.

3. Pag. 19. cautius locutus fuisset, si dixisset: habitum Canonicorum in quibusdam Ecclesiis albi coloris fuisse; id enim præcise probant allatæ illius authoritates. In aliis enim Ecclesiis aliis coloribus usi sunt: & Canonici Regulares insignis Cathedralis Astensis olim rubro colore amicti erant, ut ipsemet vidi in Imaginibus in ipsa Ecclesia depictis, & testatur Philippus Malabaila in disquisitione de S Brunone Episcopo Signiensi, edita initio operum ipsius Sancti Venetiis 1651. Male ergo ex particularibus universaliter concludit pag. 20. habitum Canonicorum fuisse album.

4. Ipsa pag. 20. ait: Canonicos album colorem in nigrum mutasse, cum abjurata Religione facti sunt Sæculares. At hæc conjectura est, quam non probat. Sicut etiam quod sequitur: obtinuisse primum a Pontifice, & ab Episcopis, ut nigro possent uti extra Monasterium; & postea eo etiam domi usos fuisse: nam nec Pontificem, nec Episcopum ullum nominat, a quo id obtinuerint.

5. Pag 51. Quæ de Rusticio Episcopo affert, etiam probatione indigerent, ut per se evidens est. Aut saltem dicendum erat hanc esse illius Ecclesiæ traditionem, cui credat qui volet.

6. Pag. 87. Ecclesiam Lateranensem potuisse olim Primatum sibi attribuere super omnes Ecclesias. Quare olim? Nam etiam hodie habet hunc Primatum, Canonicis Basilicæ Vaticanæ frustra repugnantibus.

7. Pag. 123. Quod Moniales, quibus S. Augustinus regulam scripsit Epist. 109. fuerint Canonicissæ. Supponit tamquam certum, quod tamen probandum erat.

8 Hæc sunt, quæ aliqua animadversione digna existimavi. Factus sum insipiens: tu me coegisti. Nimii calores, & meæ occupationes præpediunt, ne ad te accedere possim. Ignosce, & vale. Ex Monasterio S. Bernardi ad Thermas 15. Julii 1666.

Supradictæ Censuræ, & sequentem addere placuit, cum de eadem ferme tractet materia.

Epiſtola, ſeu Cenſura in Librum prænotatum.

Réflexions ſur les antiquités des Chanoines.

9. LAudo ideam, & methodum Libri de Canonicis; ſed ipſe tractatus non videtur omnibus numeris abſolutus. Multa enim ponit tamquam certa, & indubitata, quæ indigent probatione, & teſtimonio veterum Scriptorum. Ex his pauca notabo, ſub cenſura tamen Eruditiſſimi Authoris.

10. Quæ norma ſit ſervata ab antiquis in inſtitutione Epiſcopatuum, & in diviſione Diœceſeon, aliquanto fuſius explicandum eſt. Item agendum de origine Cathedralium, & de Sede Epiſcopali, quando cœperit figi ſpecialiter in aliqua Eccleſia. De prima Canonicorum inſtitutione; quando cœperint divina officia ſtatis horis in Eccleſia recitari. De ſtationibus, & earum origine; quomodo Epiſcopo Celebranti aſſiſterent, & ſimul celebrarent Presbyteri; quis fuerit numerus Presbyterorum in qualibet Civitate; quæ ipſorum functiones; an omnium Eccleſiarum idem mos fuerit. Vereor enim, ne exempla Eccleſiarum Altiſſiodorenſium, & Epaunenſium ſint particularia, unde ex illis pro uſu cæterarum non poterit certum argumentum deſumi. In urbe Roma, qui uſus, & ritus fuerint, Ordo Romanus, & antiquiora monumenta demonſtrant. Optarem igitur omnia, quæ Author obiter dumtaxat attingit, accuratius examinari, & a primis Eccleſiæ ſeculis ad ſequentia deduci, & teſtimonio Scriptorum, qui illis temporibus vixerint, ſtabiliri. Nec ſolum tempora diſtinguenda ſunt, ſed etiam Regiones, & Provinciæ: aliæ enim Orientis, aliæ Occidentis, & in Romano Patriarchatu; aliæ Galliarum, aliæ Hiſpaniarum conſuetudines fuerunt; & in ipſa Italia diverſi quoque mores erant Romæ, Mediolani, & Ravennæ. Perluſtranda etiam Eccleſiæ Africanæ diſciplina, quæ, ut, ait Tertullianus, cum Romana conteſſeravit. Scio hoc opus laborioſiſſimum fore, ſed fructus uberrimus erit.

X C I.

D. JOANNI BONA

BERNARDUS AUDEBERT M. B.

In Superiorem Generalem ſuæ Congregationis iterum electus, eidem ſuam, Monachorumque humaniſſime exhibet operam.

CElebrato cum Dei voluntate noſtræ Congregationis Capitulo Generali, impoſitoque mihi rurſus graviſſimo onere, illud in primis ad officii mei rationem ſpectare putavi, ſi Reverendiſſimam P. V. debitis ſalutarem affectibus, deque illius geſtis facerem certiorem; nempe quod votis omnibus optandum ſemper, ut pax Dei cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras in Chriſto, id in nos divina Clementia contulit cumulate. Inſuper & in boni Gregis augmentatione gaudere datum eſt nobis, ut unam omnium in charitate, atque in regulari obſervantia voluntatem, & zelum unum ſine fictione didicerimus, & agnoverimus. Quod quidem, quia donum Dei eſt ſingulare, rogo majorem in modum Reverendiſſimam P. V. ut pro ea dilectione, qua nos fovere dignatur, divinæ bonitati pro collato munere tanto laudem nobiſcum,

&

& pro conservando, ampliandoque conferat orationem. Quidquid autem studii, quidquid obsequii ab amantissimis, ac devotissimis potest expectari, neque a quoquam nostræ Congregationis desore certissime sciat, & a me præ cæteris tanto amplius affuturum, quanto studiosius fidem devoveo. Parisiis 16. Julii 1666.

XCII.

D. BERNARDO AUDEBERT

Congregationis S. Mauri Superiori Generali

JOANNES BONA.

Felicem comitiorum exitum, ejusque electionem in Superiorem Generalem gratulatus, Congregationem S. Mauri multiplici commendat nomine.

1. SUmma cum exultatione legi litteras tuas, quibus de felici successu Capituli vestri Generalis me certiorem fecisti: nec satis exprimere possum verbis, quam animo concepi lætitiam, postquam audivi te in officio Superioris Generalis confirmatum esse. Nam, ut de meritis tuis sileam, signum hoc est unanimitatis, & pacis, qua invicem in Christo colligati estis; signum est, inquam, genuini spiritus Sanctissimi P. N. Benedicti, quem in vestra religiosissima, & amplissima Congregatione suscitastis. Cumque nihil perniciosius sit in bene instituta communitate, quam crebra supremi Rectoris mutatio, quæ nonnisi ex superbia eam dignitatem ambientium oriri solet, hoc nomine maxime lætor, quod videam Congregationem vestram ab hac peste esse immunem; & ab ea istam abesse, & ingentia bona in ea vigere, quæ diuturnæ, ac fere perpetuæ Superioris Generalis durationi annexa sunt; præcisis malis, quæ ex humana fragilitate longo regimini irrepere solent. Gratulor etiam, Deoque gratias ago, quod summam omnium consensionem in mutua charitate, & zelo repereris. Hinc enim efficitur suavissimus virtutum concentus, Deo, & hominibus gratissimus; cum nemo extra chorum abripitur, cum nulli relaxationi rima aliqua permittitur; cum persuasum est subditis omnes, vel minimas leges sanctissimas, & inviolabiles esse: cum semper tyrocinii porta personis inutilibus clausa est, & illis dimittendis semper aperta, qui Monastico instituto inepti deprehenduntur. Hæc sunt, quæ vestram Congregationem mirabiliter illustrant, & brevi tempore ad tantum fastigium evexerunt, augebuntque deinceps, & dilatabunt; sicut ex animo voveo, & desidero, Deum enixe deprecans, ut hunc in vobis spiritum conservet, & multiplicet ad maximam ipsius gloriam, Ordinisque Monastici, & totius Ecclesiæ ornamentum. Vota ista, Reverendissime Pater, quotidie concipio, & promo, te medullitus orans, ut me tamquam unum ex minimis filiis tuis reputare digneris: sum enim revera, & ero in perpetuum devinctissimus servus. Romæ 27. Julii 1666.

2. Commentaria in Psalmos gratissima mihi fuerunt. Gaudeo apud vos esse virum in Hebraicis litteris tantæ peritiæ; nam translatio optima est; & notæ additæ interpretationis judicium, & linguæ sanctæ, cujus ego non sum prorsus ignarus, intimam, & exactam cognitionem manifestant.

XCIII.

XCIII.

D. NICOLAO DE BLAMPIGNON

Sacræ Theologiæ Baccalaureo.

D. JOANNES BONA.

Gratias agit ob suam manuductionem ab eodem in Gallicam linguam egregie translatam.

MIraberis procul dubio, & me fortassis impudentiæ accusabis; quod in Conclave tuum irrumpere, teque latere cupientem temerario ausu prodere præsumam. Sed hæc amoris natura est: reverentiam nescit, abdita quæque pandit; & sicut celari non potest, ita & non patitur eum abscondi, quem amat. Ego autem te amo, immo, ut verius dicam, redamare te cogor, qui me ignotum prius amare, & summo afficere beneficio dignatus es. Peregrinabantur liberi mei libri, videlicet tenuis ingenioli mei fœtus; & tu tertiogenitum benignissime excepisti; & ne latine loquentem vulgus contemneret, Gallice loqui docuisti; atque ex malo latino optimum Gallum fecisti. Hoc mihi in votis erat: ut quandoquidem hic libellus in Germanicam primum, deinde in Italicam linguam translatus fuerat, in Gallicam etiam converteretur: quod a te præstitum est ea felicitate, elegantia, & suavitate, ut nihil potuerim perfectius desiderare. Non tam igitur meus, quam tuus deinceps erit: quoniam meliorem ei speciem in tua lingua indidisti, ac haberet in sua. Et ego quidem, ut Magni Gregorii verba usurpem: pulchrum Joannem Pinxi pictor fœdus; tu vero ex tuo typo virum perfectum descripsisti: neque enim potuisses perfectionis normam stylo conciso, crebrisque sannis abrupto ibi descriptam adeo proprie, & facile meo idiomate exprimere, nisi omnes perfectæ virtutis leges proprio experimento didicisses. Gratulor itaque virtuti tuæ, & gratias ago ingentes, immortales: cumque parum tibi opera rependere queam: illud tamen sincere profiteor, me tam multum tibi debere, quantum potest hominis ingenui mens concipere: vale, & scito me semper ad obsequia tua paratissimum fore. Romæ Kalendis Septembris 1666.

XCIV.

D. JOANNI BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE Presbyter Parisiensis.

Ex Tomo tertio notitiarum Siciliæ Rocchi Pirrhi transcribi sibi petit notitiam Abbatiæ Maniacensis pro nova editione Petri Blesensis necessariam.

QUod P. V. saluto rarius, verecundia facit, non negligentia; quoniam vero tam benigne me P. V. excepit, eadem de re, quæ mihi pro Petro meo Blesensi permaxime necessaria est, interpellabo. Quia ego historia Siciliæ indigeo, & maxime pro Abbatia quadam, quæ appellatur *Maniacum* (a) in Diœcesi Messanensi; cum nihil de ea repererim, recurro ad P. V. ut dignetur quærere in Biblio-

theca

(a) Maniacense Monasterium fundatum fuit anno 1174. a Margareta Siciliæ Regina, Guillelmi II. Matre non longe ab Oppido Randatio in Messanensi Diœcesi sub Regula Sanctissimi P. Benedicti. Vide Goussainvillæum in notis ad Petri Blesensis Epist. 90. & in notis recentioribus itidem Epist. 90.

theca Vaticana, num reperiri possit Tomus tertius notitiarum Siciliæ, Authore Abbate Roccho Pirrho, anno 1647. editus. Tomus autem ille tractat de Abbatiis, & Prioratibus Siciliæ, & Abbatia illa *Maniacum* nomine est in notitia 6. hujus Tomi tertii, qui tamen liber quartus inscribitur. Vidi Lutetiæ duos priores Tomos, qui tractant de Episcopatibus Siciliæ; sed de Abbatiis est tantum unus, & media saltem parte mancus. Rogo ergo P. V. ut si possit inveniri Tomus ille Romæ, curet mihi rescribi notitiam illam sextam, quæ est de Abbatia Maniacensi; quoad mercedem Amanuensis liberaliter suppeditabit R. P. Benedictinus; loquor libere P. V. ut possit liberius uti servitio sui humillimi, & obsequentissimi servi. Parisiis 3. Septembris 1666.

X C V.

AD CATHOLICOS HIBERNIÆ.

Illos laudans, qui fallaci juramento fidelitatis subscribere renuerunt, cæteros deplorat, qui dolo decepti eidem subscripserunt, commendataque Hibernorum constantia in fide Orthodoxa, & felicitate Regibus conservanda, eosdem ad perseverantiam hortatur.

QUantam animo jucunditatem percepimus, cum in Conventu Dublini nuper habito viros non defuisse audivimus, qui se vere Orthodoxos ostenderint, viriliter recusantes Protestationi subscribere fucato fidelitatis titulo palliatæ. Tanta nos mœstitia invasit, cum læto nuncio tristis successit; alios nimirum extitisse, qui vel formidine pressi, vel necessaria in his casibus prudentia, mentisque robore destituti, paratas sibi insidias præcavere nescierint. Et hos quidem par erat oblatas sibi propositiones ex illorum sensu æstimare, qui earum subscriptionem exigebant. Nec enim in re tam gravi ambiguis interpretationibus insistere Catholicos decet, aut æquivocationibus uti, quæ ab antiqua Ecclesiæ norma, & praxi, atque a sincero fidei candore tantopere abhorrent. Illud quoque advertendum erat, quod nos non sine admiratione observavimus, leges hujusmodi nunquam fuisse indictas a rebellibus statūs, Religionis Novatoribus, & eorum perfido capite, qui pessimam fovens causam, de Catholicorum voluntate dubitare potuisset, quæ nunc versuto consilio sub velamine, ac prætextu regiæ Potestatis semper amandæ, semper colendæ fidelibus subditis proponuntur; cum tam notissimum sit, quam generose Catholici Hiberni & bonorum, & vitæ jacturam pro Rege perpessi sint, non falsis doctrinis excitati, aut insidioso moti juramento; sed sanctæ, & avidæ fidei facibus inflammati ejusque legibus obstricti, quæ nihil frequentius præcipiunt, quam debitam Principibus servitutem, & reverentiam. Hoc unum illorum paternis tunc quoque monitis adhærentium fuit studium; hæc concepta ab omnibus vota pro servanda Regia authoritate, & inclytæ stirpis successione. Ad id vero per tot secula, dum illibata Religio in animis subditorum permansit, satis efficacia reputata sunt prisca juramenta, quorum formulæ in eadem Hibernia, in magna Britannia, & in aliis Christianorum Regnis ab ipsius Constantini Magni ævo usque ad hæc tempora non desunt; & nos optamus hanc fidelitatem in Regem, & fidei in Deum veram, & minime fucatam exhibitionem constanter in vobis permanere: *Deum timete, Regem honorificate*. Propositionem novi- *Petri 1. c. 2. 17.*
tati-

tatibus nolite adhærere, nec illis aures præbete, qui ad decipiendas animas, fraudulentas machinantur adinventiones; sed minis, & subdolis suggestionibus fortiter resistentes, *omnem vestram sollicitudinem projicite in Christum*, in quo *si bene facientes, aliquid patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum*, qui dirigat corda nostra in sua charitate. 11. Septembris 1666.

Petri 1. c. 4. 7. c. 2. 20.

XCVI.

D. JOANNI BONA

NICOLAUS BLAMPIGNON

Sacræ Theologiæ Parisiensis Baccalaureus.

Gratias habet ob Epistolam; qua Bona versionem ejus Gallicam Manuductionis ad Cælum approbaverat.

HUmanissimis tuis ut respondeam litteris, Reverendissime Pater, animum induxi resistentem, ne rusticitatis accusares, quem ab hoc munere excusabat imperitiæ conscientia. Et sane puduisset me singulari tuæ in scribendo elegantiæ, stylo præsertim jam rudi, & impolito rescribere, nisi in Rhetorica potius, quam in urbanitate tyro videri maluissem. Hoc igitur sincerum meæ erga te venerationis argumentum ea benignitate velim excipias, qua opusculum suscepisti. Multis deformatum non te latet prodiisse nævis, sed quos exacta linguæ Gallicæ, quam sicut & alias calles, peritia manifestarat, operuit charitas. Convitia merebatur, dedisti laudes, & pro illata Operi tuo injuria, gratias egisti. Ultro quidem petenda mihi est temeritatis venia, quod liberos tuos, libros nimirum, quos doctum docti ingenii fœtum esse fatentur omnes, deturparim. Quis enim deinceps nobiles Romanos sub ignobilioribus nostratium rusticorum pannis delitescentes agnoscet? Quis etiam Latina lingua tam eleganter loquentes, Gallica lingua tam rustice loqui docuisse ignoscet? Mihi equidem ego ipse non ignoscerem, nisi politiorem nostri idiomatis usum eos aliquando edoctum spes uberior affulgeret. Pro amplissimis tuæ benevolentiæ testimoniis, quæ suavissima exhibuit Epistola, gratias ago, & habeo immortales. Miratus sum me a te amari, amoris tam pretiosi causam investigavi, & agnovi me nimirum a te amari, quia tu me amasti: nisi enim quid amabile mihi inesse, tibi suavisset amor, nihil in me quod amares, invenisset amor. Sed hæc est amoris industria, fingit in amato quod amet. Felicitati meæ gratulor, sed abundantius gratularer, si ex Operibus tuis ratus quinam eras, prius novissem utrum, & ubi nam viveres, Avo devovissem filiolos, meque jam jam una cum eis tibi devotum fuisse gauderem. Tibi, inquam, cujus virtutes Romani mirantur, cujus opera tot homines a recto salutis tramite devios in Cœlos manuducunt, cujus denique consiliis utitur, ne dicam indiget, Ecclesia. Faxit Deus, ut tibi bene longi dies, beneque felices excrescant, & mihi nascatur occasio, qua possim quantum te veneror, comprobare. Vale Parisiis v. Idus Octobris 1666.

XCVII.

XCVII.

D. JOANNI BONA

JOANNES MABILLONIUS M. B.

S. Bernardum novis adlaboratum curis ad eum mittens, ipsum rogat, ut quæ censura digna videntur, libere exponat.

JAm dudum tenet me desiderium scribendi tibi, & suffurandi aliquam illius benevolentiæ portionem, quam nostris passim tam humanissime impendis. Cohibui tamen hactenus calamum per se festinantem, ne occupatissimis auribus ignota frigeret salutatio. At cum Bernardus noster, duplici jure tuus, jam Romam aditurus esset tui visendi gratia, non potui illum non commendare tibi, ne nova forma eum suspectum tibi redderet. Pudet me, fateor, non meminisse tui in Præfatione mea cum debito elogio; sed homines hoc ævo sustinemus adeo morosos, ut quidquid hujus generis est, protsus exsibilent. Itaque hac in re genio hujus sæculi gessi morem, ut tuis verbis utar. Et certe ea est nominis, & eruditionis tuæ fama, ut nulla commendatione egeat. Superest, ut, si quid in ista editione animo tuo non displicet, magnam tibi partem tribuas, qui litteris, & consiliis tuis, quamquam ad Dacherium nostrum directis, me non mediocriter adjuvisti. Quod vero censura dignum inveneris (& plura sine dubio occurrent) juvenilibus annis aliquid condonando mihi significare non graveris. Hoc oro, hoc a tua benignitate expecto; neque id solum, sed illud etiam atque etiam rogo, ut mei memoriam facias in Ss. Sacrificiis tuis, quod gratitudinis debito me facturum polliceor, ut Deus noster tibi multos proroget annos. Vale. Parisiis ex Monasterio San-Germani a Pratis X. Kalend. Octobris 1666.

XCVIII.

D. JOANNI BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Motus nuper Lovanii exortos, occasione quæstionis: an Fideles satisfaciant præcepto audiendi Verbi divini, illud in Ecclesiis Regularium audiendi, exponit, illorumque justissimam causam apud Apostolicam Sedem ipsi commendat.

POrtubus, qui quosvis accedentes omni hora scienter admittunt, quin & periclitati, quam accedere præ verecundia malentibus indignantur, Romanæ Reipublicæ Magistratus compatat alicubi Basilius Magnus. Eadem ego importunus fiducia utor apud Reverendissimam P. tuam. Seditiosus Francorum ignis incipit scintillas suas in nos evomere; & in hac etiam alma Universitate seminare discordias inter Clerum sæcularem, & regularem; a paucis septimanis fervet hic quæstio, an fidelis Populus Divino, & Ecclesiastico divini Verbi audiendi præcepto satisfaciat, audiendo ipsum in Ecclesiis Regularium. Rationem dubitandi movent ex quibusdam Concilii Tridentini verbis P. tuæ Reverendissimæ notis. Quæstio illa aliquoties per Sacram Congregationem D.D. Cardinalium fuit decisa: & nostri hic majores conformiter semper docuerunt partem affirmativam: a paucis interim diebus

placere quibusdam cœpit pars negativa, & nisi opponatur obex, aliæ item scintillæ huc transvolabunt. Dominus Internuntius amicus P. V. Reverendissimæ Regularibus favet ex animo; causam tamen instructam transmisit ad Sedem Apostolicam, ejus patrocinium benignitati vestræ ex corde commendo. Sedes Apostolica hodie inter mortales fidum vix interim habet, nisi Regulares; hinc oro Deum, ut per illam isti non humilientur: se ipsam enim ita exarmabit. Quia hic de Academiæ gremio sum, partibus me non addixi, nec convenit, ut addicam: hinc rogo, ut mei, nisi apud fidos mentionem non faciat Reverendissima P. tua, quam D. O. M. Ecclesiæ suæ dudum custodiat. Dabam Lovanii die 9. Novembris 1666.

XCIX.

CHRISTIANO LUPO
JOANNES BONA.

Suscitatas dolens turbas, illum commendat, quod partibus non se addixerit.

Litteras tuas, quibus de turbis in hac vestra Academia nuper suscitatis me certiorem facis, opportuno tempore accepi; nam Deo juvante Religiosorum justissimæ causæ aliquid forsitan emolumenti afferre potero. Atque utinam hoc incendium se ibi continuisset, ubi exortum est, neque ad vos pervenisset: tolerabilius enim esset, & minus malum. Quod vero serpat, & vires acquirat eundo, id procul dubio ingentis ruinæ est initium, nisi citius extinguatur. Comprimenda sunt, fortibusque remediis compescenda fervida illa ingenia, quæ innato quodam vitio novas quotidie lites serunt, susque deque vertunt Ecclesiasticam Hierarchiam, & gloriosum putant inimicitiis clarescere. Quod autem te partibus non addixeris, rem maxime consentaneam prudentiæ, doctrinæ, & existimationi tuæ fecisti; idque vehementer commendo. Et quia jubes me tui nullam mentionem facere, hoc religiosissime servabo, Deum rogans, ut tibi longam, ac prosperam annorum seriem largiatur, quo doctissimas lucubrationes tuas perficere possis ad Ecclesiæ utilitatem. Romæ 9. Decembris 1666.

C.

D. JOANNI MABILLONIO M. B.
JOANNES BONA.

Ei gratulans, novam, eruditamque Operum S. Bernardi editionem, pro Exemplari sibi transmisso gratias agit. (a)

1. Cum summa exultatione litteras tuas accepi, quibus mihi aditum ad tuam benevolentiam diu expetitam benignissime reserasti. Cum enim percepissem a R. P. Flambart (b) te novam editionem Bernardi moliri, jamque experientia didicissem ea omnia, quæ a Monachis vestræ Congregationis hactenus prodierunt, exactissima, & omnibus numeris absoluta esse, persuasissimum mihi erat, acceptissimam fore omnibus, quibus pietas, & sacra eruditio cordi est. Quare

(a) Hanc epistolam nuper edidit D. Vincentius Thuillier inter Opera posthuma D. Joannis Mabillonii Tom. 1. pag. 77.

(b) Hic erat Procurator generalis Congregationis S. Mauri in Curia Romana.

Quare tibi hoc nomine, Ordinique Monastico, ac universæ Reipublicæ litterariæ gratulari optabam. At dum variis distractus occupationibus in longum protraho, tu me interim prorsus immerentem, non solum humanissimis litteris (*c*) prævenisti, sed etiam ipsis Bernardi operibus honorasti: quo munere nullum mihi gratius largiri potuisti, aut quod impensius desiderarem. Puduit me olim nullam extare Melliflui Doctoris editionem, quæ non esset confusa, & spuriis fœtibus tanto Patre indignis referta: nec satis expendens quid valerent humeri, quid ferre recusarent, post editum Tractatum de divina Psalmodia, quandiu licuit otio monastico perfrui, omne studium Bernardo impendi. Sed postea vocatus ad Urbem, aliisque curis implicitus hanc cogitationem penitus abjeci. Quæ autem ipse conceperam (*d*), multo perfectius, & cumulatius a te perfecta sunt; nec alius profecto poterat aut cum MSS. Codicibus conferre, aut tot exemplaria excutere, quæ in Galliæ vestræ Bibliothecis delitescunt. Nostri enim Cistercienses, ad quos propius spectat Bernardus, in rebus suis illustrandis (quod pace ipsorum dixerim) segniores sunt. Ex Præfatione, quam primo Tomo præfixisti, & ex notis, quas sparsim dedisti, evidenter cognoscitur multiplex eruditio tua, acerrimum judicium, styli puritas, & perspicuitas. Quod vero mei nominis sæpius mentionem feceris; & quod opusculum de ratione cantus cum mea *Præfatiuncula* (*e*) edideris, gratias maximas ago, Deum rogans, ut tibi annos augeat ad alios labores pro Ecclesia ipsius subeundos.

2. Hesterna die cum Sanctissimum D. N. de more alloquerer, sermo incidit de Merlone Horstio, quo olim Coloniæ familiariter usus est, & cum inter ceteras illius lucubrationes Bernardum recensuisset, ait: nec ipsi quidem Horstio placuisse, qui, nisi morte præventus fuisset, iterum edere parabat secundis curis magis expolitum. Hac data occasione, id a te diligentissime, & eruditissime præstitum enarravi; quod Pontifici Maximo, ut est sacræ eruditionis amantissimus, gratissimum fuit (*f*). Reverendissimo Patri vestro Generali rogo, ut plurimam salutem ex meo nomine dicas. Ipse non cessat novis me beneficiis cumulare, quibus ego nuda oratione respondeo. Servus inutilis sum, & nullius frugi. Deus illi, & vobis omnibus retribuat. D. Lucam Dacherium intimæ charitatis affectu complector. Te vero deprecor, ut me tui amantem ames. Romæ 16. Decembris 1666.

(*c*) Vide præcedentem epist. sub n. XCVII. positam, quam dictus Thuillier inter præfata Opera posthuma Mabillonii ineditam reliquit.

(*d*) Extant inter schedas ejusdem Cardinalis notæ quædam in S. Bernardi Opera: sed imperfectæ, ut ipse fatetur.

(*e*) Hæc Præfatiuncula edita est Volum. 1. Tom. 2. editionis Mabillonii pag. 693; quia tamen deest in omnibus Card. Bona Operum impressionibus, ideo eam hic mediate subnectere placuit.

(*f*) Hic desinit epistola a Thuilliero relata.

D. JOANNES BONA

Congreg. Reform. S. Bernardi Ord. Cisterciensis Abbas Generalis.

Lectori salutem.

3. IN celebri Monasterio Sancti Salvatoris de Monte Amiato (*a*) Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Senensi extat ejusdem Ordinis

 vetus

(*a*) De hoc celeberrimo & antiquissimo Monasterio, ejus juribus, privilegiis, exemptionibus, Abbatibus, deque ejus translatione a Monachis Benedictinis ad Cistercienses, inter alios legendus Gaspar Jongelinus in notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis lib. 7. pag. 24. ejus fundationem ad annum 742. Rachisio Longobardorum Rege, insignique Benefactore deducens.

vetus Antiphonarium, quod secum e Cistercio Monachi detulerunt, cum primum Cisterciensium Reformatio in illud Cœnobium introducta fuit a Venerabili Raynerio Abbate anno Domini 1231. Huic Antiphonario præfixus est hic tractatus, D. Bernardo Claræ-Vallensi Abbati adscriptus. Nec dubito, quin alia ejus Exemplaria in aliis Ordinis Abbatiis reperiantur. Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi unius meminit his verbis: *In Monasterio Laudensi in Flandria servatur ejusdem* (S. Bernardi) *Epistola de ratione cantus, nondum edita, cujus initium est: Bernardus humilis Abbas Claræ-Vallis*. Possevinus in Bibliotheca selecta lib. 15. cap. 6. cæteris Scriptoribus, qui de Musica scripserunt, Sanctum Bernardum connumerat. Angelus Picigitonensis Minorita edidit Venetiis (*b*) anno 1547. *Floris Angelici de cantu plane, & figurato libros duos*, quorum primo plura citat ex hoc tractatu, nominatim cap. 29. *Hoc*, inquit, *comprobat S. Bernardus in sua Musica, dicens: ubi molliorem sonum fieri expedit, B molle quandoque ponitur, furtim tamen, ne cantus similitudinem alterius toni assumere videatur*. Cap. *Iterum* 46. de terminatione tonorum: *Doctissimus tam in divinis, quam in humanis scientiis Sanctus Bernardus has litteras describit in sua bene ponderata Musica, ubi dicit, quod hæ litteræ* D. E. F. G. *sunt cantuum terminativæ*. Et cap. 47. de ascensu, & descensu tonorum: *Omnis tonus*, ait, *decem notas habere potest, ut aperte describit non minus verax, quam doctus S. Bernardus in bene considerato prologo suæ Musicæ, assignans tres potissimum rationes, videlicet, Psalterii authoritatem, dignitatis æqualitatem, & notandi necessitatem*. Quæ omnia cum præcise in hoc Tractatu habeantur, hinc satis evidenter deducitur ejus Authorem esse Bernardum. Nec stylus refragatur, quantum proprii Musicæ termini patiuntur. Voce barbara, *Maneria*, sive *Maneries*, quæ hic sæpe repetitur, utuntur passim Musici. Reperitur etiam in libello *de Musica practica* apud Bedam; nam Bedæ perperam adscriptum esse evincunt notæ musicales trecentis fere annis eo posteriores, & multa, quæ ibi sunt ad verbum acceptæ ex doctrinali, & Micrologo Guidonis Aretini Ipse quoque Bernardus ea voce usus est epistola 339. ad Balduinum. Ex his autem apparet, quam sollicite curaverint Majores nostri, ut in divinis Officiis omni remota indecentia, & novitate, Ecclesiastica gravitas, & majestas tam in cantu, quam in verbis conservaretur. Animus erat uberioribus notis hunc tractatum illustrare; sed re maturius perpensa, ab his abstinui, nam Musicæ disciplinæ peritis superfluæ, ignaris inutiles forent. Vide interim quæ de cantu Ecclesiastico, & de tonis dissero in mea psallentis Ecclesiæ Harmonia cap XVII. §. 3. & 4.

(*b*) Picigitonensis, seu Piceleonensis, a munitissima arce ibi constructa ad oram Abduæ fluminis, *Piceleo* dicta, sic appellatus prælaudatus Angelus, licet nunc corrupto, usitatoque idiomate *Pizzighettone* nuncupatur.

C I.

D. JOANNI BONA
DANIEL PAPEBROCHIUS.

Pro opera ab eo præstita, ut plura Martii exemplaria venum ierint, gratias agens, P. Henschenium Aprili parando incumbere dicit.

Iisdem pene litteris, quibus appulisse Romam cognovimus Martii nostri exemplaria, & Summo Pontifici oblata placuisse, significatum nobis est Reverendissimam P. tuam voluisse declarare affectum suum,

suum, & quanti ea faceret probatum reddere plurium exemplarium emptione. Quod ut longe nobis fuit acceptius, ita officii nostri esse existimo gratitudinem qualemcumque redhibere per litteras. Sed neque hanc verbis exaggerabo: potius scribam, quod tibi magno gaudio, P. Godefridum Henschenium, quamvis annum in societate agat quinquagesimum (jubilaris enim est, ac pene septuagenarius senex), tamen ad studiorum labores adhuc firmum, vegetumque incumbere parando Aprili. Nuper in Octava S. Francisci Xaverii more belgico festivissimo ad aram jubilavit; jubilanti postmodum oblatus e Typographia est plausus, cujus fortasse non ingratum isthic erit videre exemplar, propter styli haud alias usitati novitatem non prorsus infelicem. Superfluum foret Reverendissimæ P. tuæ tam per se pronæ ad promovendum Operum nostrorum distractionem (qua sic consulitur edendis, ut nulla re magis) eamdem porro commendare. Itaque cum fausta multorum annorum apprecatione, ejusque præcipere, quem inchoamus, epistolam concludo; & sacras vestras manus religiose exosculans, precum, Sacrificiorumque vestrorum communionem suppliciter efflagito, atque maneo. Antuerpiæ 21. Decembris 1666.

C I I.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE
JOANNES BONA.

Nonnullis quoad cæremonias quæsitis facit satis.

Serius, quam par esset, mandatis tuis pareo: sed nec pareo quidem, nam decretum illud Leonis X., de quo scripseram tibi, non reperitur. Tantum de eo mentio fit in Actis Congregationis rituum: dixitque mihi Præfectus cæremoniarum expressum esse in rubricis Breviarii sub titulo *de Translatione Festorum*, ibi: *Si autem Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ &c.* Reperi autem connexum Breve Urbani VIII. de anticipando jejunio, quando vigilia S. Joannis incidit in diem Corporis Christi, quod tibi gratum fore arbitratus sum. Ceterum Viri eruditi expectant Petrum Blesensem tuum summo cum desiderio, quod ipse excitavi. Nuper de te, & de hoc tuo labore sermonem habui cum Beatissimo D. N. Deus te diu servet incolumem. Romæ die 24. Januarii 1667.

C I I I.

D. JOANNI BONA
BERNARDUS AUDEBERT.

Suum, totiusque Maurinæ Congregationis gaudium exprimit pro eodem inter S. Officii Consultores cooptato.

Gratias ago Deo meo semper quidem in omni memoria tui, nunc vero magis in gratia Dei, quæ data est non tam tibi, quam Ecclesiæ universæ, cujus tu visibili in terris capiti adjunctus es, & quodammodo affixus velut oculus dexter, uberrimo Cœli perfusus lumine, saluberrimo Christianum Orbem lumine illustraturus. Toti quidem Corpori mystico Salvatoris tanta hujus lætitiæ communicatio, quantum & deinde ad quælibet membra derivandum utilitatis, expertura

pertura plane in te impletum quod vulgo dicitur : Res sacra Consultor, sed Benedictinæ genti præ ceteris, mihique omnium minimo præ omnibus singularis. Os quippe nostrum, & caro nostra tu, & radix vere sancta per te ostenditur, quæ ramum adeo speciosum, & utilem proferre promeruit, etiam in tempore senectutis. Illuc tua dudum te merita vocabant; sed etsi gratulamur plurimum, altius tamen quippiam invocant vota nostra, ac pene divinant. Et quidem faciens faciet Dominus, nec cessabit, donec compleat opus suum. Vale interim, & vive felix; Ecclesiæ autem Dei, Benedictinoque populo ad multos annos salutaris. Hoc mei de præteritis, & præsentibus gaudiis signum, & hoc profuturis votum, ut te perfruar in Domino, in quo te diligo vehementer, summeque veneror. Parisiis V. Idus Martii 1667.

C I V.

D. JOANNI BONA

JOANNES MABILLON.

S. Officii Consultoratum eidem solo meritorum intuitu collocatum gratulatur.

SIgnificavit nobis proximis litteris suis D. Gabriel Flambart Sanctissimum D. N., cui dudum perspecta sunt merita tua, in Sacri Officii Consultorem te cooptasse. Lectæ sunt me præsente litteræ illæ, quibus & suam lætitiam declarabat, & novam tuæ erga nos voluntatis testificationem. Et quoniam difficilis est, ut ait quidam, patientia gaudiorum: patere me inter omnium acclamationes tantisper gratulari, si non tibi, cui magis cordi est honorem mereri, quam accipere, saltem nobis, qui tuis provectibus, quamquam haud insperatis gloriamur, & proficimus. Cur enim mihi deneges, quod licet omnibus, qui de te nonnisi magna sperant, & tibi sperant ampliora? Optime certe convenit tibi munus illud, quod obtines. Nulla est dignitas, audeo dicere, quæ aliquando non sit passa degeneres: at dignitas tua præmium virtutis est, & virtutis sedes, quam nullus sine virtute obtinuit, sine gloria servavit. Precor Cœleste Numen, ut ita eam serves, ut te nobis diutius servet. Tantum velim publico usui a te impendi, ut mei non prætereas memoriam, quod magis tua bonitate, quam mei meriti penuria sentio præsumendum. Vale. Parisiis in Monasterio S. Germani Pratensis VI. Idus Martii 1667.

C V.

Reverendissimo P. Generali Congregationis S. Mauri Ord. S. Benedicti

JOANNES BONA.

Acceptissimas sibi dicit ejus fuisse litteras, queis nuper collatam dignitatem fuerat gratulatus.

GRatissimæ, & jucundissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus me inter Consultores Sacri Officii a Sanctissimo Pontifice cooptatum sincere, & amanter gratularis. Licet enim opinioni, quam de mea tenuitate concepisti, me prorsus imparem esse cognoscam; lætor tamen amore tuo, & propensa erga me voluntate, tuæque benevolentiæ gratias ago humillimas. Atque utinam me talem præstare pos-

sem,

sem, qualem describis; facile paterer te alia insuper, eaque majora præsagire. Sed novi ego, quam sit mihi curta supellex; atque ideo vota tua rejicere compellor, tamquam nihil ad me pertinentia. Non diffiteor munus collatum conspicuum esse, Ordinique Monastico valde honorificum; sed gravissima ejus negotia ita me studiis affixum tenent, ut nullus relaxando animo sit locus. Sic nimirum placitum fuit Deo, qui suscitavit a terra inopem, ut sederet cum Principibus in hoc primo, & supremo Catholicæ Ecclesiæ Tribunali. In illo spes mea est: nam qui onus imposuit, vires quoque ad ferendum subministrabit. Tu vero cum me diligis, eum sane diligis, a quo summe diligeris, ejusque honore lætaris, qui, si quid potest, id totum tuum est. Spondeo hoc tibi, ut alias sæpe: idque a te enixe postulo, ut in numero filiorum tuorum me habere digneris. Romæ 12. Aprilis 1667.

C V I.

D. JOANNI BONA
LUCAS DACHERIUS.

Collatam Consultoris dignitatem gratulans, ad propriæ complementum lætitiæ Sacram Purpuram auspicatur.

SÆpe sæpius etsi cogitassem, decrevissemque memor beneficiorum tuorum mihi collatorum ad te scribere, cum aliena manu ob dolorem oculorum indigerem, coactus sum hucusque protelare. Nunc vero acceptis a R. P. D. Gabriele Flambart litteris, quibus certiorem me facit te a Summo Pontifice ad eum dignitatis gradum, qui pietati, & doctrinæ tribui solet, evectum, non potui mihi temperare, quin hasce qualescunque gratulatorias litterulas exararem, queis meam lætitiam inde perceptam tibi patefacerem. Non cumulata tamen est ipsa lætitia, nec votis satisfactum meis, quandiu superiori dignitate auctum, mutata nimirum veste, indutum te Purpura haud intellexero. Preces itaque effundere ad Deum non desinam, ut quod opto, optantque universi Congregationis nostræ alumni, ad Ecclesiæ suæ bonum, ac decus efficiat. Vale quam optime, & me, ut soles, ama. In Monasterio San-Germani Parisiis 12. Aprilis 1667.

C V I I.

D. JOANNI BONA
CHRISTIANUS LUPUS.

Nonnulla eidem scripta super controversias in Belgio ortas, Cardinali Barberino communicanda, transmittit.

SAnctissimi D. N. periculum uti gravissime doluit, ita de meliori ejus statu summe gaudet omne Belgium, & hæc præsertim Universitas publica fudit pro ipso vota. Nota hic de christiana contritione contentio non cessat. Quidam thesibus, ac libellis non cessant impugnare divinæ dilectionis necessitatem, & sacram hanc facultatem lingua percutere, & dicteriis lacerare; quod scripsi ego, invitus scripsi, & jussus: & utinam non scripsissem. Confido me vera scripsisse: at nihil habeo magis in voto, quam pacem, & charitatem. Destinaram silere, & medelam expectare a Romana Ecclesia: ast ob novas

quo-

quorumdam petulantias noluit Sacra facultas . Illatas calumnias pessimas jussit modeste , & humiliter purgari , rata plene necessarium . En mediam hic scripti partem; alteram proxime mittam. Rogo communicari Eminentissimo Domino Cardinali Barberino ; imponi finem periculosis quæstionibus , & me complendis Synodorum scholiis reddi . Importunitatem supplico excusari a vestra in me benignitate , quam D. O. M. dudum custodiat. Lovanii 18. Aprilis 1667.

C V I I I.

D. JOANNI BONA
CHRISTIANUS LUPUS.

Impugnatam dilectionis divinæ necessitatem , evulgatum ea de re libellum, suam , & Academiæ famam calumniis lacessitam dolens , rogat , ut scripta , quæ mittit , legere , ac Summo Pontifici , & Cardinali Barberino exponere dignetur .

RUrsus importunus confugio ad Reverendiss. P. tuam, nec pro me solo , sed pro universa, cui virtutes vestras exponere sum conatus, sacra hujus almi Gymnasii Theologica Facultate . A quinque jam, aut sex annis quidam apud nos quasi bellum indixerunt divinæ charitati, formandaque per ipsam pœnitentis contritioni , asserentes pœnitentem sine ulla charitatis scintilla levissima , per solum servilem timorem pœnarum purgari posse , ac Deo reconciliari . Ita palam jam prædicant , & catechizant; & multas , cum infimæ plebis scandalo , ac turbatione, contentiones diversis in locis excitarunt. Sacra hæc facultas errorem censura sua proscripsit : at sine fructu . Non esse de tribus capellis quæstionem , sed dissertatiunculam scripsi , neminem notando ; sed omni cum modestia conatus avitum Ecclesiæ dogma elucidare dumtaxat , caninæque facundiæ nullam vel rimam aperire . Hæc tamen ingressum invenit : etenim quis dictæ societatis Clericus nomine Maximilianus le Deult libellum istum adeo potenter est aggressus , ut nos facere tentet Jansenistas , ac Lutheranos; imponatque errores monstruosissimos , quos absit a nobis vel in somnio fuisse cogitatos . Publicis Sacræ Theologiæ Professoribus necessaria summe est bona fama , & immaculati nominis auctoritas: etenim & ipse Apo-
1. Ad Timoth. 3. 7. stolus jussit : *Testimonium habere bonum etiam apud extraneos , ut non vitu-*
2. Ad Corinth. 6. 1. *peretur eorum ministerium*. Tenacissime ab ipsis servari oportet hanc Pro-
Isaias 42. 11. phetæ regulam : *Gloriam meam alteri non dabo* . Hinc nostra Sacra Facultas , licet a prosequendis Ecclesiasticarum Synodorum scholiis ad inanes hominis sermones revincendos me noluerit diverti, aut distrahi; impactas tamen calumnias jussit fieri manifestas, & nos ab ipsis purgari , quod & feci per adjunctum scriptum . Verum adversus ejus impressionem intercessit Illustrissimus D. Internuntius , turbarum hinc timens periculum ; ideoque instantissime obtestans, & suadens omnia per V. Reverendissimæ Paternitatis profusam in me benignitatem remitti ad suam Sanctitatem, & Dominum Card. Barberinum, atque ab illis longe meliorem purgationem expectari. Sacra Facultas dudum improbavit consilium , ac meis tandem precibus est inclinata : promisi S. Sedem nobis non defuturam . Certe dicti Clerici Romam transmissus a D Internuntio liber non solum erroneus est, sed ob criminandi audaciam , scandalosus insigniter , ideoque dignus damnari.

Famam

Famam negligere, & solius bonæ conscientiæ judicio gaudere jam dudum (Deo laus) utrumque didici in Monasterio; verum sacræ hujus Facultatis venerabile nomen non possum non zelari. Hinc vestro in me indignum affectui supplico ex omni corde, ut adjunctas chartas legere, & indicare hæc omnia Sanctitati suæ, & D. Cardinali Barberino exponere, & nos a verbo aspero liberare dignetur. Alias certe ego impedire non possum, quominus sacra Facultas semetipsam expurget. Frequentem meam importunitatem, ac fiduciam boni consulere dignetur summa benignitas vestra, quam D. O. M. dudum custodiat. Lovanii 28. Aprilis 1667.

C I X.

CHRISTIANO LUPO
JOANNES BONA.

Receptas litteras, Dissertationemque consignatas quidem dicit Card. Barberino; rem autem Papæ, utpote ægrotanti, nondum fuisse communicatam.

QUa die recepi litteras tuas cum doctissima Dissertatione de actu Attritionis, vocatus fui in Palatium Apostolicum, ut Sanctissimo D. N. graviter decumbenti allisterem; ibique commoratus sum diu noctuque, nec hactenus mihi licuit ab eo egredi, ut cum Emin. Card. Barberino de tuo negotio colloquerer. Curavi tamen litteras tuas ad eumdem mitti, quæ illi fideliter redditæ sunt. Rem autem proponere D. Papæ non licuit, quia ægritudo non sinit eum applicare hisce litterariis concertationibus. Patitur optimus Pontifex acerbissimos, & assiduos calculi dolores, quos suffert incredibili, & vere Apostolica patientia. Quotidie mortem præstolatur, & fugit ab eo: sic enim Deus eum exercet; & quidem sanari citra miraculum non potest. Medici vero existimant eum posse adhuc vivere per aliquot hebdomadas. Adsit Dominus Ecclesiæ suæ: porro ego præparatus ero ad obsequia tua; teque interim hortor, ut non dedigneris ea considerare, quæ nuper ad te scripsi sub die 2. hujus mensis. Vale. Romæ 29. Aprilis 1667.

C X.

D. JOANNI BONA
CHRISTIANUS LUPUS.

Postrema expurgatorii scripti folia mittit, de omnibus certiorem fieri rogans Cardinalem Barberinum Facultatis Patronum.

EN postrema folia scripti mei expurgatorii, ad quod non solum a sacra Facultate nostra, sed & a Primatibus Belgii viris fui compulsus. Eorum quidam, nisi me expurgarem, suæ in me benevolentiæ vale dicere sunt comminati. Utinam litteras vestras tempestive accepissem: earum authoritas forsan me ab odiosa scribendi necessitate exemisset. D. Internuntius est admodum male contentus, & cogit me ad suspendendam scripti publicationem, quod & feci; libenter enim cedo Romanæ Ecclesiæ, licet dura imperet. At Universitatem graviter offendam, dictosque Primates, amicos, & Patronos; non solius, de

qua parum angor, meæ personæ, sed sacræ Facultatis dignitatem, & famam dicar prodere, & animo carere, qui vel unico D. Internuntii verbo resistat. Etenim jam pridem de eo, quam ego obedientiæ voco virtutem, vitio pusillanimitatis sim quasi suspectus; nisi a Romana Ecclesia adjuver, metuo fore, ut nullus deinceps Doctor Regularis adsumatur ad sacram Facultatem, quod Sedis Apostolicæ rebus nequaquam convenit. Et certe quod quis e sua Cella Religiosus omnem facultatem de Luteranismo, & aliis pessimis erroribus calumniose traducat, & illa nequeat se se expurgare, est res admodum dura. Ego Reverendissimæ Paternitati tuæ me totum committo, ex corde supplicans, ut Eminentissimo Cardinali Barberino hujus Academiæ Patrono singulari dignetur cuncta exponere. Certe non convenit, ut hæc Sedi Apostolicæ addictissima Universitas contristetur. Illustrissimus Dominus Hieronymus de Vexhiis res nostrates novit, & instruere poterit benignitatem tuam. Etiam Illustrissimum D. Favoritum rogo humillime salutari. Audivimus Sanctissimum D. N. esse defunctum, de quo publicus hic dolor. Imminet nobis bellum a Rege Galliæ: sumus in periculo ruinæ. D. O. M. Reverendissimam P. V. dudum custodiat. Hanc nostram importunitatem supplico benigne excusari. Bruxellis die 30. Aprilis 1667.

„ Quod ad tres superiores Lupi Epistolas „ spectat, licet & sacra Facultas Lovaniensis, ut ex Epist. cix. & Clerus Gallicanus ad comitia coactus anno 1700. sententiam negantem dilectionis Dei necessitatem „ in Attritione censura notaverint, & proscripserint; tamen Alexander Papa VII. „ sub die 5. Maii anni 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ districte „ præcipit singulis Fidelibus, ut nemo audeat alicujus Theologicæ censuræ, alteriusque injuriæ, vel contumeliæ nota taxare alterutram partem, donec a Sancta „ Sede Apostolica aliquid hac in re fuerit „ definitum, aliterque declaratum. In eadem autem Epist. cix. consulto suppressum fuit & nomen Societatis, seu Religionis, & Authoris memorati libelli, ut eruditioni quidem concedatur locus, sed simul „ ulterioris contentionis occasio præcidatur.

CXI.

D. JOANNI BONA
PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

In observantiæ specimen Petrum Blesensem novis adlaboratum curis, hac comitatum Epistola eidem dono mittit.

PRodit tandem aliquando Petrus Blesensis post diuturnam Doctorum Virorum expectationem. Utinam ab alio doctiore opus hoc fuisset absolutum: perspectius certe, ac nitidius in conspectu P. V. apparet. Verum cum nemo in eo edendo adlaborare voluerit, aliis alio distractis, mihi hæc Provincia demandata est a Viris quibusdam doctis, mihique amicis, & præcipue a R. P. Luca Dacherio; licet ignorantiæ meæ non nescius illud onus humeris meis impar rejicere libenter voluissem. Illud tamen quodcunque est, mitto P. V. veluti quoddam meæ erga eam observantiæ specimen. Quod si ipsi allubeat, animum mihi ad alia suscipienda inflammabit. Interim D. O. M. ut P. V. ad Ecclesiæ utilitatem diu servet incolumem, enixe precatus, ejusdem &c. Parisiis 29. Aprilis 1667.

CXII.

CXII.

D. JOANNI BONA

Fr. PAULUS IMANONICH Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.

Ob demandatam Bonæ statutorum sui Ordinis recognitionem gaudet, se, suumque Ordinem apud Apostolicam Sedem ejus auctoritate commendatum cupit.

INter altiores curarum moles, recognitioni statutorum nostrorum humeros suos tanto oneri maxime pares Reverendissimam Dominationem V. subjicere dedignatam haud fuisse cum exultatione didici e literis R. P. N. Procuratoris Generalis Joannis Vanoviczi. Expecto summa quæque ab humanitate Dominationis Reverendissimæ, atque ut limitatissimo ejusdem ingenio memorata recognitio ad felicem, atque optatam reducatur calcem, Dominationis Reverendissimæ mihi vindico patrocinium. Patri etiam nostro Procuratori Generali, quo benignas in cunctis aures præbeat, Ordinemque universum, quem bellorum tempestates, ac temporum injuria Romanis e finibus fecerunt extorrem, auctoritate sua apud Sedem Apostolicam postliminio revocet, ac Urbi redonet, summe obtestor, & Dominationem Reverendissimam ad publicam felicitatem diu salvam, & incolumem perdurare totis præcordiis exopto. Leopoglaviæ 9. Maii 1667.

CXIII.

Abbati Vallis RICHERII Ordinis Cisterciensis.

JOANNES BONA.

Gratulatur de felici exitu Capituli, & felicioribus auspiciis causam suam terminandam esse prænuntiat; hortatur, ut aliquis interim denuo destinetur ad Urbem, ut ipsa promoveatur.

TAndem vestrum Capitulum illum habuit exitum, quem ipse prædixeram; videram enim in præmissis quæcumque postea secuta sunt, sed & nunc audeo vaticinari felicioribus auspiciis causam vestram reassumendam esse, & ad Dei gloriam, atque Ordinis incrementum, ut par est, terminandam. Brevi tempore durant, quæ vi, & clam gesta sunt, & oppressa veritas Petrum emergit. Protestationes vestræ videntur mihi prudenter, & juste conceptæ, nec dubito, quin earum ratio in his tribunalibus habenda sit. Et hodie quidem silent Congregationes; donec novus Pontifex eligatur; speramus autem futurum illum æquiorem vobis, quicumque ille fuerit, & negotio magis attentum. Dixi Domino Hache necessarium omnino esse, ut duo, vel unus saltem ex vobis revertantur in Urbem, quia urget præsentia, & causa id prorsus exigit, quæ non potest æque bene expediri per extraneos Procuratores. Ego semper idem ero, & agam pro vobis quidquid potero. Dudum experientia didicistis, quid vobis de me polliceri valeatis. Dominis meis Abbatibus de Precibus, & de la Trappe salutem plurimam dico. Salutat vos amicissimus noster D. Ughellus Abbas trium Fontium. Audivi libros, quos mihi mittere dignatus es, tandem pervenisse in Urbem, pro quibus tibi gratias humillime ago, atque utinam aliquando referre possim. Det tibi Deus quidquid optas. Romæ die 21. Junii 1667.

C X I V.

Reverendissimo P. PAULO IMANONICH

Generali Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.

JOANNES BONA.

Dilucidato quidquid in dictis statutis scrupulum inficere poterat, expectandum dicit rei exitum a Sacra Congregatione.

OPportune factum est, ut eodem fere tempore sanctissimi vestri instituti exactior notitia ad me pervenerit, & oblata sit occasio aliquod servitutis meæ obsequium, tametsi exiguum, vobis præstandi. Vidi igitur Constitutiones vestras, qua potui diligentia, & celeritate: & quæ dudum in eis Eminentissimis Cardinalibus quibusdam scrupulum injecerunt, cum interventu, & approbatione Religiosissimi Viri Joannis Vanoviczi Procuratoris vestri Generalis ita dilucidata sunt, ut omnis ablata mihi difficultas videatur. Nunc rei exitus a Sacra Congregatioue pendet, apud quam ipsam promovere, & sollicitare non desinam, donec, Deo favente, feliciter peragatur. Precor autem P. V. Reverendissimam, ut me inter Filios, & servos suos recensere, & suarum Orationum participem facere dignetur. Sum enim, & ero in perpetuum. Romæ 9. Julii 1667.

C X V.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE

JOANNES BONA.

Authorem laudans ob absolutissimam Petri Blesensis Editionem, eumdem hortatur, ut scriptis suis Ecclesiam non desinat illustrare.

PUto te existimare me officii mei oblitum esse, quandoquidem litteris tuis tamdiu respondere distuli: sed summam benignitatem tuam obtestor, ne animum meum, & amorem, quo te prosequor, litterarum tarditate metiaris. Neque enim prius scribere decreveram, quam munus acciperem, quo me honorare voluisti, novam scilicet a te adornatam Petri Blesensis Editionem. Hunc librum avide expecto: aliqnot interim ejus exemplaria uni Bibliopolæ delata sunt, & protinus distracta. Cumque, ut solent aliquando, me convenissent Viri doctrina, eruditione, & dignitate præstantes; atque una sederemus in meo parvo Museo, incidit sermo de Petro Blesensi; tum omnes se coemisse novam editionem dixerunt, multumque tibi debere Rempublicam litterariam testati sunt ob laborem, quem ei impendisti. Petri vitam, & notas tuas omnimodæ eruditionis tuæ, ac acerrimi judicii indices magnis laudibus celebrarunt. His cum ingenti gaudio perceptis ostendi illis Epistolam tuam, & ex ea amicitiam, quæ mihi tecum intercedit, & gavisi sunt. Aliquas deinde horas meis occupationibus subtractas ejusdem libri lectioni ipse quoque impendi; & studium tuum, ac immensum laborem in eo illustrando miratus sum. Audeo tamen hortari te, ut qui polles ingenio, & judicio, Ecclesiæ Dei prodesse non cesses, recepturus a Deo mercedem tuam. His sisto, meque solvendis, & agendis tibi gratiis imparem esse profiteor. Vellem tu tibi persuadeas,

te

re a me non vulgari, sed præcipua observatione coli; nullamque occasionem tibi serviendi prætermissurum. Romæ 26. Julii 1667.

CXVI.

D. JOANNI BONA

GODEFRIDUS HENSCHENIUS Soc. JESU.

Joannem Bollandum defunctum ejus Sacrificiis commendat; & de Martio sub prælo sudante certiorem facit.

1. REV. P. Joannes Bollandus post 15 dierum morbum ereptus est nobis die 12. hujus Septembris; cujus animam, licet confidamus in manu Dei esse, & in æterna cum Sanctis gloria connumerari, tamen eam commendamus Sanctissimis Sacrificiis, & precibus admodum R. P V. quam scio ejus labores solitam fuisse æstimare. Præter communia Societatis suffragia patrocinantur eidem pleraqne aliorum Ordinum Monasteria; in quorum Templis per singulos fere dies cœptæ sunt celebrari solemnes exequiæ, non tantum Antuerpiæ, sed per totam Provinciam in gratissimi animi testimonium, quod de singulis Ordinibus sit præclare meritus.

2. Sub prælo sunt Acta Sanctorum Martii tribus voluminibus, quæ mole sua ascendunt ad sex Tomos Annalium Baronii, & labore, & molestia forsan ad octo, aut decem; cum singula quæque de privatis Sanctis, aut Beatis sint per Orbem Christianum conquirenda, & excutienda. R P. Daniel Papebrochius olim comes itineris mei, jam strenuus socius in dictis Actis elucidandis officiosissime salutat. Antuerpiæ 18. Septembris 1667.

CXVII.

D. JOANNI BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Mentem suam aperiens de nova editione S. Gregorii Magni; quid sibi ad illam perficiendam opus sit, exponit.

MIrum in modum me affecerunt litteræ tuæ, ex quibus cognovi quam honorifice susceptus est Petrus Blesensis a doctis Romanis, & præsertim a R. V. laudari siquidem a laudato viro summum est culmen honoris. Quod autem me hortatur R. V. ut ad novos me labores accingam, libenter parebo: & jam amicorum meorum hortatu de nova Gregorii Magni editione cogitavi; sed quia hoc onus humeris meis longe est impar, doctorum virorum ope, & consilio mihi est opus; & præsertim R. V. quam in lectione istius Patris, ut & aliorum, non ambigo esse versatissimam. Mens itaque mihi est MSS. antiquissimos Codices undique conquirere, & ad illorum fidem edita exemplaria, quam accuratissime fieri potest, emendare. Deinde si quid aliud ineditum reperiri poterit, illud adjungere; præsertim vero Græcam illam versionem Pastoralis ab Anastasio Antiocheno factam, de qua ipsemet S. Gregorius in Registro lib. x. Indictione v Epist. 22 ad Joannem Subdiaconum Ravennatensem. Obtestor R. V. ut super hac re consulat doctos Urbis viros, & maxime doctissimum D. Leonem Allatium, utrum hæc versio, & aliæ ineditæ in Bibliotheca Vaticana,

aut

aut alibi reperiri possint. Denique pergratum mihi faciet R. V., si quid ad hanc editionem illustrandam conferre poterit, pro sua benignitate mihi indicare dignetur. Rogo D. O. M. ut eam diutissime pro bono Ecclesiæ suæ servet incolumem, cui semper ero &c. Parisiis 19. Septembris 1667.

CXVIII.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE JOANNES BONA.

Ejus de adornando Gregorio Magno consilium laudans, ei suam operam in omnibus pollicetur.

NUllum poteras utilius, vel nobilius opus, & tua maxime doctrina, & eruditione dignum seligere, cui incumberes, & insudares, quam novam M. Gregorii editionem adornare. Nam in Epistolis latissimus tibi campus aperietur historiam illorum temporum, & omnem fere Ecclesiasticam disciplinam, quæ in illis continetur, illustrandi. Moralia quoque in Job divina sunt, sed argumenta Capitulis præfixa non semper indicant latentes in eis Cœlestis sapientiæ thesauros. Græca versio pastoralis ignota est D. Leoni Allatio, qui cum sæpe evolverit omnes Codices græcos Bibliothecæ Vaticanæ, nunquam meminit se in eam incidisse. Omnem curam tamen in ea investiganda adhibeo, tum in ipsa Bibliotheca Vaticana, tum in Sfortiana, tum in aliis, in quibus MSS. Libri Græci asservantur; & si contigerit eam reperiri, te statim certiorem faciam. De reliquis Gregorii operibus non puto quidquam ineditum in hac Urbe extare; nam cum duplicem ejus editionem typis Vaticanis, unam in fol. alteram in 8. habeamus, par est credere viros doctos, & diligentissimos, qui utrique præfuerunt, sollicite omnia indagasse, & si quid latuisset, eorum studium vix effugere potuisset. Verumtamen omnes indices MSS. perlustrabo, & si quid occurrerit, protinus scribam. Interim Deum precor, ut te diu Ecclesiæ suæ incolumem servet. Romæ 11. Octobris 1667.

CXIX.

D. JOANNI MABILLON JOANNES BONA.

Oblatos sibi a Pontifice honores in bonum Congregationis S. Mauri cessuros pollicetur.

BEnigne facis, ut tuos tibi, & cum a Summo Pontifice honoribus auctum gratularis; nam si ex ejus benevolentia mihi aliquid accessit, id totum tuum est, & Fratrum tuorum, quos ob singularem pietatem, & doctrinam maxime diligo. Atque utinam aliquando non verbis, sed rebus testari possem quanto, & quam sincero Congregationem S. Mauri, & te amore complectar, & quam vobis multis nominibus devinctus sim, certe non paterer me ab ullo, quacunque vobis necessitate conjuncto, in obsequii exhibitione superari. Quod vero attinet ad meam valetudinem, de qua te admodum sollicitum fuisse, & ex litteris tuis, & ex officiis mihi nomine tuo præstitis a Viro Religiosissimo D. Gabriele Flambart sæpius didici, eadem mihi nondum restituta est, licet vita in tuto sit. Castigans castigavit me Dominus: sed

tuis

tuis precibus placatus morti non tradidit me. Quæso igitur, ut ipsum non cesses tuis, tuorumque Orationibus mihi propitium reddere; dum ego vicissim pro vestra felicitate jugiter oro. Romæ die 8. Novembris 1667.

C X X.

D. JOANNI BONA PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Codices MSS. ab editis discrepare advertens, quærit num a postrema editione Romana novi reperti sint Codices.

TAndiu distuli scribere R. V. tum quod eam scirem in rebus Ecclesiasticis non mediocriter occupatam; tum etiam, quoniam quid scriberem non habebam. Nunc vero cum aliquas D. Gregorii Epistolas evolverem, inveni Codices nostros MSS. in multis ab ultimis editionibus discrepare. Inde occasionem sumpsi scribendi R. V. ut sciam, num reperti fuerint ab ultima editione Romana anni 1613. quidquam novi MSS. Codices in Bibliotheca Vaticana, vel aliis Urbis, ut possimus nostros cum illis conferre. Intelligenti pauca. Loquor enim ei, qui in istiusmodi rebus versatissimus est; & a quo, quid in hac editione Operum S. Gregorii præstandum sit, consilium, & judicium expectabo. Parisiis 27. Januarii 1668.

C X X I.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE JOANNES BONA.

Vetustissimum exemplar Moralium S. Gregorii Magni in Bibliotheca Barberina extare innuens, an expositio in Psalmos Pœnitentiales eidem Gregorio attribuenda sit, dubitat, suique dubii rationes exponit.

LAbor tuus in recudendis Operibus Gregorii Magni gratissimus erit toti litterariæ Reipublicæ, cui dudum exacti tui judicii, & variæ eruditionis specimen dedisti in Petri Blesensis accuratissima editione. In Bibliotheca Vaticana nulli sunt hujus S. Pontificis Codices MSS. post Romanam impressionem anni 1613. Extat autem antiquissimum Exemplar Moralium, non bene memini, an etiam Epistolarum in Bibliotheca Eminentissimi Card. Barberini, quam adire non potui, ut te de hac re certiorem redderem. Ego præ manibus habeo Tractatum historicum de Sacrificio Missæ, serius edendum, ob perpetuas occupationes in istis sacris Congregationibus, quibus inservio. Occasione igitur hujus lucubrationis disquirens qua de causa Introitus, Graduale &c. ex Psalmis desumpta, ex veteri translatione, quæ Italica nuncupatur, accepta sint, non autem ex vulgata, valde dubitavi, an expositio septem Psalmorum Pœnitentialium perperam Gregorio Magno tribuatur. Ratio est, quia in reliquis suis Operibus semper Psalmos citat ex ipsa Italica versione, ut unico aspectu videre poteris in Collectione Sancti Paterii; nam illius Psalterii usus in omnibus Ecclesiis Urbis permansit ab Apostolicis temporibus, ut in dicto Tractatu osten-

do

do (*a*), usque ad Pium V. qui illud abstulit, & soli Basilicæ Vaticanæ reliquit. Cum ergo tempore S. Gregorii illud solum in usu fuisset, non video cur septem Psalmos exposuerit secundum novam a Hieronymo ex lxx. interpolatam editionem. Hoc suggero tibi accuratius examinandum. Alia quædam indicavi in alia mea Epistola sub die 11. Octobris (*b*) elapsi anni; si quid aliud occurrerit, scribam. Conatibus tuis adsit divina gratia. Romæ 21. Februarii 1668.

(*a*) De hoc agit Eminentissimus Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2. Cap. 3. §. 4. & 5. Usus autem memorati Psalterii perseverat adhuc in Ecclesia Ambrosiana, ut patet ex ejus Missalibus, Breviariis, reliquis Choralibus libris.

(*b*) Vide Ep. cxviii. præcedentem, & plures alias subsequentes eadem de editione tractantes.

CXXII.

D. JOANNI BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Conjecturam ad expositionem in Psalmos Pœnitentiales ratam habens. de argumentis cuique Moralium capiti præfigendis ait.

QUod labor meus quantuluscunque in recensendis S. Gregorii Operibus R. V. non injucundus fuerit, non mediocrem lætitiam accepi; idque mihi stimulos addidit, qui certe in tam laborioso Opere, viresque meas superante animum despònderam. Sed quoniam inter tantos Doctores, quibus referta est, (taceo cæteros) Academiæ Parisiensis, nullus est, qui huic Operi laborem suum velit impendere, aliis alio distractis; ego licet omnium minimus studiosorum, amicorum impulsu libens illud onus suscepi, & maxime approbante R. V. quam tamen enixe rogo, ut, qua jam cœpit, me charitate juvare dignetur. Et si quid in MSS. Urbis, aut aliis aliquid utile reperiri possit, me moneat. Cæterum conjecturam R. V. ad expositionem in septem Psalmos Pœnitentiales judicii plenam agnovi: jamque ab insigniori hujus Urbis Theologo mihi amicissimo hac de re monitus fueram; quod certe cum censura R. V. convenit: unde & super hac re notulam apponere necessarium arbitror. Quod autem de argumentis Capitum in Moralibus monuit me R. V., hoc verissimum est. Quidam tamen ex meis amicis, quibus id communicavi, ajunt, non ita esse necessaria hujusmodi argumenta; tum quia impediunt quo minus totum caput legatur; tum etiam, quia cum unusquisque in suo sensu abundet, pro suo captu ea quisque condere potest; & hoc debet liberum lectori relinqui. Si tamen R. V. ea immutare vellet, libenter apponerem; neque enim mihi aut satis otii, aut capacitatis ad id agendum suppetit. D. O. M. precor, ut R. V. servet incolumem, cui semper ero &c. Parisiis 6. Aprilis 1668.

CXXIII.

CXXIII.

Reverendissimo P. Generali Congregationis S. Mauri

JOANNES BONA.

Laudat Authorem Opusculi de mensura panis, & vini a D. Benedicto in Regula præscripta.

1. UT mihi semper suscepta fuit panis, & vini mensura; quam Monachi Cassinenses tanquam sibi traditam a S. P. Benedicto inter vetusta illius Monasterii Monumenta ostendunt; ita pergratum mihi fuit Opusculum hac de re nuper editum, quo me honorare dignatus es. Nam conjecturam, cui timide adhærebam, tanta eruditione, totque argumentis stabilitam reperi, ut jam non dubitem libram, & heminam Cassinensium ab aliquo prisci moris ignaro confictam, qui ex consuetudine suorum temporum antiquam Monachorum disciplinam æstimavit. Quare humillimas tuæ erga me benevolentiæ gratias ago, cujus quotidie uberrimos fructus percipio. Nescio cur Author hujus Dissertationis celaverit nomen suum; sed quicunque ille sit, omni laude dignus est. Atque utinam omnia Capita Regulæ nostræ, hac, qua pollet, eruditione illustraret; haberemus siquidem omnibus numeris absolutum in ea commentarium, quale semper desideravi. Tua interest, Reverendissime Pater, hoc onus imponere alicui ex tuis; neque enim desunt in amplissima vestra Congregatione Viri huic oneri pares. Hoc audeo suggerere tuæ prudentiæ, cui omnem felicitatem a Deo precor.

2. Habui hesterna die a Sanctissimo D. N. centum benedictiones extraordinarias, quas Dominationi tuæ Reverendissimæ dono applicandas totidem Crucibus, Numismatibus, Rosariis, seu Coronis, & distribuendas pro tuo arbitrio. Oro autem, ut hoc tenue pietatis munusculum non despicias: Deus te diu incolumem servet. Romæ 18. Aprilis 1668.

De supradicta panis, & vini hemina agit S. P. Benedictus in suæ Regulæ cap. 39. & 40.

CXXIV.

D. JOANNI BONA

LUCAS DACHERIUS.

Octavum Spicilegii Tomum offerens, Opusculum de Sacrificio Missæ laudat, quod, & per omnia Congregationis Monasteria legendum, missum dicit.

1. EDitus a me Spicilegii Tomus VIII. merito tibi jure debetur; quippe qui nobiliorem ejus partem præstitisti, nimirum Attonis Vercellensis Episcopi Opera eruisti, scribendaque, & ad me transmittenda curasti diligentia quam maxima. Quod sane beneficium singulare in Præfatione (*a*) mea haud pressi silentio, sicut ipse videre poteris, quando isthuc cum integro volumine in manus tuas venerit.

O Misi

(*a*) In citata Præfatione Dacherius compendiose narrat quid pro reperiendo, transcribendoque Attone actum fuerit; operamque collatam ab Illustrissimo D. Carroccio, apud Regem Galliæ Ducis Sabaudiæ Oratore; de quo frequens mentio in hisce epistolis.

Misi enim Romam ad D. Gabrielem Flambart Tomi illius exemplaria nonnulla, e quibus unum Reverendissimus P. Generalis noster tibi offerendum jussit. Is etiam lecto de Missæ Sacrificio libello tuo, cum in eo multam pietatem, ac variam eruditionem reperisset, voluit suis litteris ad me datis, ut illud per Monasteria nostræ Congregationis Fratribus legendum mitterem, quod & effeci. Utinam eodem modo explicares Missæ Canonem: multum haud dubie fructus inde, & utilitatis Sacerdotes, Clerici, & Monachi perciperent. Interim Christus tuam valetudinem ad Ecclesiæ bonum augeat, tueaturque. Parisiis 1. Julii 1668.

2. Salutem plurimam tibi optat sodalis meus Joannes Mabillon, qui, & ego mittemus brevi Seculum I. Sanctorum Ordinis Benedictini.

C X X V.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Pro sibi destinato VIII. Spicilegii Tomo gratum se dicens, de Sacrificii Missæ Tractatu historico a se pene absoluto sermonem habet, ideamque I. Seculi Benedictini ratam asserit.

VErbis complecti nequeo, quantam ex litteris tuis lætitiam conceperim, quibus Tom. VIII. nunquam satis laudati Spicilegii tui editum esse nuntias. Tibi ex animo gratulor, quod Octavarium numerum, qui perfectionis est, expleveris, & novis augere non cesses. Exemplar mihi a tua benignitate destinatum libenter accipiam, & libentissime perlegam; gratias interim humillimas agens Reverendissimo P. Generali, & tibi, quod antiquis beneficiis, quibus jam me dudum arctissime vobis, & vestræ Congregationi devinxistis, recentia adhuc addere non cessatis. Retribuat Deus; Tractatum Asceticum de Missæ Sacrificio ab amicis rogatus edidi, eritque deinceps mihi carior, quia vobis non displicuit. Alterum de eodem Sacrificio Opus historicum, sed prolixius, & operosius præ manibus habeo: quin perficiam? Deus scit; publicis enim negotiis addictus, crebrisque infirmitatibus pressus, sæpe illud interrumpere cogor, adeo ut sine linea non dies, & hebdomadæ, sed plures quoque menses pertranseant; cumque diu intermissum laborem reassumo, mens aliis studiis, & quidem molestissimis assueta, & distracta reluctatur; Deo tamen opitulante ad postremam partem deveni: qua explicata, labor improbus restat perpoliendi totum Opus, & rescribendi. Sodalem tuum D. Joannem Mabillon, quem propter vere Monasticam probitatem, & singularem eruditionem summopere colo, meo nomine salutabis. Ideam I. Seculi Benedictini ostendit mihi P. Flambart, opus dignissimum vestra pietate, doctrina, ac religione, ut quandoquidem in pristinum decus Monasticum a vobis post tot secula instauratum est; ita veterum PP. nostrorum memoriam suscitetis. Laus sit Deo, qui vobis hanc cogitationem immisit. Valete ambo, & scitote neminem esse, & fore, qui vos aut magis amet, aut pluris æstimet. Romæ 26. Junii 1668.

C X X V I.

CXXVI.

D. JOANNI BONA PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Editionem Gregorii adornaturus, opem ab eo implorat in perquirendis ejuſdem S. Doctoris Codicibus MSS. eidem D. de Chaſtellain Canonicum Pariſienſem commendans.

1. SIcut R. V. pridem non mediocriter me adhortata eſt, ut in adornanda S. Gregorii nova, quam meditabar, editione, laborem impenderem; ita in hoc laborioſo opere, conſilio, & ope R. V. maxime indigeo; præſertim vero, quia multa ſunt errata in impreſſis editionibus; plurima etiam, quæ a MSS. noſtris diſcrepant. Quapropter enixe rogo R.V., ut perquirere dignetur, quinam ſint MSS. Codices S. Gregorii in celebrioribus Urbis Bibliothecis, ideſt qui ab anno 1613 quo ultimum editus eſt S. Gregorius, Romam adſportati ſunt ab eo, qui hanc editionem curavit. Pergratum mihi faciet R. V., ſi brevem MSS. illorum Catalogum mittere dignetur, ut poſſim ad eos recurrere, cum notabiles aliquas differentias reperero.

2. Ceterum Virum illuſtrem D. Chaſtellain Canonicum Pariſienſem R. V. valde commendo; quippe qui illius viſendæ ſummo deſiderio tenetur. Eſt enim Vir (a) pius, & Eccleſiaſticarum rerum indagator curioſus. Precor D. O. M., ut R. V. diu ſervet incolumem. Pariſiis 14. Septembris 1668.

(a) De Claudio Caſtellano redibit ſermo pluries ſequentibus in epiſtolis, & præcipue ubi agitur de verbis Uſuardi de Aſſumptione corporea Beatæ Mariæ Virginis.

CXXVII.

D. JOANNI BONA CHRISTIANUS LUPUS.

Quod ſcholia in Canones approbarit, & Sanctiſſimo commendaverit, gratum ſe dicens; an illuſtratio Tridentinæ Synodi Romanæ Eccleſiæ placitura ſit, ab eo, & Auguſtino Favorito edoceri petit.

PLurimum obligor Reverendiſſimæ P. V. non ſolum, quod vivam adhuc in veſtra memoria, ſed inſuper quod me, & mea talia qualia in antiquos Eccleſiæ Canones ſcholia dignatus ſis Sanctiſſimo Domino, & quidem ultra meritum commendare. Exemplar mittere ſemper debui ex pluribus titulis, & volui: obicem tamen poſuit Anglorum in Hollandos navale bellum, ex quo Oceanus adeo nobis clauſus eſt, ut neſciamus quid proxima Quadrageſima manducaturi ſimus. Debito meo proxime conabor per terram ſatisfacere: gaudeo interim ſcholia iſta placere veſtro judicio, cujus acrimoniam ſemper honoravi, ac æſtimavi plurimum, uti ſane oportuit. Latinas Synodos pergo donare ſimilibus ſcholiis: at plurimi noſtrates ante omnia donari, & publicari velint Sacroſanctam Tridentinam Synodum: quod, an Romanæ Eccleſiæ placiturum ſit, ignoro. Rogo, ut deſuper agere cum Illuſtriſſimo D. Auguſtino Favorito; & me in hac re digneris dirigere, reddito unius verbi reſponſo; veſtras pro univerſali Eccleſia nunquam feriantes cogitationes nolim pluribus divertere: unum poſtulo

ftulo, ut me licet immeritum in fua, Sanctiffimi D. N. Eminentiffimi D. Cardinalis Chifii, ac Illuftriffimi D. Auguftini Favoriti gratia, & protectione cuftodire, ac ftabilire dignetur Reverendiffima P. V., quam D. O. M. Ecclefiæ fuæ dudum cuftodiat. Lovanii die 23. Octobris 1668.

CXXVIII.

D. JOANNI BONA

BERNARDUS AUDEBERT M. B.

Tractatum Afceticum de Sacrificio Miffæ Parifiis recufum commendat, & pro Pontificiis benedictionibus gratias rependit.

QUod Opufculum, quamvis non meum, a me tamen ad te miffum, probat Reverendiffima P. tua, gaudeo equidem in Domino valde: at quanto magis æquum eft gratulari me tibi de fpiritus tui unguentis optimis, quibus fragras? Deque oleo illo tam copiofo, quo caput tuum fic impinguatum eft, ut in fuaviffimos effluxerit libros, in illum præfertim, quem nuper de præclaro, & inebriante Calice perfcripfifti tam fancte, ut quod de Bafilio M. legitur, calamum in Spiritus Sancti pixide tinxiffe videaris? Ut autem gratiam fuper gratiam adderet, benignitati tuæ non fuit fatis, quod fontis hujus Cœleftis ad me portionem derivares, qua jam per novam editionem deferti noftri fpeciofa pinguefcunt, fed extraordinarias benedictiones præterea a capite Aaron ad nos, tamquam ad veftimenti ejus oram defcendere fecifti. Minor fum omnibus iftis; agant tibi gratias condignas Sancti illi, quorum acta per nos collecta, digeftaque mitto Romam apud finum tuum per Procuratorem N. meo nomine confignanda. Dum & opus iftud perficiatur, & illud, quod fuggeris, quifpiam noftrum, adjuvante Domino, aggrediatur. Mei interim, & noftræ Congregationis R. P. V. ad Altare Dei, & in Sanctis fuis precibus meminerit, & devota fibi effe fervitia non dubitet. Ita teftor, & voveo. Parifiis 24. Octobris 1668.

CXXIX.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE.

JOANNES BONA.

MSS. Codices Gregorii Magni in Bibliotheca Barberina, & Ambrofiana Mediolani exiftentes enumerat.

LIbero fidem, quam nuper tibi dedi; & Gregorii Magni Codices MSS., qui in Bibliotheca Barberina reperiuntur, breviter defcribo. Sunt autem primo loco uno Volumine Homiliæ XL. in Evangelia, Liber Dialogorum, & Paftoralis. In altero funt Moralia in Job; erant hæc duo volumina Monafterii Montis Amiati (*a*) in Diœcefi Senenfi, olim Ordinis S. Benedicti, poftea Cifterciensis (*b*). In fine:

(*a*) Meminit hujus Monafterii fub titulo Salvatoris pluribus in locis Mabilionius in Annalibus Benedictinis, fed præcipue Tom. II. lib. 22. ann. 750. quo fundatum dicit ex conceffione Ratchifi Longobardorum Regis, poftea Monachi Caffinenfis, facta Elfoni ejus loci primo Abbati. Ughellus etiam Tom. III. Italiæ Sacræ col. 670.

(*b*) Angelus Manrique Tom. II. Annalium Cifterceníium ad annum 1161. cap. 6. ait Cifterciensibus eodem anno affignatum fuiffe præfatum Monafterium.

fine : *Frater Petrus Subdiaconus* , *& Monachus testatur se accurate scripsisse*. Sed quis iste fuerir, non liquet. In alio Codice num. LXI. sunt Homiliæ in Ezechielem ; num. LXIII. Dialogi in parvo libello ; num. VI. iterum Moralia in Job; num. MDCCLXI. aliud Exemplar libri Pastoralis. Est & alius Codex in 4. num. CCXLVIII. sic inscriptus : *Speculum morale Adalberti Levitæ ad Hairmannum Presbyterum*, *continens capita quædam ascetica ex libris Moralium excerpta*. Si jusseris, curabo transcribi Epistolam, seu Præfationem ipsius Collectoris ad Hairmannum. In eadem Bibliotheca Barberina est index omnium MSS., quæ sunt Mediolani in celeberrima Bibliotheca Ambrosiana (*c*) : atque ibi præter Moralia, Dialogos, Pastorale, Commentaria in Cantica, & Ezechielem ; est etiam Registrum epistolarum. Item vita Gregorii, & Dialogi græce ejusdem Gregorii, liber contra Manichæos, Explicatio Orationis Dominicæ, & Fidei Catholicæ : at hæc postrema duo Opuscula sunt Gregorii Nysseni. Obedivi mandatis tuis, eroque semper paratus ad ea, quantum permiserint continuæ, & molestissimæ occupatioues meæ. Romæ 30. Octobris 1668.

(*c*) Ambrosianam dici voluit Bliothecam munificentissimus ejus Fundator Federicus Cardinalis Borromæus, eique associatum voluit Doctorum Collegium. Porro de MSS. in ea existentibus videnda Bibliotheca MSS., & Joannes Mabillonius, & P. Montfaucon in eorum respective Museo, & Diario Italico, aliique de eadem Bibliotheca fusius agentes.

CXXX.

D. JOANNI BONA
PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Gregorii difficiliora, quæ se missurum spondens loca ab aliquo emendanda esse cupit, & Adalberti Præfationem exscribi postulat.

GRatissima mihi fuerunr ea, quæ R. V. de repertis Gregorii Magni MSS. operibus scripsit. Amplam certe ex iis messem colligerem, si præsens adesse possem; sed quoniam Dei voluntas obstat, cum perlegam Opera omnia, loca quædam difficiliora notabo, & eorum quam brevissimum potero, Catalogum mittam, ut ope R. V. ab aliquo possint emendari. Quod ad MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ, rogabo Dominum Chastellain, ut si Mediolanum repetat, aliquid laboris in iis impendere non gravetur. Interim precor R. V., ut Præfationem illam Adalberti in Speculum morale transcribi curet, & mihi pro sua benignitate mittere dignetur, ut ex ea conjicere possim, an integrum opus edendum sit. Et si qua in re hic opera mea indiget R. V., libentissime utatur, quam precor, ut D. O. M. diu incolumem servet. Parisiis die 14. Decembris 1668.



CXXXI.

CXXXI.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES BONA.

Pro recepto octavo Spicilegii Tomo gratias agit, sermonemque habens de Triveti Chronico, seculum primum Sanctorum Monachorum se avide expectare dicit.

DIU silui, multis vel hac de causa molestissimis occupationibus detentus, quæ me non sinunt mei juris esse; sed etsi tecum tacui, fecit tamen tui Spicilegii octavus Tomus, ut de te pluries & mecum, & cum amicis loquerer. Plura siquidem in eo continentur, quæ curiosis, & eruditis gratissima fuerunt. Inter cetera vero summopere placuit Triveti Chronicon quædam proferens singularia, & recondita, quæ alibi frustra quærantur; ut cum de obitu D.Thomæ Aquinatis agens, Opera ejus multo fidelius recenset, quam quidam alii, qui ante aliquot annos Patrem de Alva Minoritam pessimis modis traduxerunt, quod scribere ausus esset nonnulla S. Doctori falso adscripta; atque Trivetus hic docet ea non ab ipso, sed ab ejus Discipulis conscripta fuisse. Quid tibi pro hoc munere rependam, non habeo, nisi quod bonum publico a te præstitum Ecclesiæ, & quamvis laudator impar, tuas lucubrationes Eruditorum admirationi trado, & commendo. Seculum primum Ss. Monachorum a socio tuo, te obstetricante, in lucem editum, avide expecto; nondum enim pervenit ad Urbem, licet Reverendissimus P. Generalis vester pro sua benignitate dudum scripserit se illud mihi misisse. Si quæris, quid egerim hoc anno, qui labitur: nescio sane quid respondeam; nam inter varias, & me undique prementes curas nihil, nec ullum temporis spatium a publicis negotiis vacuum nancisci potui, quo meas de Sacrificio Missæ historicas disquisitiones transcriberem. Atque utinam tranquillior mihi, qui mox incipiet annus, illucescat. Ejus primordia tibi felicia, feliciorem decursum, finire felicissimum precor; Deumque oro, ut quæ mihi nunc est prospera valetudo, ea tibi cumulatius suppetat: neque enim plenum esset de mea gaudium, nisi de tua gauderem. In hoc voto sisto, quod opto, ut per te meis verbis Reverendissimo quoque Domino meo P. Generali, & P. Joanni Mabillonio humili obsequio offeratur. Romæ in pervigilio Natalis Christi 1668.

CXXXII.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE
JOANNES BONA.

Præfationem Adalberti propria manu transcriptam mittit, suam de eadem mentem aperiens.

ADest huic folio annexa Præfatio Adalberti, quam petisti: nec potui citius mittere, quia variis subinde ortis impedimentis non antea licuit Codicem ex Bibliotheca Barberina extrahere. Transcripsi mea manu servata Autographi ortographia: Amanuenses enim in antiquo charactere legendo ut plurimum cœcutiunt. Non puto operæ pretium esse Opusculum hoc edere, quia nihil continet, nisi excerpta

a Gre-

a Gregorio. Si qua alia in re studiis tuis prodesse possum, libentissime faciam. Interim a Deo tibi incolumitatem precor. Romæ 29. Januarii 1669.

CXXXIII.

D. JOANNI BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Consilium de integro non edendo Adalberto approbans, doceri tamen petit, quis ille fuerit, deque Codicis antiquitate.

Legi Adalberti Præfationem, quam R. V. manu sua descriptam mihi benigne mittere dignata est. Et licet ex illius consilio, quod vehementer probo, opus integrum edere non sit necesse: nihilominus scire vellem, quis ille fuerit Adalbertus, & quo tempore vixerit; aut saltem utrum ex peritorum judicio Codex ille sit antiquæ notæ; ut si forte Præfationem illam edere operæ pretium sit, possim de eo Adalberto mentionem facere: nihil enim de eo in Possevino, aut aliis ejusmodi Bibliographis reperire potui. Si quid ea de re in notitiam R. V. venerit, mihi indicare non gravabitur, pergratumque mihi faciet. R. P. D. Lucas Dacherius salutem plurimam dicit. Ego vero D. O. M. precor, ut R. V. ad multos annos servet incolumem. Parisiis 18. Februarii 1669.

„ Quis, qualisve fuerit hic Adalbertus, & „ ipse reperire minime valuit Vir Clariss. Mabillonius, qui Tom. I. Analectorum pag. 317. hæc habet: *Idem* „ *præstitere Adalbertus Levita* (loquitur „ autem de Collectoribus Operum Sancti „ Gregorii Magni) *& Lathcen, uterque* „ *hactenus, si non fallor*.

CXXXIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Quod ad Sacram Purpuram solo meritorum suffragio promotus fuerit, gratulatur.

Quamprimum de Eminentiæ vestræ promotione faustissimum accepi nuntium, lætitiæ meæ testimonium occultare, aut diutius procrastinare nolui. Hoc sane non insperato mihi ejusmodi nuntium accidit; jamdiu enim de meritis E. V. ego, & D. Lucas Dacherius simul colloquentes, id tandem aliquando futurum non incerta spe prævideramus. Et de hac re eo magis gaudendum, quod non ambitio, non amicorum obsequia, nullus denique humanus favor, sed sola merita, & emiuentia virtutum, ac scientia vos ad istud culmen honoris provexerint. Felix Ecclesia, si tanti ponderis viros haberet permultos, qui sibi in hoc calamitoso tempore validius opem ferrent. Hoc de E. V. sperant, qui eam norunt boni omnes, eique multos annos adprecantur. Ego vero, licet jam olim multis titulis E. V. obstrictum me sentiam, spero fore ut benevolentiam illam, qua me hactenus in minoribus posita prosecuta est (cum eam, non sicut multi hominum, mutationi obnoxiam noverim) nunc in tam eminenti dignitate mihi impertiri non dedignabitur, patieturque, ut semper dicar E. V. Lutetiæ Parisiorum 13. Decembris 1669.

CXXXV.

C X X X V.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA BERNARDUS AUDEBERT.

Pro eodem inter Cardinales cooptato suum, Maurinæque Congregationis gaudium exprimens, eidem mittit Acta Ss. Ordinis S. Benedicti, Rupertumque ab injuriis, quibus antea lædebatur, vindicatum,

GLoria in Altissimis Deo, qui cœlestia simul, & terrena sic temperat gubernando, ut neminem in se sperantem nimium affligi permittat: sed quod ait B. Joannes Chrysostomus, & ab initio expertus est mundus, læta mæstis, tristibus jucunda permiscet benignitate quidem summa, sed non prorsus incredibili. Sic enim in principio factus
Psal. 29. 6. est ex vespere, & mane dies unus; sic ad vesperam demorari fletum, & ad matutinum lætitiam, cecinit Regius Vates; sic dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, Omnipotens Sermo Dei a regalibus sedibus venit visitare terram, & inebriare illam; sic idem ipse novus homo factus, & naturam per semetipsum innovans, Viduæ in medio acerbi funeris dolenti dixit: ne fleveris; sic & idem operans usque modo Ecclesiæ Sanctæ pro Pastoris optimi decessu lacrymas miro discutit fulgore. Gloria igitur in Altissimis Deo dicam rursus pro tanta consolatione, qua præ cæteris omnibus nos consolatus est, & pro tanto beneficio; pro exorto rectis corde in talibus tenebris lumine tanto; pro tanta consolatione, inquam, qua præ cæteris consolatus est nos in vestra promotione, qui & humiles exaltat, & consolatur humiles Deus: ita ut os nostrum pateat ad ipsum in laude, ad vos in gratulatione; fitque pariter cor nostrum inenarrabili lætitiæ dulcedine dilatatum. Aspiret Deus votis totius Ecclesiæ, votis inclytæ S. Bernardi Familiæ, votis nostræ, imo vestræ Congregationis, votis denique totius Ordinis Benedictini, cujus sanctos Alumnos quidem omnes, ut prospero cursu felicia auspicia prosequantur, vehementer exoro; sed illos præsertim, quorum ad vos acta pro ineuntis anni, proque Apostolica Purpura bene faustis encæniis transmitto, una cum Ruperto nostro ab injuriis, quibus antea lædebatur, egregie, ut hic cognoscunt docti omnes, vindicato. Hujus Arbusculæ vobis dudum devotæ Congregationis nostræ fructus dignemini benignis legere manibus, oculis benignis fovere, colonum interim, vel a longe benedicendo, quatenus præ cæteris ad finem usque inoffenso pede pergam esse. Parisiis 13. Decembris 1669.

„ Corrigendus est error Palatii in fastis Cardinalium, qui promotionem Joannis Bona assignat diei 19. Septembris, cum ipse Cardinalis dictus fuerit die 29. Novembris 1669.

C X X X V I.

D. JOANNI BONA S. R. E. Presbytero Cardinali LUCAS DACHERIUS.

Nuper collatam, jam a triennio prædictam, Purpuram gratulatur.

MEritis tuis, meisque votis, quod debebatur, datum est, cum Sanctissimus Pater ad Cardinalatum te promovit. Id ut accepi, non

non me tenui, quin conceptam lætitiam de nova tua dignitate simul, & reverentiam exhiberem. Non me tenuit Purpura; nec enim is es, cui animum, & mores mutent honores: omni tempore diligis, quia amicus es, tu sane meus. Dilecto sponso similis videris, quippe candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Fore te S. R. E. Cardinalem a triennio, si memineris, ego forte præscius futuri, certe conscius meriti, si non prædixeram, tibi saltem antedixeram. Quod adprecabar, advenit, & evenit. Purpura tuum augebit in me, nostramque Congregationem affectum: sed augere non poterit meum erga te supplicem animum, quo semper fui, & futurus sum. Parisiis e Monasterio S. Germani a Pratis 13. Decembris 1669.

CXXXVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLON.

Eo magis lætatum se dicit pro sua ad Cardinalatum promotione, quod ad hanc dignitatem voce fere suprema Pontificis electus fuit.

PArabam litteras R. V., cum ad nos tuæ Eminentiæ pervenit fama. Parabam, inquam, litteras, quibus & redeuntis anni fortunata tibi adprecabar auspicia, & seculum nostrum secundum jussu Reverendissimi P. Generalis tibi a me ultro directum commendarem. Verum optatissimo rumore accepto, stylus noster alio vertendus fuit, & labentis anni faustis, publicisque acclamationibus accommodandus. Ergo in Cardinalium numerum relatus voce fere suprema Clementis IX. Pontificis vere Maximi? Quid vel solemnius illi ad commendationem tui, vel tibi illustrius ad gloriam? Nimirum hoc judicium de te reliquit prudentissimus ille Paterfamilias te unum esse, cui plus crederet, quem ad Purpuratorum dignitatem inter supremos primum promovit. Hoc judicium ipsa etiam Purpura non inferius existimo. Ego sane audito tuæ novæ dignitatis nuntio non aliter affectus sum, quam si unus ex nostris assumptus fuisset. Sed quid dico ex nostris? Quando te nostrum esse toties professus es, & futurum imposterum confidam. Hinc & gratias egi Deo, quam potui maximas, ob collatum tibi honorem, & multos annos tibi optavi in Ecclesiæ suæ decus, & utilitatem. Parce, quæso, Eminentissime Cardinalis, si Eminentiæ tuæ nomina adhuc semel seposui, ut familiarius agerem tecum, timidius certe imposterum acturus. Vale, & benedictionem tuam mihi largiri dignare. Parisiis xiv. kalend. Januarii 1669.

CXXXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

GODEFRIDUS HENSCHENIUS, DANIEL PAPEBROCHIUS S. J.

Proprium testantur gaudium pro ejus ad Purpuram assumptionem, quod efficaciori eorum studiis adjumento adfuturum sperant, eumdemque de proxima Aprilis editione certiorem reddunt.

GRavissimum dolorem, quem bonis omnibus attulit tristis nuntius de vita optimi Pontificis extra spem convalescentiæ posita, lenivit ex parte iisdem litteris significata tot illustrium Virorum, & in

his Eminentiæ tuæ promotio, cujus insignis doctrina, & pietas super candelabrum tanti fastigii posita, toti Ecclesiæ esset communicatura lumen, quod hactenus Roma pene sola possedit: nisi quatenus prohibens non potuit quominus aliquos ejus radios, utilissimas scilicet lucubrationes, etiam exteri participarent. Nos vero, quorum studiis tantum hactenus amoris, & favoris impendisti, Cardinalis Eminentissime, quantum nunquam satis poterimus prædicare, quasi par est officii gaudio privatim gratulari, videmus eo te loco positum, unde multo quam antea efficacius edita a nobis Sanctorum Acta illustrare commendando, & edenda possis promovere juvando? Hoc igitur gaudium nostrum testatum cupientes, has scribimus, quibus S. R. E. Cardinalem meritissimum, Reformatæ Bernardinorum Congregationis præsidium maximum, bonis litteris, ac studiis singulare ornamentum; nobis benevolentissimum inter Eminentissimos Patronum veneramur, & gratulamur. Tibi, ut gratulemur, vix patitur animi tui religiosissimi sat nota, & nobis pridem perspecta modestia, promptior honores mereri, quam gerere; gratulamur tamen etiam tibi non tam Eminentissimam dignitatem, quam amplissimam in ea facultatem optime consulendi Ecclesiæ, & de re litteraria benemerendi. Quæ felicitas, ut tibi, tuisque, & bonis, atque eruditis omnibus pro te diuturna sit, præter hunc annum, cujus tibi precamur faustissimum ingressum, alios a Deo, sanctisque optamus plurimos cœlestibus favoribus cumulatissimos. Ad nos quod attinet, ea sumus per Dei gratiam valetudine ambo, ut si ipsa nobis firma maneat, sperare audeamus Aprilem mensem, in cujus duodecimo die nunc laboramus, venturum ad prælum post annum unum; aliosque prodituros intra triennium proximum: maxime si idoneus, qualis promittitur, socius adjungatur nobis in locum Bollandi. Interim Eminentiæ tuæ non tantum apud Deum pro incolumitate vestra preces, deinde fundendæ studiosius, sed etiam litterarii labores servient, ut ad quæcunque valebimus obsequia, sedulitas operosa, cujus re ipsa exhibendæ utinam tam frequens nobis offeratur occasio, quam est, & erit semper prompta voluntas, hoc primo, humillimoque sacræ tuæ Purpuræ osculo declarata. Dabamus Antuerpiæ 20. Decembris 1669.

CXXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

SAMUEL SORBERIUS.

Eodem inter Purpuratos Principes adnumerato congaudet.

NIhil a me novo titulo jam superadditur laudibus, quibus pridem ornare solebam eminentissimas virtutes vestras summæ eruditioni conjunctas; dixerat Taurini optimus Comes Carrocius noster, cum Epistolas traderet commendatitias, & inter Viros Patriæ suæ maximos, te summos honores in Ecclesiam merentem connumeraret. Longe lateque vulgaverat fama, scripti libri palam propalaverant; adnotaveram ipse præsens Romæ, vel in primo Musei tui conspectu, litteratissimam esse debere Eminentiam vestram, quæ animum suum Authoribus tantum selectissimis enutriret. Ignosce igitur, quæso, Cardinalis Eminentissime, si te nunc properans paulo prodit inconcinniter (vel inconcinnius ut in originali) lætitia mea, & anno properante gestiam inter primos clientum deosculari tot virtutum tuarum insignia. Nemo enim

non

non celebrat subactissimum Sanctitatis suæ judicium in decorando sacro Collegio, in quo, ut libere loquar, Galli nostrates desiderant plures summos Theologos, & versatos quoque in scientiis humanioribus viros, qui toti terrarum Orbi de rebus gravissimis respondere possint. O utinam tamdiu supersit Sanctissimus Dominus noster, ut tui similes, si fata ferant, permultos adhibere valeat operarios, qui vineam Domini non segniter excolere possint, & sciant. Tu vero, Eminentissime Cardinalis, quam diutissime vale, & præcinentem me more meo magnis ingeniis supra lineam horizontalem assurgentibus feliciter; vel hoc nomine laude nonnulla, & patrocinio tuo, ne benevolentia veteri dicam, dignum me judica. Dabam Parisiis XII. Kal. Januarii 1669.

CXL.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Papæ infirmitatem levius se ferre dicit, ob ejus ad Purpuram promotionem.

DOlorem, quem ex Sanctissimi Domini infirmitate periculosa sentio, multum solata est E. V. Promotio; vel ob istam solam causam dignus ille est, cui adclamet universa Christianitas. Annus de nostris dedit Ecclesiæ vere Cardinalem Patrem, qui non ornetur a Purpura, sed illam ornet. Jam confido res nostras, quidquid peccata mereantur, nedum abjici a Divina Clementia. Nolim plura dicere, ne peccem in E. V. modestiam; & ne ipsam distraham ab Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudine. Ex animo gratulor, & gratiam, quam hucusque indignus habui, etiamnum retinere cupio in oculis E. V. quam D. O. M. suæ afflictæ Ecclesiæ dudum custodiat. Dabam Lovanii die 27. Decembris 1669.

CXLI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

STEPHANUS BALUZIUS.

Causas adducit, propter quas, ignotus licet, Cardinalitiam dignitatem gratulatur, summum illi Pontificatum desiderans.

MIraberis fortasse, Eminentissime Cardinalis, quod cum nulla tecum familiaritas, nulla necessitudo intercedat, cum nullo tibi obsequio, aut officio meo cognitus sim, tamen ad E. T. scribo tibi gratulaturus novam istam dignitatem, quam in te contulit felicis memoriæ Clemens nominis istius Papa IX. sed mirari desines, cum intellexeris, quæ me causæ moverunt, ut consilium istud caperem. Primum (dicam enim simpliciter, ac libere quid sentio) non mediocri lætitia affectus sum, cum ad me perlatum est Reverendissimum P. Joannem Bona, de qua hic Lutetiæ magna, & bona fama jamdiu surrexerat, ac stabilita erat, cujus doctrinam, & eruditionem omnes procul ab adulatione, ut longe positi, & ignoti suspiciebamus; denique cujus comitatem, ac mirificam in litteras, & litterarum studiosos, inclinationem valde amatus sum, cum Nuntius percrebuit hunc optimum, & eruditissimum virum, in sacrum S. R. E. Card. Collegium fuisse coopta-

tum. Deinde vir mihi conjunctissimus officiis, usu, consuetudine, ac communitate studiorum D. Lucas Dacherius Benedictinus, erga quem extant plurima illustria beneficentiæ tuæ signa, nullum neque modum, neque finem facit laudandi te; multum sane propter summam eruditionem, ac pietatem tuam in Deum; sed in primis ob singularem, ac prope incredibilem humanitatem, suavissimosque tuos mores, omnino talem te depingens, quem omnes plurimum amare, ac revereri debeant. Denique cum eximia mea esset in te reverentia, ac de te mentio nuper incidisset in familiari nostro colloquio, ajebam: cupere me quidem litteras ad E. T. dare, quibus testatam facerem lætitiæ meæ abundantiam, ob purpuram in persona tua additam candidis S. Bernardi vestibus: sed vereri, ne familiaritas illa nimia videri posset. Tum ille hortari me, ut facerem, non displicituram tibi hanc meam audentiam, se hujus mihi rei fidejussorem, ac vadem esse. Hæ sunt, causæ, Emin. Card. quæ me impulerunt, ut ad te scriberem in initiis novæ istius dignitatis. Gaudeo enim vehementer, cum video tales in sacro Collegio adsciscí, quales eligi suadebat Eugenio III. Romano Pontifici Parens, & conditor instituti tui S. Bernardus. Precor autem D. O. M. ut non in hoc gaudio subsistas; sed ut ingentes virtutes tuæ, ac magna in Ecclesia merita postulant, cum vacaverit aliquando locus Petri, *de Bona Religione* juxta vaticinium Malachiæ, summus Romanæ Ecclesiæ, quæ Religionis caput est, Pontifex assumaris. Hæc sunt vota mea, Emin. Card. ac omnium bonorum, & recta amantium virorum. Vive, precor, ita Ecclesiæ onera partire cum Collegis tuis, ut interim Rempublicam litterariam, quod optamus, ornare pergas præclaris lucubrationibus tuis, & studio erga viros litteris deditos. Lutetiæ Parisiorum v. Kalendas Januarii 1669.

CXLII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PASTORES Civitatis Gandavensis.

Eidem Purpuratis Patribus adscripto gratulantes, ipsius zelo, doctrinæque commendatam cupiunt causam de necessitate amoris Dei in attritione.

INter ea, quæ sanctæ memoriæ Clemens IX. in Ecclesiæ bonum prudenter, & præclare gessit, hoc sane non parum eminet, quod Sponsam suam relicturus, & supremo Judici suo sistendus, meritorum, & virtutum tuarum memor voluerit personam tuam regimini ipsius inter Purpuratos Patres admovere, cui cum universus Orbis applaudat, nos quoque ex remotis hisce Belgii oris accurrimus toto cordis affectu Emin. tuæ, & Reipublicæ Christianæ gratulantes: ignoti quidem, sed humillimi Clientes, Pastores Civitatis Gandavensis Flandrorum Metropolis. Eoque ardentius, quo confidentius genibus tuis advolvimur, quod fama undique te deprædicet Evangelicæ disciplinæ zelosum amatorem, Pœnitentiæ Canonicæ rigidum observatorem, & Christianæ pietatis singularem Patronum, & charitatis. Speramus siquidem fore, ut, sicut divina Providentia te inter Ecclesiæ suæ Cardinales constituit, ita quoque vires tribuat, ut authoritate, doctrina, & pietate, quibus polles, ad labores, ut Evangelica disciplina multum collapsa restituatur; Canonica Pœnitentia, cujus vix umbra superest, stabiliatur; & Christiana charitas,

ritas, quæ plurimum refrigescit, accendatur. Nos quidem pro zeli nostri modulo, & officii Pastoralis munere connitimur defectibus istis restaurandis: sed quanta ab aliquot retro annis propterea passi simus; & signanter, quod necessitatem amoris benevolentiæ erga Deum saltem imperfecti commendemus ad veram contritionem, non est quod Emin. tuæ gravioribus occupatæ fusius exponamus; cum non dubitemus, quin, sicut controversia circa istam materiam inter nos, & quosdam e Societate JESU hic agitata, ad Curiam istam, & ad Sedem Apostolicam delata sit; ita etiam ad notitiam E. T. quam scimus negotiis similibus adhiberi, jam dudum pervenerit. Hoc unum enixissime obtestamur, ut, si contingat causam istam ibi ulterius moveri, dignetur non tam nobis, quia res nostra agitur, quam saluberrimæ huic, & Christianæ doctrinæ patrocinari: ut non modo nil ipsa patiatur, sed confirmetur, & Ecclesiæ Catholicæ tamquam sanior, securiorque commendetur. De cætero, quemadmodum nil præter salutem animarum nos cogit in laboriosam hanc, & molestam arenam descendere; ita quoque quod doctrinam attinet, ne ad latum quidem unguem progrediemur contra mentem, & dictamen Ecclesiæ; immo sub auspiciis tuis, Emin. Dominè, & ductu parati sumus post hac certare, si dignetur nos sectatorum suorum, & Clientum albo rescribere. Interim D. O. M. assiduis precibus deprecabimur, ut E. T. Ecclesiæ suæ servet, perficiatque. Gandavo 16. Januarii 1670.

CXLIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

ANDREAS VALFREDUS.

Eidem utpote amicissimo in Conclavi cum cæteris Cardinalibus obserato pro novo eligendo Summo Pontifice, supremam hanc dignitatem lepide simul, & amantissime auspicatur.

1. DUm sic adhuc in longum obseratos in hoc sacro Conclavi maximi creandi Pontificis tam ingens cura vos detinet; nos interim, qui foris stamus, & longius absumus, ut pro se quisque & studiis favemus, & partibus: deos omnes & votis invicem fatigamus, & precibus, aut ad supremi Sacerdotis provehatur is apicem, quem provehi post Dei gloriam sua magis intererit; verum ex adverso:

Si mea quid valeant, tuus est favor omnis, & ardor,
Omnia proque meo stant mea vota bona.

Bona solus in auspiciis, in calculis; Bona solus in sortibus, in supplicationibus, in sponsionibus, in desideriis, in precibus. Quid enim innocentissimus provinciæ nostræ Genius ita impie peccarit in Romulum, ut perpetuo ab ejus Urbe damnari meruerit Interdicto? Aheneum? Sed ecce, o Bona noster, hunc murum Pedemontanis aliquando pedibus haud esse docuistis impervium, ferreas has leges, adamantinum hoc fatum posse aliquando perfringi; Cælumque hoc alioquin innoxium ab iniquo tandem hoc anathemate gratulamur absolvi, & exinde Romam rogamus admonitam subalpinis ingeniis, non virtutes, & merita deesse fortunam, & non minus quam in septem suis Collibus, in regalibus nostris montibus bonas item, regalesque animas, suoque ipso superlativo meliores, summisque Imperiis æque dignas oriri consuetas;

Ipsa

Ipsa suos septem submittit ad oscula colles,
Regalisque suum Mons tibi Roma caput
Deferere, atque libens Tarpejas Jupiter arces
Annuit, inque tuis malle tonare jugis:
At quia Monte meus Regali hoc Ortus Apollo est,
Semper & ille meus postmodo pindus erit.

2. Et ecce excusare quarto jam cogimur tot frequentium Epistolarum inverecundam provocationem, & immodestam molestiam; verumtamen expensis vestræ summæ, & nunquam exhauriendæ benignitatis id agitur, & quia de liberalitatis vestræ perpetua penu, cum fiduciaria tessera spiritum ducimus, tot memori ligno incisis obligationibus precantium obliquo cultu hoc etiam ne gravemini gravare creditum, cæterum, quibus nulla spes insit tesseram hanc tot divi nostri Andreæ, transversis deformatam crucibus, tot densissimis peraratam sulcis, minima unquam posse parte a nobis abradi; at citra longius tædium, vestra tandem meminisse dignetur bonitas, una vestrarum aliquando Epistolarum, dum in Monte Regalensi Cœnobio præsideretis, ad vos visendum Ovidiano carmine me compellasse, frequentius hunc relego. Attendite, & recognoscite, sintne justissima hæc verba (Se V. S. mi vuol bene, mi venghi a vedere, prima che ci assedino le nevi; la deve spinger la divozione, l'amicizia, e la curiosità: vedrà il mio Libro stampato in Roma, che uon gli spiacerà con alcune poesie, che meritorno esser lodate da persone intendenti, comunico seco la mia superbia, perchè scrivo questa clausula come Poeta, ed a' Poeti è lecito parlare qualche volta a sproposito, e già che sono in poesia, finisco con un verso di un Poeta antico:

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.

E quì resto &c. Mondovì li 20. Settembre 1656.)
O si modo me Romam eodem, vel unico carmine compellare dignemini.

Jam celer ante pedes volitem Sanctissime vestros,
Extinguetque meam Tybridis unda sitim;
Tunc, licet immites scindant mea fila sorores,
Arguet ingratos nulla querela Deos:
Jamque vale, & quod vos quarto importuna fatiget
Littera consuleris, mi Bona quæso boni.

Vestræ S. ut iterum, & ferventius voveo . . . .
Ter desiderio, quaterque impotentius exæstuans, adque vestros beatissimos pedes projectus, eosque vel hinc exosculans . . . .
Braidæ v. Idus Februarii 1670. Humillimus servulus &c.

Post scriptam.

3. Statim ut renuntiatum fuit a Beatissimo Domino motu proprio, verumtamen tot suffragantibus meritis, in Purpuratorum numerum vos esse relatos, gratulatoria, quo celerius fieri poterat (uti par fuerat) satisfacimus Epistola, exactoque vix adhuc officio dum manumissa Romam anhelat illa:

Lator enim vestram nondum illam detulit urbem,
Inque ita longinquo tramite sudat adhuc.

Ecce citatis ab urbe cursoriis equis Taurinum properat ex adverso nuncius, & pro comperto refert maximum obiisse Pontificem, Clementemque Nonum inclementissimam rapuisse nonam. O rerum humanarum vices, & vera Jacobi Scala, cujus gradum unius angeli descenden-

tis

tis occupat, alter ascendens; nil stabile sub Cœlo, nil firmum est. En in solstitio scribimus, verumtamen nullo pacto stat Sol, & si vel minimo momento dari posset statarium esse cursorem hunc, & ad currendam viam velocissimum gigaotem, ex hoc statim statu tota concideret machioa Mundi, omnino nil staret. In sola adeo instabilitate stant omnia adhuc tamen, idque vovemus humiliter, & unica tantum vice vos mobiles (hocque nostrum augurium stabiliat quio æternum stat Deus) ut scilicet positivus hic vester convertatur in superlativum, & de bono, absque alia comparatione fiat optimus, tuncque cum Romulo vestro statori Jovi templum, ex dimidia saltem, quia egenus sim, parte vovero, ut diutius, scilicet in eo statu Romanam rem sistat. At si quid bonum sit (eoque magis si sit optimum) ex sui natura non potest nou esse sui diffusivum ipsius, quæso, ne furti arguar, quia hactenus fortasse nil meritus, si quid in me petierim ab optima vestra bonitate diffundi. Quod enim confertur in immeritum, furtum est, quod merentibus fit, & ecce supplices ad vos preces porrigimus, unaque repelli docemus. Pulsamus ostium, simulque postulamus excludi; quid amplius abnuerim, fur sim, & latro: dum bonitatem vestram subeat latronis olim, & quidem demeriti; nullam tamen repulsam passi supplicationes, & verba fuisse; memento mei, dum veneris io regnum tuum; valeat jam vestra, non amplius secunda vocalis, sed (ut divioitus auguror, & voveo). Nec longa vanus posteritate ferar. Sed inquam, prima consooaos, & vere consonans, ut quæ prima veteri cognominis sit littera, & Θ si fiat, tunc noo precatio amplius ore, sed proprio beatissimos propere pedes osculatum, & adoratum venturus. Braidæ x. Kal. Januarii 1669. &, qui proxime nasciturus est Christus, his vos repleat benedictionibus, quas postea supplices, ut ab ejus Vicario petimus in nos vel minima parte diffusas Vestræ non E. sed B. ut jam enigma solvatur.

CXLIV.

LEOPOLDO I. Romaoorum Imperatori, &c.

JOANNES Cardinalis BONA.

Imperatoris litteris in Conclavi acceptis respondetur, quibus Romani Pontificis electionem sibi commendabat.

MAjestatis vestræ litteræ, quibus ipsa pro eximia sua in hanc S. Sedem, & in universam Christianam Rempublicam charitate mandabat mihi, ut officii mei partes in novi Pontificis electione diligenter impenderem, redditæ mihi fuerunt, cum in Conclavi Apostolico detineremur; quo tempore mihi fas non erat alteri rei vacare, quam maturando, studioseque curando comitiorum negotio. Itaque ad hanc diem mihi differenda fuit responsio ad easdem litteras, magna quidem cum animi molestia, sed quæ a prospero Comitiorum exitu satis superque compensatur. Juvat enim distulisse, quod nuoe inter publicæ lætitiæ plausus exsequi licet, laborantis Ecclesiæ gubernaculis assumpto singularis pietatis, animi magnitudinis, & sapieotiæ viro Clemente X. (a) Pontifice Maximo, quorum virtutum opinionem jam pridem apud omnes conceptam Sanctissimus Pontifex ex ipso tantæ rei experimento egregie comprobavit, cum fuerit eoixe rogandus, ut imperaret. Confirmo

(a) Is fuit Æmilius Laurentius Alterius, Romanus, Diaconus Cardinalis, in Pontificem Ordinatus die 29. Aprilis 1670.

firmo Majestati vestræ studia, observantiamque meæ in ipsam obsequentissimæ voluntatis, renovans vota, quæ pro M. V. felici progressu concepta professus fueram, cum ad sacræ Purpuræ honorem evectus, ipsi me totum, & si quid in me est, quod M. V. rebus, & usui esse posset, reverenter addixi. Romæ v. Nonas Maii 1670.

CXLV.

D. SAMUELI SORBERIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus litteris respondens, pro imposito sibi onere strenue adimplendo, illius precibus se commendat.

LÆtum tibi accidisse Cardinalatus mei nuntium satis mihi superque suaderet, tacente etiam elegantissima Epistola, amor, & perspecta humanitas in me tua: quamquam hac de causa debueras mihi commiserari potius, quam gratulari sortem meam, si non tam ad dignitatem, qua auctus sum, quam ad vitæ tranquillitatem, qua privatus sum, respicere voluisses. Probe intellige, Vir præstantissime, quantum mihi oneris Romana Purpura imponat, hoc præsertim tempore, quo res Christiana ex omni parte periclitatur. Itaque vehementer a te peto, ut eadem humanitate, qua mihi ornamentum gratulatus fuisti, auxilium a Deo impetres, ad officii mei partes strenue implendas. Præclare interim mecum actum putabo, si nova hæc dignitas aliquam mihi facultatem tribuerit de te, tuique similibus viris bene merendi. Vale, & amare pergas, paratum me rebus tuis semper habiturus. Romæ 6. Maii 1670.

CXLVI.

D. STEPHANO BALUZIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus eruditionem laudat, grates reddit pro officii significatione, suamque ad ejus studia paratam operam exhibet.

QUamvis ex facie nec tu me pridem noveris, nec ego te, uterque tamen alteri ignotus esse non potuit: studiorum enim similitudo etiam absentes mutuo conciliat, viamque parat ad amicitiam. Et ego quidem edita a te veterum Patrum opuscula quædam, tuisque notis illustrata magna animi voluptate perlegi; satisque ex his intellexi, quanta polleas eruditione, & quam multiplici veteris historiæ, & rerum Ecclesiasticarum peritia præditus sis. Hæc causa est, quod onus dignitatis humeris meis impar mihi minus molestum sit, quamvis avulsum ab otio Monastico, & litterario infinitis curis immerserit; nam occasionem præbuit, ut gratissimas a te litteras acceperim, tuamque ultro obtuleris amicitiam. Gratias tibi pro tam benevolo erga me animo ingentes habeo, cui vices libentissime rependam, si tibi, tuisque studiis in aliquo prodesse potero. Romæ 6. Maii 1670.

CXLVII.

CXLVII.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE
JOANNES Cardinalis BONA.

Gratias agit pro officiosissimis litteris, quibus ejus promotionem gratulatus fuerat.

QUam tibi gratum fuit intelligere me ad sacræ Purpuræ honorem evectum fuisse, tam mihi jucunda acciderunt officia litterarum tuarum; cum enim illæ certissimi testes sint præcipui cujusdam in me amoris, minime dubito, quin is, ut humanitatem tuam ad gratulationis officium excitavit, ita excitaturus sit ad impetrandas mihi a Divina bonitate vires tanto oneri ferendo pares. Quod ut facere velis, vehementer a te peto; dum gratias de amantissima significatione plurimas ago, meamque operam, si alicujus rei usui esse potest, tibi, & Lucæ Dacherio, quem nomine meo salvere jubebis, ex animo offero, & fausta omnia a Deo auguror. Romæ 6. Maii 1670.

CXLVIII.

D. BERNARDO AUDEBERT
Congregationis S. Mauri Superiori Generali
JOANNES Cardinalis BONA.

Quidquid honoris ex collato Cardinalatu sibi accessit, ad totum ejus Congregationis commodum cessurum dicens, pro destinatis libris Mabillonio, & Dacherio grates habet.

DIuturna nostra in Conclavi habitatio causa fuit, quod serius litteris tuis respondeam, quibus collatam mihi nullis præcedentibus meritis Cardinalatus dignitatem gratularis. Et ego quidem libentius, & tutius intra claustra Monastica me côntinebam, optans mori in nidulo meo; sed optimi Pontificis in extremo morbo constituti voluntati, & præcepto reluctari non potui, nec decebat. Tu autem non sine causa lætaris, tua enim est hæc honoris accessio, magisque vobis, & vestræ Congregationi, quam mihi proderit, quidquid potero in hoc sublimi statu constitutus; teque ideo precor, ut me tamquam unum ex tuis respicias. Cardinalatus enim, ut phrasi S. Bernardi utar, non successit Monachatui, sed accessit. Libros, quibus me honorare voluisti, seculum scilicet Benedictinum, & Apologiam pro Ruperto Abbate libentissime perlegam, & pro hoc munere gratias ingentes ago D. Lucæ Dacherio, & D. Joanni Mabillonio, a quibus litteras gratulationis item accepi. Tu ipse verbis meis gratias ages, nam tot sunt in hoc novi Pontificatus initio occupationes nostræ, ut vix interspirandi sit locus. Omnibus vobis me ex corde commendo. Romæ 6. Maii 1670.

CXLIX.

CHRISTIANO LUPO

JOANNES Cardinalis BONA.

Jucundum ei fuisse Promotionis suæ nuntium gaudens, se ad ejusdem commoda paratum dicit.

PRomotionem meam ad sacram Purpuram tibi jucundam accidisse non miror, cum tuum in me amorem jam pridem perspexerim; & magnopere gaudeo, cum augurari liceat id, quod a Deo improbari non crediderim, cum piis, religiosisque viris comprobetur. Dabo profecto operam, ut, quantum attulit mihi doloris immutata pristinæ vitæ meæ ratio, tantumdem afferat tibi solatii nova hæc dignitas, si occasiones nactus fuero eam ad commoda, & felicitatem tuam conferendi. Precor interim Deum, ut te incolumem servet sacrarum Litterarum bono, & ornamento, meque tibi ex animo offero, & tuis precibus diligenter commendo. Romæ 10. Maii 1670.

C L.

PASTORIBUS Civitatis Gandavensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Gratias agens de gratulatione, seque dignitate auctum dolens suæ tranquillitatis dispendio, omnem illis spondet industriam circa motas lites, ex Verbo tamen Dei, & Ecclesiæ praxi examinandas.

LItteræ vestræ, quibus & collatam mihi dignitatem congratulamini, & de exortis nuper in Belgio Theologicis Controversiis certiorem facitis, eo tempore delatæ sunt ad Urbem, quo in Vaticano Conclavi pro Summi Pontificis electione detentus nec Epistolas scribere, nec alteri rei vacare poteram, quam maximo comitiorum negotio strenue peragendo, quæ causa fuit, ut usque ad hanc diem responsionem distulerim. Et dignitas quidem invito collata fuit; mihique potius commiseratio, quam gratulatio debetur: nam tranquillissimum, & litterarium otium, quo in Monasterio perfruebar, prorsus amisi, aliisque curis incumbendum est, a quibus semper abhorrui. Divinæ tamen voluntati obsecutus sum, & vobis pro vestra erga me benevolentia gratias ingentes ago, paratus vicem reddere, quoties occasio se se obtulerit. Quod vero attinet ad motas lites, si ad Apostolicam Sedem iterum perlatæ fuerint; sedulo, uti par est, examinabuntur ex Verbo Dei, ex Apostolicis traditionibus, ex doctrina Patrum, ex praxi Ecclesiæ, non studio partium, neque humanis ratiocinationibus. In hoc autem omnem operam meam, atque industriam vobis spondeo, vestrisque orationibus, ac Sacrificiis me enixe commendo. Romæ 10. Maii 1670.

CLI.

CLI.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Dolet, quod e Monasterio eductus novum vivendi genus aggredi cogatur, in hoc tantum se consolationem adinvenire fassus, quod invitus ad tam sublimem sit Purpuræ dignitatem evectus.

MAgnam tibi lætitiam ob meam ad Cardinalatum Promotionem obtigisse non dubito: hoc enim officium a te exigebat & vetus amicitia nostra, & studiorum similitudo, accedente insuper Monasticæ Professionis Regulæ Ss. Patris nostri Benedicti mutua, & arctissima necessitudine. Quod si solum genium meum, meaque commoda respexisses, me dignum potius miseratione, quam congratulatione existimasses; nam tranquillum otium, quo in Monasterio perfruebar, & jucunditatem, quæ ex genialibus studiis provenit, prorsus amisi, adeo ut novum vivendi genus aggredi, curisque, ac nugis seculi servire me oporteat, a quibus semper abhorrui; idque ætate jam ultra sexagesimum annum provecta, & ad mortem properante: Divinæ tamen voluntati reluctari non licuit, & hæc unica mea consolatio est, quod invito, & repugnanti hæc dignitas collata fuit, nec diem hominis desideravi. Deus scit; ceterum, id verissimum esse profiteor, quod ipse scribis, in hac statu mutatione me in tui dilectione immutabilem permanere. Romæ 12. Maii 1670.

Ponenda hic esset Epistola ad Mabillonium scripta; sed quia in omnibus simillima est illi *Samueli Sorberio* scriptæ, quam num. CXLV. retulimus, ideo eam replicare superfluum duximus.

CLII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS MALAVAL.

Eidem incolumem e Conclavi exitum gratulabundus Supremam Pontificiam dignitatem auspicatur, & opus suum de Contemplatione ipsi dicatum, ut acceptet, rogat.

1. INcolumem tuum e Conclavi exitum, Cardinalis Eminentissime, ut maxime desidero, ita mihi facile persuadeo; audivi non fine ingenti voluptate præter multa Eminentissimorum Cardinalium suffragia, multa quoque Christianorum ad exaltationem tuam conspirasse vota; nondum quidem exhausta sunt, precor, ut aliquando exaudiantur, & dicata sit tantum dignitas non sublata.

2. Offeret tibi meo nomine munusculum Reverendus admodum Capuicius; Dialogus est de contemplatione, quem tibi dicare, & subjicere sum ausus, quæ enim amabo munera, nisi spiritualia, spiritui defæcato, atque e terrenis rebus prorsus expedito convenire possint; Christum ergo, quem in hac materia vel tepidi, vel deteriores Christiani graviter persequuntur, tua Purpura involvi: ampliora exponet Epistola nostra Libri initio præposita. Precare, Cardinalis Optime, ut Deum cognoscendo ardentius amem, & amando uberius cognoscam: ego vero

tibi enixe precor Deum te in dies copiosius possidentem, & absolutius consummantem; ille tibi sit purpura, ille corona, ille omnia. Vale idibus Maii 1670. Tuus humillimus, & obsequentissimus famulus &c.

CLIII.

Reverendissimo P. JOANNI KERY Ord. S. Pauli I. Eremitæ Priori Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Acceptissimum sibi fuisse, ait, gratulationis officium pro nova dignitate, suam toto Ordini spondens operam.

GRatissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus collatam mihi congratularis Cardinalatus dignitatem: tametsi avulso a quiete monastica, & turbinibus seculi exposito officium potius commiserationis debebatur. Non tamen sine causa lætaris: tua enim, & tui sacri Ordinis est hæc honoris accessio: jam sacræ Congregationi de propaganda fide adscriptus sum, & in ea libenter arripiam bene de vobis merendi, vestraque negotia promovendi occasionem. Me interim tuis, tuorumque precibus enixe commendo. Romæ 17. Maii 1670.

CLIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Collatam iterum Purpuram, & felicem e conclavi egressum gratulans, Hubertum Fabri ejus patrocinio commendat.

LItteras, quibus Eminentiæ vestræ supremam in Ecclesiastica Hierarchia dignitatem fueram jam pridem gratulatus, existimans non pervenisse, illud officium jam itero, non tam Eminentiæ tuæ, cui claustri solatia magis placere novi, quam Catholicæ gratulor Ecclesiæ, quæ opus habet ejusmodi Cardinalibus. Etiam ex longo conclavis tædio egressum gratulor, & Deo laus, licet alia speraverim, res feliciter successit; optimus D. Cardinalis Rospigliosius saltem habet Papam sibi addictum. Supplico semper vivere uti fidelis famulus sub protectione, & clientela Emin. T. quod ipsum sibi supplicat harum lator Hubertus Fabri, vir probus, ac integer, ac rerum agendarum insigniter peritus, quem proinde E. T. commendare præsumo, quam D. O. M. Ecclesiæ suæ dudum custodire dignetur. Dabam Lovanii 30. Maii 1670.

CLV.

Admodum RR. PP. GODEFRIDO HENSCHENIO, & DANIELI PAPEBROCHIO, Societatis Jesu Presbyteris

JOANNES Cardinalis BONA.

Eorum benevolentiæ se gratum dicens, in eorumdem utilitatem sua studia pollicetur.

LItteræ vestræ die 20. Decembris scriptæ serius mihi redditæ sunt, die nempe 29. Maii, cujus dilationis causa fuit diuturna in Conclavi

clavi Vaticano pro summi Pontificis electione inclusio: quare obsecro, ne miremini, si tamdiu distuli responsionem. Et vos quidem pro vestra erga me benevolentia collatam mihi Cardinalatus dignitatem amicissime gratulamini: ego autem onus splendidum, sed gravissimum, cui ferendo impar sum, perhorresco; & ablatam mihi vitæ Monasticæ tranquillitatem, ac genialium studiorum jucunditatem assidue deploro. Deo tamen, ejusque Vicario parendum fuit; nec alicubi consolationem reperio, nisi quod invitus, & reluctans ad hoc fastigium evectus sum: idque etiam levamen non exiguum est, quod fortassis in hoc loco constituto facultas uberior suppeditabitur bene de doctis, & bonis viris, quales vos estis, promerendi. Gratias ingentes vobis interim ago, meaque studia, ac officia sincere polliceor: & dum Aprilem vestrum avide expecto, a Deo vobis incolumitatem, ac omnia bona exoro. Romæ die ultima Maii 1670.

C L V I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

HUGO de VERDALA, & LODULPHUS de SIRNOLA in Monasterio S. Benedicti Subasii Eremitæ (*a*) Germani.

Dolent, quod Assisiensem Episcopatum recusaverit; ejusdem Urbis, ac Diœcesis statum breviter describentes.

1. RUmor, qui nostras pervenit ad aures, te Assisiensis Ecclesiæ sponsalia respuisse, sane ingenti mœrore nostras mentes exagitavit: considerantes enim Ecclesiam istam jam ab initio nascentis Fidei nostrorum Ss. Episcoporum, eorumdemque Martyrum (*b*), nempe Ruffini, Victorini, & Sabini sanguine purpuratam; tot Ss. Christi Confessorum, ac Beatarum Virginum ortu illustrem, ac præcipue magni Patriarchæ Francisci Redemptionis nostræ stigmatibus divinitus insigniti, & nobilissimæ Virginis Claræ, præclarissimi Ordinis Dominarum pauperum Fundatricis; totque aliis insignibus Cœli favoribus cumulatam fuisse; ac præsertim celeberrima toto terrarum Orbe indulgentia (*c*) ab ipso Christo Domino mirabiliter ore proprio concessa; adeoque tam pretiosissimam margaritam a te rejectam, ne fortasse ante porcos projiciatur, valde veriti sumus. Tu vero nescis, Princeps Eminentissime, sancti Spiritus nutu sanctæ memoriæ Clementem IX. vere optimum, ac sanctissimum Pontificem tibi Ecclesiæ istius fortasse regimen obtulisse? Nescis Christum Dominum Petro dixisse: *Si diligis* Joan. 21. 17.
[illegible] *me* [illegible]
[illegible]

(*a*) Monasterium S. Benedicti in Monte Subasio, tribus circiter milliaribus ab Assisio distans, ab ipso Patriarcha Benedicto, licet alio sub nomine ædificatum diu floruit sanctitate. Ejus meminit Cassianus in collationibus. Præerat eidem Monasterio anno 1210. Theobaldus Abbas, qui D. Francisco dono dedit Ecclesiam de Portiuncula, nunc S. Mariæ Angelorum. Circa annum 1260. introducti ibidem Cistercienses; anno vero 1452. a Nicolao Papa V. commendatum fuit Cardinali Latinio Orsino. Dein sub Sixto IV. Canonicis Regularibus Sancti Georgii in Alga concessum; sed iterum commendatum, ad præsens dirutum est, & pro devotis quibusdam Eremitis vix inservit. De eodem fusius agit Jacobillus in vita Ss. Umbriæ.

(*b*) Ruffini dies festus agitur 12. Augusti: obiit autem anno 240. Victorinus martyrium subiit 13. Junii anni 253. Sabinus autem Spoletanus Episcopus Assisii sanguinem fudit die 30. Decembris anni 301.

(*c*) Indulgentia hæc vulgo dicta S. Mariæ de Portiuncula, seu S. Mariæ Angelorum die 2. Augusti infinito Populorum concursu agitur: de eaque late differit Wadingus in Annal. Minorum, & ceteri Scriptores Ordinis.

me , pasce oves meas , quasi unicum dilectionis suæ testimonium foret onus pastorale suscipere ? Unde ait Gregorius : *Quisquis virtutibus pollens Pastor esse renuit , Pastorem summum convincitur non amare* ; virtutibus igitur præditus accedat ad regimen , & caveat , ne acceptam pecuniam in sudario ligans , de ejus occultatione judicetur . Multis enim intercipit fraudibus Satanas eos , qui scientia , & vitæ utilitate præstantes , prodesse aliis nolunt ; & dum eis regimen animarum imponitur , renuunt , consultius arbitrantes otiosam vitam ducere , quam lucris animarum insistere . Quod tamen decepti agunt per argumenta Diaboli fallentis eos sub specie boni , ne proficiant iis , qui eorum verbis , & exemplis instrui poterant . Væ illi , qui præest , & non prodest ; sed væ gravius illi , qui præesse metuens , & prodesse refugit : magis enim peccat , dum populum Dei veluti in fluctibus periclitantem , cum juvare possit , subterfugit , sui tantummodo habens considerationem , & non , quid in commune expediat , providens ; de quibus S. R. E. Cardinales aiunt : peccato commaculari , & restitutionis obligatione vinciri , nisi impediant ad Episcopatus promoveri eos, quibus ipsorum aliquis dignior fuerit existimatus .

2. Nec est Assisium contemnendum : nam , ut eruditissimi Campani verbis utar , Umbriæ totius quædam arx est , Perusinis imminet, Tuscos , & Picænos attingit , finitimos populos cohibet . Clemens cœlum , Mons electus , editus , undique expeditus , & pulcherrimus ; Colles item aprici , & passim irrigui ; planitiei quoque tanta feracitas , quanta vel in Campania possit optari . Civitas ipsa neque inter maximas , neque inter minimas Italiæ adnumerari potest ; murorum ambitu per tria circiter circumit milliaria , tum sacris , tum profanis ædificiis decorata . Populus non frequens admodum , & multa nobilitate refertus . Diœcesis nec magna , nec parva , nec dissita , nec laboriosa est , non paucis civilibus , & populosis Oppidis exornata . Magnificum Episcopale Palatium , Cathedralis insignis , totaque Urbs , ac Diœcesis sacris Divorum Francisci , Claræ , aliorumque Cœlestium Heroum monumentis ita circumfusa , ut juremerito dici possit Assisiensis ager Terra sancta . Eja igitur , Eminentissime Princeps , repudiatam hanc sponsam tecum non sine lacrymis alloquentem audi . Veniat dilectus meus in hortum suum ; veniat dilectus meus vere candidus , & rubicundus , electus ex millibus , cujus caput aurum sapientiæ optimum . Quis mihi det , te fratrem meum ut deosculer te , & jam me nemo despiciat ? Audio jam vocem dilecti mei , qui venit saliens in Umbriæ montibus , & septem transiliens colles . Audi tu nos , Princeps , sacrarum tuarum vestium fimbrias humillime deosculantes . Ex Monasterio S. Benedicti Montis Subasii Diœcesis Assisiensis . Pridie kalend. Junii 1670.



CLVII.

CLVII.

Reverendis in Christo HUGONI de VERDALA, & LODULPHO de SIRNOLA in Monasterio S. Benedicti Subasii Eremitis.

JOANNES Cardinalis BONA.

Oblatum Assisiensis Ecclesiæ clavum propriæ solo imbecillitatis intuitu recusasse se dicit.

QUod mihi oblatum Asisiensis Ecclesiæ regimen recusaverim, virium mearum dudum cognita imbecillitas, & Episcopalis ministerii sublimitas fecit,. non amor otii, aut proprii commodi, neque humanus aliquis respectus; aut quod Civitatem multis nominibus insignem minus, quam par esset, dilexerim, aut existimaverim. Cumque ego is minime sim, qualem vos me esse benigne arbitramini, judicia Dei veritus sum, ne mihi contingeret a facie iræ, & indignationis ejus clamare, quia elevans allisisti me. Et quidem Cardinalatum invitus accepi, Sanctissimi Pontificis præcepto coactus: at vero ad Episcopatum legitima vocatio non fuit. Gratias interim vobis ago pro bona vestra erga me voluntate, meque vestris orationibus enixe commendo. Romæ 7. Junii 1670.

CLVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Nonnullas, ad eum, in Codicibus MSS. Gregorii Magni repertas difficultates mittens, &, ut eas virorum eruditorum opera solvere dignetur, eumdem rogat.

LIcet Eminentiam vestram, quam D. O M. inter Principes populi sui collocare dignatus est, in sublimibus, & arduis Ecclesiæ rebus occupatam esse non ignorem; tamen cum sciam indolem illius beneficam, non propterea mutatam; neque esse de genere eorum, de quibus dicitur; quod honores mutent mores, nisi certe in meliores, libentius ad eam recurrere audeo, maxime cum apprime noverim eam Gregorium Magnum semper coluisse. Cum ergo in S. Doctoris Operibus exornandis nulli labori parcere statuerim, undique MSS. Codices mihi conquirendi fuerunt, quo illa opera emendare, & in melius reformare possem. Quapropter selectas quasdam difficultates, quæ passim occurrerunt, ad E. V. mitto, quas ut solvere pro sua erga me benignitate dignetur, obnixe deprecor, adhibitis nempe quibusdam peritis viris, qui insignes Urbis Bibliothecas evolvant, in quibus opera ejusmodi MSS. B. Gregorii reperiri poterunt adnotatis variis lectionibus, & differentiis. Hoc eo libentius expecto, quo E. V. postremis suis Epistolis opem mihi suam benigne polliceri dignata est. Si quid autem pro hac editione, quam propediem inchoaturi sumus, necessarium duxerit, ejus consiliis libenter obtemperabo. Parisiis 17. Junii 1670.

CLIX.

C L I X.

D. ROBERTO QUATREMARIO Congregationis S. Mauri Monacho

JOANNES Cardinalis BONA.

Commendato ejus zelo in tuendis Ecclesiæ juribus, suam pro felici negotii exitu operam pollicetur.

GRatissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ testes erga me amoris, & zeli erga Apostolicam Sedem, cujus dum jura tueris, rem facis pietati tuæ, & eruditioni maxime consentaneam. Atque utinam eo spiritu, qui in te viget, reliqui imbuti fuissent, non tam facile passi essent celeberrimæ Ecclesiæ jurisdictionem per tot secula præscriptam sine Romani Pontificis assensu ab Archiepiscopo usurpari. Scripta ad hanc rem pertinentia, quæ tu Illustrissimo Nuntio hic degenti portexisti, ad Sanctissimum transmissa sunt, & ab eo Congregationi ad hanc causam discutiendam specialiter institutæ; nondum videre potui, videbo tamen citius, omnemque operam adhibebo, ut gravissimum hoc negotium feliciter peragatur. Hinc etiam ut serio incumbant, & debitam Summo Pontifici fidem, ac reverentiam invicto animo servent, vestros admonebo. Interim zelum tuum plurimum commendo, tibique a Deo omnia bona precor. Romæ 24. Junii 1670.

C L X.

C H R I S T I A N O L U P O

JOANNES Cardinalis BONA.

Ob gratulationis officium denuo se gratum dicit, & omnem Huberto Fabri operam spondet.

LItteras tuas, quibus collatam mihi Cardinalatus dignitatem gratularis, dudum accepi, tibique statim ac e conclavi egressus sum, pro tua erga me benevolentia, ut par est, gratias egi; sed ex his, quæ mihi ab Huberto Fabri redditæ sunt, priores meas intercepas, vel amissas fuisse intelligo. Rursum igitur ob præstitum a te officium gratias ago; tametsi mihi gratior fuisset commiserationis, quam gratulationis affectus: avulsus enim e claustri tranquillitate, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Quia vero sic fuit placitum Deo, adoranda ejus Providentia est, cujus judicia abyssus multa. Prædicto Huberto omnem operam meam pollicitus sum, & re ipsa præstabo, ut cognoscat quo loco commendatio tua apud me sit. Tibi etiam spondeo, me semper ad officia tua paratum fore. Vale, & ora pro me. Romæ die 24. Junii 1670.



CLXI.

C L X I.

D. PETRO CLARÆ VALLIS (a) Abbati

JOANNES Cardinalis BONA.

Gratiis actis pro humanissimis litteris, dignum se potius miseratione ob tranquillitatis dispendium dicit, quam gratulatione ob suam ad Cardinalatum promotionem.

EX litteris tuis humanitate præcipuis cognovi quantam perceperis lætitiam ob meam ad Cardinalatum promotionem, qua de causa gratulationis officium benigne mihi impendere voluisti. Et tu quidem non sine causa lætaris; tuum enim est, ac totius Ordinis Cisterciensis quidquid in hac summa dignitate refulget, magisque vobis, quam mihi proderit, si quid potero in hoc sublimi gradu constitutus. Verum si me sincero obtutu respexeris, non gratulationem mihi deberi cognosces, sed consolationem, ac commiserationem: nam quocumque me verto, nonnisi curæ; & sollicitudines, animique languores occurrunt; omnemque prorsus quietem, ac tranquillitatem, qua in Monasterio fruebar, ereptam mihi deploro; sed quia Deo, ejusque Vicario Romano Pontifici sic placitum fuit, onus detrectari non potui, ejus auxilium mihi non defuturum confidens, qui potens est suscitare de lapidibus filios Abrahæ. Tua etiam, tuorumque suffragia, quæ enixe postulo, gratiæ mihi a Deo præsidium obtinebunt, ut ei fideliter in hoc munere serviam, interventu Sanctissimi P. N. Bernardi, cujus tu successor existis. Ego interim pro tua benevolentia gratias ingentes ago; paratus rependere, quoties mihi a te opportunitas oblata fuerit. Romæ die 8. Julii 1670.

(a) Clarævallensis Abbatia toto Orbe celeberrima, cui primus præfuit S. Bernardus, fundata fuit ad fluvium Albam in comitatu Campaniæ, & Diœcesi Lingoniensi anno Domini 1115. VII. Kal. Julii, instante, & adjuvante Theobaldo Campaniæ comite: est autem tertia Cistercii Filia, de qua vide Jongelinum in notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis.

C L X I I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

D. STEPHANUS BALUZIUS Tutelensis.

Pro amantissimis ad se datis litteris gratum se dicens, & eum unice ob ejus pietatem, virtutem, & doctrinam diligere affirmat.

INgratus omnino videri possem, Cardinalis Eminentissime, si tibi gratias non referrem, quas possum maximas pro honorificentissimis, & amantissimis litteris a te nuper ad me datis, quas mihi reddidit vir optimus Lucas Dacherius M. B.: tametsi enim probe scirem magnam, ac prope incredibilem esse humanitatem, ac comitatem tuam; tamen & merita in te mea, quæ nulla erant, & ingenii mei tenuitas prohibebant, ne sperare auderem tuam tam comem, ac humanam responsionem ad Epistolam meam gratulatoriam; vicisti igitur expectationem meam, Cardinalis Eminentissime, & simul me tibi pro tuo beneficio summo in perpetuum obligasti; neque putes me tibi adulari, tamquam hominem in excelso dignitatis fastigio positum mellitis ver-

borum lenociniis demereri studeam. Non est meus hic mos: liberrimus animus meus sola gloriæ cupidine, & virtutis amore ducitur. Sis Cardinalis, sis Episcopus; sis etiam, si Deo placet, Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex: si bonus non es, si tibi litterarum studia cordi non sunt, nihil tibi commercii erit cum Baluzio, quamvis ille summas istas dignitates, ut Christianum decet hominem, multum revereatur, & colat. At si vere pietatis tenax es, si litteris deditus, ita ut magis veritatem secteris, quam studia partium; denique si talis es qualem te depingunt, qui te noverunt, tum Baluzius tuus est: certus hoc nomine potes de constanti, & sincera ejus erga te reverentia. Quid Serenissimo Principi Cardinali Bullionio (lubet enim hic agere militem gloriosum) meam observantiam, seu, ut verius dicam, meam conciliavit amicitiam? An quia in familia Principe genitus, & quia fortunæ, quæ vocant bona, mihi in tenui fortuna educato, tribuere potest? Non ita sane; sed quia, cum doctus sit, studia litterarum amat, veritatique semper patrocinatur. Sunt alii plerique Principes, & Magnates in hac Urbe, qui fortasse me ad eos accedentem favorabiliter, atque amice exciperent; sed nulla mihi cum illis societas, quia dissimiles sunt Cardinali Bullionio; tametsi & ipsi sint suis aliunde virtutibus conspicui, ac nobiles. Tu vero, vir doctissime, qui præter summas animi dotes, habes etiam comitatem illam, ut nuper referebat nobilissimus, & clarissimus Abbas de Drubec, quæ eumdem Cardinalem omnibus acceptum, & carum esse facit, securus esse potes venerationem, & observantiam meam nunquam tibi defuturam, & omnibus modis effecturum me, quantum a Cœlo mihi dabitur, ne te pœniteat, quod me in tuam familiaritatem admiseris. Lutetiæ Parisiorum XII. Kal. Julii 1670.

CLXIII.

D. FRANCISCO Abbati Morimundi (a) Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Accessionem honoris ad Cardinalatum compensatam dicens Cœnobiticæ pacis jactura, pro officiosis litteris gratias agit.

Quod meam ad Cardinalatum promotionem læto animo perceperis, satis profecto, te etiam tacente, suaderet Monasticæ Professionis in Ordine Cisterciensi arctissimum vinculum, quo alter alteri devincti sumus: æquum enim videtur, ut si quid jucundum uni Fratrum eveniat, ejus quoque participes reliqui efficiantur. Verumtamen hac eadem de causa consolationem potius, quam gratulationem mihi deberi ipse fateberis, si hanc mutationem, quæ non in me, sed de me facta est, propius perspexeris; nam, ut sincere tecum loquar, veni in altitudinem maris, & quiete, ac pace, qua in Monasterio perfruebar, prorsus amissa, seculi tempestas demersit me. Ideo a te enixe peto, ut qua humanitate me ad hoc fastigium evectum gratulatus es, eadem mihi a Deo petas auxilium, ne forte ab alto culmine cadens

lapsu

(a) Morimundensis Abbatia, quarta Cistercii filia, in Diœcesi Lingoniensi in Bassigneyo Campaniæ Franciæ regione fundata fuit anno Domini 1115. ab Odolrico de Agrimonte, & Adelina ejus Uxore. Centena, amplissimaque sub se habet Cœnobia, & quinque ordines militares, de Alcantara, Calatrava, Montesia, Avisio, & de Christo. Videndus insuper Jongelinus in Notitia Abbatiarum &c.

lapsu graviore elidar. Reverendissimis Coabbatibus tuis, ac tibi gratias ingentes ago, ac plurimam salutem dico, meque semper vestris paratum obsequiis offero. Romæ 15. Augusti 1670.

CLXIV.

Visitatoribus, & Abbatibus Congregationis Benedictinæ Helvetiæ (a)

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro sua ad Purpuram Promotione deperditum dolens Claustri otium; pro officiosis litteris grates reddit.

EX litteris vestris cognovi quantum vos cum universa vestra Congregatione lætitiam perceperitis ob meam ad Cardinalatum promotionem: qua de causa benignum gratulationis officium mihi impendere voluistis; & vos quidem non sine causa gavisi estis: nam quidquid boni in hoc sublimi statu reperitur, vobis magis proderit, quam mihi, si mea opera uti volueritis. Cum enim a pueritia Regulam S. P. Benedicti in Congregatione S. Bernardi professus sim; hæc me vinculo fraternitatis vobiscum connectit. Sed si me ipsum propius agnosceretis, mihi potius commiserationem impendissetis; nam quietem, & otium, quibus in Claustro perfruebar, prorsus amisi, & seculi tempestates obruunt me. Vestras igitur orationes imploro, & interim pro vestra benevolentia gratias ingentes ago, paratus rependere, quoties mihi opportunitas oblata fuerit. Romæ 25. Augusti 1670.

(a) Celeberrima est hæc Congregatio Helveto-Benedictina, plurima continens nobilissima Cœnobia; quorum complures Abbates S. R. I. Principum dignitate decorantur. Ex eadem prodierunt viri pietate, doctrinaque insignes, qui lucubrationibus suis Ecclesiam illustrarunt.

CLXV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Eminentissimi Cardinalis erga se humanitatem, & benevolentiam suspiciens, ejusdem de primo, & secundo Benedictino seculo indicium exquirit.

ACcepi, & deosculatus sum tuas, quas ad me misisti litteras, in quibus vehementer miror tuam animi submissionem, seu verius sublimitatem: Eminentissimæ enim dignitati vitam præfers solitariam, & tranquillissimum in litterarum studiis otium; quod sane paucorum est Purpuratorum, cum non fere quisquam sit, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat laudem, inquit Augustinus. Sed longe miror, quod scribis, in hac status mutatione te in mei dilectione immutabilem fore; etenim *non bene conveniunt, nec in una sede morantur Majestas, & amor*. Utrumque tamen singulariter ob animi constantiam, & firmitatem tibi convenire mente sæpius pertractans, timorem, quem mihi incusserat Eminentissima dignitas tua, effeceratque, ut hactenus ad te scribere ausus non fuissem, prorsus abjeci: unde haud vereor ab Eminentia tua exposcere, quandoquidem tibi grata fuisse primum, & secundum seculum Sanctissimi Ordinis nostri intellexi, ut de labore nostro quid sentias, mihi notum facias. Nimirum quidam ajunt non Ovid. 2. Metamorph.

sine stomacho nos, præsertim D. Joannem Mabillonium, dedecus, & perniciem Ordini intulisse, quod nonnullos e Catalogo Benedictino Sanctos expunxerimus, aliosque uti dubios reliquerimus. At nostrum hac de re institutum cum approbent viri eruditi, & oculati, eo, quo cœpimus pede, pergendum existimamus; maxime vero si tu, Eminentissime Domine, calculum his adjeceris tuum. D. O. M. oro, ut Eminentiam tuam diutissime nobis servet incolumem, cui sum ex animo, & omni reverentia. Parisiis die 29. Augusti 1670.

CLXVI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

De nonnullis ad novam Gregorii Magni editionem pertinentibus edoceri petit.

CUm acceperim E. V. benevolo animo meam postremam Epistolam accepisse, seque curaturam promisisse, ut post æstivos calores aperta Bibliotheca Vaticana petitionibus meis super Gregorium Magnum fieret satis, maximo perfusus sum gaudio; præsertim cum videam impletum esse in E. V., quod scriptum est: *Quanta magnus es, humilia te in omnibus.*; & quanto plus E. V. a Deo accepit, tanto eam liberalius se in alios effundere: propterea eo libentius audeo recurrere, quod sciam eam Gregorium Magnum zelo ardentiori prosequi. Itaque pauper, & mendicus ad januam divitis pulso, ut sua abundantia meam inopiam sublevet: intelligo E. V. cui patet Museum Vaticanum, in quo thesauri PP. & Doctorum fideliter asservantur. Adjiciam ergo ad præcedentes meas petitiones duo, quæ non sunt mediocris momenti. Primum est pro privilegio S. Medardi, quod vellem scire, quo in loco reperiatur apud antiquissimos MSS. Codices Urbis, & quisnam sit illius titulus. Secundum est, num in Bibliotheca Vaticana reperiri possent Epistolæ quorumdam, ad quos scripsit Gregorius, quas certe non esset inutile edere, ut facilius possent ea, de quibus ad eos non scripsit Gregorius, intelligi. Hæc sunt, de quibus E. T. ausim interpellare; & quia nondum typographi incœperunt, id summo cum otio fiat, enixe deprecor. Parisiis die 12. Septembris 1670.

Eccles. 3. 20.

CLXVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CHRISTIANUS LUPUS.

Rogat Eminentiam suam, ut cuidam Monialium Monasterio Præfectum perpetuum submoveri, & Manualem Priorem illi substitui procurare dignetur.

PRæmonstratensis Ordinis pleræque Moniales per Manualem, & alicui Abbati subditum Priorem; quædam vero reguntur per Præpositum perpetuum, & soli Generali Abbati subjectum, qui omnibus Abbatum juribus gaudeat, & Monialium temporalia libere administret. Gravibus ac multis periculis, atque incommodis hoc regimen esse obnoxium novit Emin. V.; novit in Monasteriis nullum officium debere esse magis manuale, quam Monialium Præfectos. Apud nos hic in

Bra-

Brabantia habemus simile nobilium virginum Monasterium olim sanctitate longe nobilius, sed nunc omnis generis laborat inopia, & bonam ejus partem debet aut luxui, aut injuriæ suorum Præpositorum; ipsa domus adhuc est in terra Catholica, verum pleræque possessiones, sicut sub Hæreticis, qui & ipsi suadent, & corrigi instant ac reformari: verum nulla est reformandi spes, nisi auferatur non infima deformationis radix, perpetuus Præpositus transformari hic debet in manualem Priorem, qui alicui vicino per Moniales eligendo, aut per Generalem Abbatem designando, Abbati subsit, eidem debeat rationes, & ad ejus arbitrium possit amoveri: nullum est appositionis periculum; etenim & Præpositura hodie vacat, & facta jam ad Apostolicam Sedem relatione, non est alius eligendus, & Patriæ Proceres, & Moniales, & vicini Abbates, & ipsi Hæretici optant, ac vigent; est res necessaria. Hinc flexis genibus supplico, ut has preces Sanctissimo Domino nostro commendare, & D. Hubertum Fabri in ipsis promovendis adjuvare dignetur similium regularium rerum peritissima Eminentia vestra, quam D. O. M. dudum custodiat. Dabam Lovanii die 2. Octobris 1670.

CLXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

BERNARDUS AUDEBERT.

Pro approbatis Maurinæ Congregationis statutis, suorumque Monachorum lucubrationibus, & pro beneficiis P. Flambart præstitis gratias agens, novum Procuratorem Generalem ejus tutelæ commendat.

Nobis renuntiatum est a nostris, qui in Urbe sunt, quid sentiat E.V. de nostris declarationibus, & constitutionibus; quid de opusculis Fratrum meorum, quæ tandem in manus vestras, serius quam optavimus, pervenerunt: nimirum probari vobis rationes instituti nostri, nec displicere qualescunque nostrorum lucubrationes. Quod ita judicat E. V. citra fucum est, non tamen citra gratiam, quam certe duplicem eo nomine vobis habemus; tum quod iis legendis occupare dignati estis animum publicis Ecclesiæ negotiis addictum, tum quod ita judicium vestrum nobis testatum facitis: quod utrumque benevolentiæ in nos vestræ argumentum agnoscimus. Accedit alia hujus Epistolæ causa; discessurus ex Urbe noster D. Gabriel Flambart, male secum actum putaret, si gratiis E. V. referendis adjutores ipsi non simus. Cum enim continua, quamdiu Romæ demoratus est, vestra beneficia expertus sit, postulat, ut ea toti Congregationi nostræ referantur accepta. Et quidem ea jam in nos suscepimus, ut congruum est, quamquam nescio quid pro iis E. V. referemus, nisi perpetuam memoriam vestri, quod adeo nobis grave non erit, ut id etiam beneficii loco habeamus. Cumulus erit, si amare nos pergatis, & modernum Procuratorem nostrum eodem, quo ejus Prædecessores, favore prosequamini. Precor omnium gratiarum auctorem, ut ipse merces vestra sit; &, qui dedit gratiam, multos post annos vitæ addat & gloriam. Parisiis die 3. Octobris 1670.

CLXIX.

C L X I X.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CLAUDIUS Castellanus Canonicus Parisiensis.

Litem dudum inter Canonicos Capituli Parisiensis exortam ob mutationem in Martyrologio Usuardi pro die 15. Augusti factam exponit, petens quid ea de re sentiat.

PRO acceptis litterls, queis me E. V. dignata est, non ausus sum gratias referre, ut par erat, cum ex hoc nulla se se mihi occasio obtulerit, sed intra conscientiam meam officium qualecumque, & debitam reverentiam continui, ne importunus accederem; jam vero cum lis inter Canonicos nostros exorta sit, non potui, & fortasse non debui diuturnius tenere silentium, quin eam, de quo vertitur, quæstionem E. T. cum omni candore significarem. Jam quippe cunctis in rebus notitiam, maxime vero in Ecclesiasticis tibi comparasti, Eminentissime Cardinalis, ut facile controversiæ hujus, perinde ac ceterarum arbiter, atque adeo Supremus Judex esse possis: esses autem, si D. O. M. votis nostris annueret. Ea lis, non rixandi gratia, sed quadam necessitate orta est; agebatur de quadam homilia oblonga, quæ tota est in B. Virginis resurrectione asserenda, quam nuperus Author initio Codicis Martyrologii Ecclesiæ Parisiensis foliis quibusdam assutis furtim inseruerat, & loco verborum Usuardi, quæ ab octingentis plus minus annis habentur ibidem, legendam dederat. Capitulum Parisiense Decanum, cum quatuor aliis Canonicis, quorum minimus eram, ad Archiepiscopum delegavit, ut ista cum eo discuterentur. Re ponderata, & a die 18. Julli ad primam Augusti anni 1668. diligentissime excussa, ex parte Archiepiscopi, simulque ex parte Capituli, uno tantum dissentiente conclusum est, verba antiqua retinenda esse; cum nulla occurreret ratio, cur potius hoc seculo, quam octo Superioribus retroactis seculis hæc verba expungerentur. Sequentibus comitiis, quæ incidebant in diem 3. Augusti, cum conclusio hæc ex more legeretur, tres supervenientes Canonici Capituli decreto intercesserunt. Hac occasione antiquior ex Delegatis Canonicis, ut conclusionem Capituli vindicaret, dissertatiunculam scripsit, quam juris publici facere ne quidem cogitabat. Interim Romam profectus sum, nihilque per annum integrum super hoc negotio audivi. Reversus reperi libellum in lucem editum, & quidem quorumdam Authoris amicorum opera, & consilio; sed impudentius forsan, nec cum sufficienti cautela, ut mihi videbatur. Liber ille tamen acceptus fuit omnibus viris eruditis, ac piis, nec quisquam per decem menses conquestus est. Tandem duo ex his tribus, qui intercesserunt, ceteris semper refragantibus prorupere adversus Jolium (id nomen illi antiquiori Canonico est), & quas potuerunt machinas admoverunt, ut ejus libellum concuterent. Sed res secus accidit, namque omnes eo magis in sua sententia confirmati sunt, quo duorum illorum, alioquin mihi amicissimorum, opinionem nullo stabili fundamento suffultam deprehenderunt. Hunc libellum ad E. T. mittere in animo fuit, ut quid de hac re sentiendum sit, non graveris mihi innuere. Litteras autem, quas super id argumenti ad Eminentissimos Cardinales Retzium, atque Bullionium idem Jolius scripsit; easque, quas in sui defensionem ad Regem Christianissimum parat, ad

E.

E. T. mittam, quam primum editæ fuerint. Quidquid sit, non dubitabo judicio tuo acquiescere, simul ut mihi affulserit; & quantum potero, assensum sustinebo, donec sententiam tuam compererо. Ignoscat mihi E. T. si a negotiis, quibus Sanctissime occupatur, tantisper abstrabitur. Precor Deum, ut lumen, quod a te requiro, majori veritatis lumine compenset. Lutetiæ Parisiorum v. nonas Octobris 1670.

CLXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Pro solutione difficultatum gratum se dicens, scrupulum sibi tolli petit circa vocem Catacumbæ (a).

QUia non tam cito apertam fore Bibliothecam Vaticanam speraveram, novas quasdam E. V. difficultates miseram enucleandas, ut unus idemque labor pro omnibus insumeretur; verum expectationem meam antevenit E. T. cum priorum mearum quæstionum solutionem inopinatui mihi mittere dignata est. Qui certe labor, etsi promptus, tamen exactissimus est, mihique perquam utilis futurus. Unicus super his mihi restat scrupulus, videlicet, quo in libro scripserit Latinus Latinius vocem *Catacumba* significare locum concavum, & profundum. Evolvi enim ejusdem Latini Epistolas, nec illud in his reperi. Vellem scire, ubinam id legerit, vel unde hauserit Dominicus Macrius; adde, quod in nullo Lexico Orbico inveniatur hujusmodi vox *Catacumba*. Ceterum de prioribus ad me missis quantas possum E. V. gratias refero, interim dum in meis reliquis quæstionibus enodandis adlaborari curabit, quantum tamen per otium licuerit. De notis Latinii in Gregorium jamdiu monitus sum, easque propediem a R. P. Possino expecto. Parisiis 10. Octobris 1670.

(a) Hanc vocem *Catacumbæ*, post Macros Fratres, novis, & eruditis animadversionibus illustrarunt Carolus Du Fresne in suo Glossario mediæ, & infimæ latinitatis, eodem verbo; & Marcus Antonius Boldettus in suis observationibus ad Cœmeteria Sanctorum Martyrum lib. 11. cap. 19. pag. 584. Videndus quoque Hofmannus in Lexico, & in ejus continuatione; de voce *Catacumbæ* legendæ item doctissimæ notæ ad novissimam editionem Operum S. Gregorii a Patribus Congregationis S. Mauri adornatam pag. 710. Tom. 2. In prælaudatis autem observationibus reperitur fragmentum Cardinalis Bona ad Goussonvillæum datæ die 9. Novembris anni 1670. quod hic affero, cum in MSS. Cardinalis Bona non reperiatur: *Omnino legendum Catacumbas; sic enim legunt plerique, & antiquiores Codices MSS. Vaticani. De vocis autem origine nihil occurrit mihi præter ea, quæ notat Baronius in martyrologio ad diem 4. & 10. Januarii. Accipitur ubique pro locis subterraneis, in quibus Martyrum corpora sepelire solebant. Dominicus Macrus in postrema editione anni 1668. sui Vocabularii Ecclesiastici, verbo* Cœmeterium *citat Latinum Latinium asserentem hanc vocem a Græca* Catacumbe *deduci, quæ significat locum concavum, & profundum.*

CLXXI.

PETRO DE GOUSSAINVILLE

JOANNES Cardinalis BONA.

Quæsitis per superiorem Epistolam sub num. CLXIV. *positam breviter facit satis.*

NIhil mihi jucundius potest accidere, quam cum sacris eruditorum studiis quocumque modo prodesse possum: & ideo benignitati tuæ me

me multum debere profiteor, quoties opera mea uteris pro nova, quam moliris, Gregorii Magni editione. Et quidem prioribus litteris tuis dudum respondi. Nunc vero quod attinet ad privilegium S. Medardi retulit mihi unus ex scriptoribus Bibliothecæ Vaticanæ, cui hoc negotium commisi, vir probus, & eruditus, se diligenter evolvisse omnia exemplaria MSS. registri ipsius Gregorii, quæ ibi asservantur, & in nullo eorum, etiam ex recentioribus prædictum privilegium reperiri. Extant autem in his MSS. lib. II. indict. VI. tria privilegia pro Monasterio, & Xenodochio S. Mariæ, & pro Ecclesia S. Martini Augustoduni ædificatis, quæ incipiunt: *Quando Catholicorum Regum corda &c.* sicut & assertum S. Medardi, ut nosti. Tuum erit accurate hæc omnia perpendere: ego interim Deum exoro, ut tibi vires tanto labori pares largiatur. Romæ 14. Octobris 1670.

CLXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

GABRIEL GERBERON M. B. in Congregatione S. Mauri.

Marium mercatorem ex Vaticano Codice Cardinalis Opera transcriptum accipiens, eidem pro hoc munere gratias refert.

VEstræ beneficentiæ munus effusum, sinceræque in nos dilectionis certum pignus, ignotus licet accepi: Marii Mercatoris opera dico, quæ eo, quo scientias extollis, studio, & eo, quo chartis impallescis, labore ex minutioribus Codicis Vaticani apicibus exscribi curavit. Ipsa observantissimæ fidei E. V. commisit Summi Pontificis suprema auctoritas; eaque ad Exemplaris veritatem exacta vestra contulit sollicitudo; ut dum Vaticanis obstricta fides Mercatorem arculis restituit, merces illius opimas nostris ultro studiis impenderet. Has ut ego E. V. liberalitatis opes gratus utcunque refundam, amplissimas E. V. grates rependo; id unum præstare sufficiens, qui debito se tibi mancipata obsequio, id spondet, faustosque æternum precatur dies. Lutetiæ Parisiorum in S. Germani Pratensis Asceterio die 17. Octobris 1670.

CLXXIII.

Reverendissimo P. D. JOANNI Ordinis Cist. Abbati Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus electionem in Abbatem Generalem gratulans, causas subdit, cur suo stemmati Gentilitio Cistercii insignia addiderit.

UT cum dolore duorum Antecessorum tuorum decessum audivi, ita ingenti gaudio perfusus sum, quod tu unanimi Fratrum consensu illis suffectus sis. Spero enim fore, ut Ordo noster sub tuo felici regimine ad pristinam vivendi formam, quam Sanctissimi PP. nostri instituerunt, redigatur; & sicut semper optavi, tranquilla pace fruatur. Ego tametsi in Congregatione a vobis exempta ab adolescentia usque ad senectam vixerim, semper tamen Cistercium (*a*) dilexi, cujus idcirco stem-

(*a*) Cistercium Archi-Cœnobium, & Ordinis totius Caput in Diœcesi Cabilonensi, ab Odone Burgundiæ Duce, sub Sanctissimo P. Roberto, fundatum fuit anno 1098. 12. Kal. Aprilis in ipso Festo die Sanctissimi Patriarchæ Benedicti, in Ducatu Burgundiæ, ut habetur in tabella appensa in eodem Monasterio, ubi hæc le-

stemmata meis gentilitiis addidi, exemplum aliorum secutus (*b*), qui ex hoc Ordine ad Purpuram evocati sunt. Ceterum enixe a te postulo, ut qua humanitate hanc dignitatem sola summi Pontificis clementia mihi collatam gratularis, eadem preces pro me ad Deum effundas, ut imposito oneri par esse possim. Interim pro tua benevolentia gratias ingentes ago, paratus respondere, quoties a te occasio oblata fuerit. Romæ 21. Octobris 1670.

leguntur: „ Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo initium sumpsit hoc Cœnobium, quod dicitur Cistercium, & erat ipsa die luna Paschalis. 12. Kal. Aprilis, Indictio v. Epacta 15. concurrens 4. „ Vide Jongelinum in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis.

(*b*) Cardinales XLVI. ex dicto Ordine assumptos enumerat citatus Jongelinus in sua *D. Bernardi Purpura*, quibus adde Joannem Bona, & Joannem Mariam Gabriellium ex nostra Congregatione S. Bernardi, & D. Joachim Bezutium ejusdem Ordinis ex Congregatione Lombardiæ creatum a Benedicto XIV. die 9. Septembris 1743. Inter hos autem sexdecim inveniuntur, qui domestico stemmati Ordinis insignia addidere, ut Jongelinum legenti patebit.

CLXXIV.

D. BERNARDO AUDEBERT Congr. S. Mauri Superiori Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Maurinæ Congregationis statuta, ejusque Monachorum opera doctrina, pietateque præcipua mirifice extollit.

ELucet in Constitutionibus vestris, & in aliis statutis ad regimen, & disciplinam spectantibus spiritus ille discretionis, & charitatis, quo Sanctissimus P. Benedictus imbutus fuit; ac perinde summo gaudio perfusus sum, cum ea perlegi: Deum exoravi, ut ipsum spiritum in vobis conservet, & augeat. Quod si quidpiam offendi, quod aliqua observatione dignum videretur, candide, & sincere admonui, idque etiam scripto tradidi D. Flambart. Gaudeo etiam, & congratulor, quod nihil hactenus e vestra Congregatione prodierit, quod grave, pium, & religiosum non sit, solidaque doctrina, & eruditione refertum. Hoc nomine præ ceteris Monastici instituti Professoribus vos diligo, quia & moribus, & sapientia omnibus anteitis. Nulla igitur mihi gratiarum actio debetur, si vestras lucubrationes laudo, si institutum commendo, si fratres vestros Romæ degentes, ea qua par est charitate complector: hæc enim omnia justæ vicissitudinis officia sunt. Quæ ut frequentius exhibere valeam, oro vos, ut frequentius mihi occasiones exhibeatis. Romæ 4. Novembris 1670.

CLXXV.

D. ALBERICO Abbati Novæ-Cellæ (*a*) Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Abbatis zelum pro disciplinæ Monasticæ restauratione commendat, nonnullas pro Italorum Monachorum in quædam Germaniæ Cœnobia introductione, difficultates adducens.

LAudo propositum tuum, & zelum, quo charismata meliora æmulatus, primævum Ordinis nostri Cisterciensis spiritum exci-

S tare,

(*a*) Præfati Monasterii Novæ-Cellæ in Diœcesi Misnensi in Lusatia fundati ann. 1288. ab Henrico Marchione Misniæ, & Lusatiæ, meminit citatus Jongelinus in Notitia Abbatiarum Cisterciensium, Paulus Langius in Chronico Cizitensis Ecclesiæ, & Menologium Cisterciense ad IV. Idus Septembris.

tare , & disciplinam Monasticam in Germania reparare desideras ; atque utinam hoc tam facile promoveri posset , quam pie , & ferventer a te conceptum fuit . Sed rem intimius consideranti multæ se ingerunt difficultates : nam primo reperiendum est Monasterium vacans , cujus Monachi unanimiter expectent reformationem . Deinde consensus S. C. M. pro Italorum in illud introductione habendus est . Et quandoquidem Congregatio nostra ab Abbate Cistercii , aliisque primis Abbatibus exempta est , vigetque in Gallia alia Reformatio nostræ non impar (*a*) , & ipsis Abbatibus pleno jure subjecta ; obstabit proculdubio Procurator Generalis Ordinis , & iidem primi Abbates ferre non poterunt , quod Germaniæ Monasterium ab ipsorum jurisdictione subtrahatur . Accedit linguæ diversitas , quæ hanc expeditionem Italis difficilem reddit ; nodi isti prius solvendi sunt : tum ego , quantum potero , apud Apostolicam Sedem negotium urgere non desinam ; nec patiar , ut irrita sit fiducia , quam in me habuisti . Me interim enixe commendo sanctis tuis Orationibus . Romæ 8. Novembris 1670.

(*a*) Loquitur de reformatione jam pridem introducta in Monasterio S. Mariæ de Trappa , de qua vide Epistolam LXIV. & Authores ibi citatos .

CLXXVI.

D. CLAUDIO CASTELLANO Canonico Parisiensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Mentem suam circa libellum , litem , & quæstionem , de quibus in Epistola CLXX. *agitur , breviter exponit .*

UBeres gratias humanitati tuæ ago , quod nuper exortæ hic controversiæ de B. V. Assumptione , seu de verbis Usuardi , cujus ad nos dudum rumor delatus fuerat , & me certiorem feceris , & scriptum hac occasione a Concanonico tuo libellum ad me miseris . Avide illum perlegi , nam afficit , & delectat multiplex Authoris eruditio , rerumque Ecclesiasticarum non vulgaris notitia . Verum , ni fallor , multum tribuit Usuardo , quem ut defendat , perpetuæ , & unanimi omnium Ecclesiarum sententiæ de corporali Assumptione Deiparæ adversari videtur , cujus omnia fundamenta evertere conatur . Nec Baronio , viro tantæ dignitatis , ipsisque Ecclesiasticis officiis parcit , quædam de illis scribens , quæ simplicioribus Catholicis offendiculo erunt , sectariis vero non displicebunt . Dormitio , pausatio , requies , depositio voces sunt , quibus B. Virginem obiisse nonnulli antiqui Scriptores significarunt : & ejus Resurrectionem , & Assumptionem non excludunt . Hæc autem negari absque temeritate non potest ; & ego puto in his summopere cavendum esse , ne prætextu asserendæ antiquitatis , ipsamet antiquitas convellatur . Litem hanc componere meum non est : sed quandoquidem sententiam meam pro veteri nostra amicitia exquiris , sincere dico : me neutri parti accedere ; & si meo arbitratu lis decidenda foret , imposito litigantibus silentio præciperem , ut Usuardi verba , & Authoris incogniti Homilia e vestro Martyrologio expungerentur , ipsumque festum verbis Romani Martyrologii ubique , & ab omnibus receptis exprimeretur . Plura scriberem , sed non sinunt occupationes plurimæ , quæ me his diebus opprimunt . Vale , mei memor in tuis precibus . Romæ 11. Novembris 1670.

CLXXVII.

CLXXVII.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Methodum ab eo servatam in edendis seculis Benedictinis ratam habet, eumque certiorem reddit Romæ cudi opus de Scriptoribus Hispanis.

Litteræ tuæ die 29. Augusti scriptæ hesterna die mihi redditæ sunt, quæ causa fuit, ut serius illis respondeam. In his autem a me postulas, quid de methodo sentiam a vobis servata in seculis Benedictinis: cui petitioni ut satisfaciam, libere, ut soleo, & candide profiteor me nihil in hoc Opere reperisse, quod displiceat. Laudo generaliter propositum vestrum, laudo judicium: specialiter vero mihi summopere placuit, quod primigenium Scriptorum stylum servastis: quod ordinem temporum secuti estis, ex quo rerum a Monachis gestarum series, & perpetua Sanctorum in Ordine successio ostenditur, quod notis plerumque brevissimis, sed succi plenis loca obscura elucidatis; quod sincere, & ingenue eos Sanctos dumtaxat Ordini asseritis, quos certum est, & indubitatum Regulam Monasticam professos fuisse; reliquos nec prorsus rejicitis, nec veluti vestros vindicatis, sed a primis diverso charactere distinguere voluistis; qua in re consilium vestrum approbo, & commendo. Non enim indiget illustrissimus Ordo, & Sanctorum feracissimus aliunde emendicatis suffragiis, ut super alios emineat. Hoc nomine Trithemius a multis reprehenditur, quod ad Ordinem Benedictinum traxerit obtorto collo, ut Plauti verbo utar, quoscunque invenit viros illustres, qui Monasticam vitam egisse leguntur, sine examine, & delectu, & fœdis quandoque anachronismis. Præfatio Operis optima est, in cujus §. VI. satis caute locuti estis de Ordinis Propagatione in Hispania: at ne forte gentem illam offendere vereamini, hoc vobis suggerendum censui, nec ipsis quidem peritioribus Hispanis probari Flavii Dextri, Juliani Maximi, & aliorum supposititia scripta, de quibus quandoque mecum Viri docti ex ea natione conquesti sunt, qui etiam ex recentioribus sublestæ fidei accusant Jepez, & Joannem Tamayum. Cuditur nunc Romæ de Scriptoribus Hispanis opus eruditum, cujus Author est vir & natalibus, & eruditione insignis, Nicolaus Antonius Regis Hispaniarum negotiorum gestor, qui pretiosum a vili prudenter in hoc genere secernit. D. Joanni Mabillonio studiorum tuorum adjutori plurimam salutem dico, meque vestris orationibus commendo. Romæ 16. Novembris 1670.

CLXXVIII.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE

JOANNES Cardinalis BONA.

Scrupulo de voce Catacumbæ *satisfacit, agitque de Latini Latinii Lucubrationibus.*

Video ex litteris tuis superesse tibi scrupulum de hac voce *Catacumbæ*; qua de re allocutus sum Dominicum Macrum, apud quem sunt omnes lucubrationes Latini Latinii, quas sperat se brevi

editurum. Inter cæteras sunt quædam notæ MSS. in Martyrologium Romanum, in quibus Latinius ea scribit de *Catacumbis*, quæ in suum vocabularium transtulit Macrus (a). Obiit nuper in Urbe vir multæ eruditionis Benedictus Millinus, qui in Epistolas S. Gregorii indicem texuit accuratissimum; ut audio: si ipsum desideras, curabo transcribi, & ad te mittam hac conditione, ut in editione tua Anthorem laudes. Vale, mei memor in tuis orationibus. Romæ 18. Novembris 1670.

(a) Hujus Epistolæ fragmentum, nempe usque ad *Obiit* exclusive, refertur in notis ad novissimam S. Gregorii Operum editionem PP. Congregationis S. Mauri pag. 710. Tom. 2. immediate post ea, quæ relata sunt ad calcem Epistolæ clxxi.

CLXXIX.

D. GABRIELI GERBERON Monacho S. Benedicti

JOANNES Cardinalis BONA.

Marium Mercatorem ex Vaticano Codice transcriptum, ejus animadversionibus illustratum prodire desiderat.

DEcet viros litterarum amatores, ut omnium eruditorum conatus mutuis officiis adjuvent, quæ cura erga illos impensior esse debet, quibus arctiori vinculo adstricti sunt. Cum igitur ego & vestram Congregationem summopere diligam, & vestras lucubrationes plurimi æstimem, nihil gratius mihi contingere potuit, quam vestris studiis aliquid mei laboris conferre. Libenter itaque curavi ex Codice Vaticano Marii Mercatoris Opuscula transcribi, cujus merces Reipublicæ litterariæ, ut spero, inutiles non erunt, si præsertim prodierint tuis animadversionibus illustratæ. Hoc a te expecto, meque tuis orationibus enixe commendo ad officia semper paratus. Romæ 18. Novembris 1670.

CLXXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Pro sublato scrupulo de voce Catacumbæ *grates rependit.*

QUantum E. V. benignitati debeam, si mihi centum essent linguæ, oraque centum, satis explicare non possem, nec ei grates condignas rependere. Gregorius Magnus, pro cujus amore laborat E. V., ipse pro me satisfaciat. Malo itaque silere, quam E. V. negotiorum mole oppressam inutiliter occupare; silentio tamen comprimere non possum me non satis mirari bonitatem E. V. quæ, ne vel minimum mihi scrupulum in animo hærere passa sit, cum explicari mihi vocem illam *Catacumbæ* * curaverit. Certe scopum attigit vir eruditus Dominicus Macrus, & jam in quamplurimis MSS. repereram ita scriptam; sed rationes D. Macri me omnino convincunt. Unde viro docto maximam habeo gratiam; sed non minorem ipsi est habitura Respublica litteraria, si observationes posthumas doctissimi viri Latini

* Nota hanc vocem *Catacumbæ* post Macros Fratres novis, & eruditis animadversionibus illustrarunt Carolus Dufresne in suo Glossario med. & inf. latin. eodem verbo, & Marcus Antonius Boldettus collega meus in suis observationibus ad Cœmeteria Ss. Mart. lib. 11. cap. 19. pag. 584.

tini Latinii in lucem edat, ad quod perficiendum non dubito, quin E. V. adhortetur. Quod attinet ad indicem Epistolarum Gregorii Magni a Benedicto Millino elaboratum, jam ab aliquo tempore vir doctus Urbis illum Dacherio nostro se missurum pollicitus est, quem & in dies expectamus. Unde immensas E. V. gratias ago, quæ nullam ornandæ editionis nostræ occasionem elabi sinat; & ad multos annos incolumitatem precor. Parisiis 29. Novembris 1670.

CLXXXI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLON.

Anniversaria Promotionis recurrente die fausta adprecans, suarum, Dacheriique lucubrationum statum exponit.

1. ADmonet me Promotionis mæ anniversarius dies, ut novum aliquid demissi animi testimonium exhibeam E.T. Hæ mihi kalendæ sunt: hinc anni initium mihi, quod jamdudum Ecclesiæ ritus consecravit. Mihi proinde religio fuit expectare Kaleudas Januarias, ut scribere auderem E T. cum sacratioris anni recursus ad id invitaret. Hæc sit arca votorum meorum, quibus te, salutemque tuam, & incolumitatem sæpissime Deo commendo.

2. Quod nostram qualemcunque operam in Acta SS. nostrorum impensam laudasti non semel, bene mihi vertit. Repressit voces insurgentium in me pondus auctoritatis tuæ. Nec casu factum existimo, ut non prius pervenerint in manus tuas duo Tomi nostri, quam querelæ in me excitarentur, quasi judicium a te deprecaturi vice mei: nec prius sententiam diceres, quam esses Cardinalis, idest primariæ Inquisitionis Judex. Quamquam habet judicium tuum plus benignitatis, quam censuræ; nec dubito, quin aliquid respersum sit præjudicio etiam nunc amantis. Quidquid sit, gratias habeo immortales tum clementiæ, tum affectui in me tuo.

3. Audeamne adjicere aliquid de lucubratiunculis nostris? Minuta sunt hæc apud tantum; sed tamen (quæ tua humanitas est) opinor non ingrata. Dacherii nostri Tomus X. ad finem jam properat. In eo primum locum obtinet Zachæi, & Apollonii Dialogus, eximium antiquitatis monumentum. Seculum nostrum tertium incboaverunt Typographi ante duos abhinc menses; æstate sequente, Deo dante, absolvent. In eo edere paro Ademnani Scoti lib. 3. de locis Sanctis, quos libros necdum vulgatos in Gallia reperi nuper in MS. Codice Corbejensi. Lacunas aliquot Apographi supplere conabor ope exemplaris Bibliothecæ Vaticanæ, si modo copia fiat Procuratori nostro Generali amico meo, quem hac de re interpellavi. Hic finis, futurus in perpetuum E. T. studiosissimus, & observantissimus cultor. Parisiis 3. Kal. Decembris 1670.

CLXXXII.

CLXXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

BERNARDUS AUDEBERT.

Destinatum asserens Monachum, qui Theologiam positivam ex Scriptura, Conciliis, Patribus, præsertim Benedictinis, componat, monita hac de re sibi ab eodem Cardinali suggeri expostulat.

1. PErspecta in nos benignitas vestra exigit, ut debeam, & audeam identidem scribere E. V. Nunc res postulat, ut gratias agam pro postremis vestris litteris benevolentia plenis, & novo recurrente anno E. V. offeram novum observantiæ meæ specimen, totiusque nostræ Congregationis.

2. Certe honorificum illud testimonium, quod de Fratrum meorum lucubratiunculis reddidit E. V. excitat nos, ut audeamus aliquid amplius, quod, nisi mea me fallit conjectura, cedet in decus Ordinis, & Ecclesiæ utilitatem, si modo aspiret Deus. Nimirum uni ex nostris id opus assignavimus, ut Theologiam Benedictinam, eamque positivam, ut vocant, primum ex Scriptura sacra, ex Conciliorum fontibus, dein ex Patrum nostrorum placitis, ac sententiis componat: & ne forte jejuna, aut manca sit, eam aliorum PP. monumentis confirmet, illustretque. Suscepit hanc in se Provinciam eruditus, & emeritus Theologiæ Professor, integræ valetudinis, & ætatis. Id si perficiet, discent posteri, quam SS. PP. vestigiis addicti sint Benedictini nostri, quamque Sacræ antiquitatis retinentissimi. Quia vero operosa hæc res Eruditorum virorum consiliis maxime indiget, E. V. enixe rogamus, ut sua hac de re monita suggerere dignetur P. Procuratori nostro, quem etiam istius Operis subsidiarium cum aliis constituemus. Libertatem hanc meam probabit, ut spero, E. V., cui nostros, nostramque Congregationem iterum commendo. Parisiis XIV. Kal. Januarii 1670.

CLXXXIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CLAUDIUS JOLIUS Canonicus Parisiensis.

Controversiam de Usuardi verbis, de qua in Epist. CLXIX., & CLXXVI. circa B. Mariæ Virginis Assumptionem exponit, & Patrum auctoritates sibi faventes adducit.

1. QUod ad Eminentiam tuam liberius homo incognitus scribere ausim, non tam fecit Claudii Castellani Canonici consilium, quam comitatis illius singularis fama, qua quidquid ad litteras spectat, cupidis amplecteris ulnis, haud absimilis magno illi quondam Cardinali Bessarioni, litteratorum omnium Patrono, atque Mœcenati, quem tres Summi Pontifices sibi successorem, si fas esset, adoptare percuperent. Deinde tanta tibi rerum omnium, ac præcipue sacrarum, cognitio est, ut non dubitem, quin illa de Usuardo controversia, quæ primum Ecclesiæ nostræ Parisiensis particularis fuit, nunc autem ex libris Jacobi Gaudini, & Nicolai Ladvocati, qui Usuardum, meque ipsius vindicem multis injuriis contra fraternam charitatem affecerunt, publica causa facta est, E. T. examinanda, ac ponderanda tradatur. Quapropter

ta-

tametsi libellis meis, quos communicandos E. T. curaram, ea jam satis edoceri potuerit; quorum prior est: *Dissertatio de verbis Usuardi*; alter: *Epistola Apologetica ad Eminentissimos Cardinales Retzium, atque Bullionium*, tunc Romæ degentes pro Usuardo, viro de Ecclesia benemerito, quemque defendere non erubescam, & pro conclusione Capituli Parisiensis 1. Augusti 1668. cui unus ex Delegatis operam meam præstiti: nihilominus rem totam breviter, & cursim, ac summa tantum fastigia sequens iterum tibi ob oculos mittam, quo uno intuitu rationes meas, præoccupari nescius, videas, atque dijudices.

2. Ac primum velim E. T. persuasum esse, me non absque aliqua necessitate scripsisse, ne nimirum Martyrologium vetus Ecclesiæ nostræ aliquid detrimenti caperet. Deinde pro certo te habere precor, Conclusionem illam, quidquid contra Gaudinus falso effutierit, bona fide, ac solito more factam esse præsente nostro Decano viro integerrimo, docto, sapienti, necnon ubique agente tam in Capitulo, quam coram Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi. Omnes fere Canonici magno numero congregati unanimi ore consenserunt, Traditionem antiquissimam reverentes, quam ab octingentis annis Usuardus Fastis Ecclesiasticis consignarat, quamque infringere sibi non licere arbitrati sunt. Nullus est profecto in Capitulo Parisiensi, qui non maxime Sanctissimam Dei Genitricem veneretur, nec honores illi debitos magis ac magis augeri velit, quam minui; sed nullus est quoque, qui non noscat eam tot veris honorum titulis cumulatam esse, ut falsis decorari non gaudeat: & proinde Ecclesiam regi non devotione, sed traditione: devotio aliquando fallit, traditio nunquam.

3. Ut ideo Adversarii telum hocce Traditionis insuperabile eluderent, Traditionem quoque quamdam suo modo confixerunt, quo consensum quemdam fulcire nituntur. Gaudinus cap. 3. pag. 33. & 34. *quo cum certitudine omni humana naturali majore*: cap. 2. pag. 26. Sancta Virgo corporaliter evecta creditur. Ego vero consensum quoque facile admitto, sed cum quo corporalis hæc evectio *pie creditur*, quem solum Ecclesiam comprobare dico: *certitudinem* autem illam *omni humana naturali majorem* novum dogma esse contendo, quod nomine tantum tenus ab articulo fidei discrepat, & quod Resurrectionem B. Virginis cum Resurrectione Christi confundit, & aliquatenus æquiparat; inter quos maximum discrimen esse æquum est, ut omnes norunt docti, indoctique.

4. Authorum autem illorum, quos hi duo Duces *certitudinis* ad eam asserendam adducunt, duplex est caterva: Prima eorum, qui de assumpta corporaliter Virgine conscripserunt; altera eorum, qui ex convenientiarum rationibus eam assumptam pie crediderunt. Primos audaciter ego rejicio: quandoquidem jam pridem anno 494. a Gelasio I. Papa in Concilio Romano LXX. Patrum damnati sunt cum libro apocrypho, qui dicitur *Transitus*, idest, *Assumptio B. Mariæ*, falso Melitoni Episcopo Sardensi adscriptus, a quo illi omnia desumpserunt: & quem etiam censura ista, quam Gaudinus parum prudenter publicam fecit, aperte tuetur contra Gelasium pronuncians. Alios vero, qui pie crediderunt, mearum partium esse dico: quia credulitatem piam ex convenientiis in meis libellis semper asserui; sola *certitudine* exclusa, cum pluribus sanctis Authoribus, veluti infra videbitur.

5. Duo tantum sunt, aut tres, iique recentiores, qui Gaudini *certitudini* aliquo pacto favere videntur, inter quos fateor esse Eminentissimum Baronium, sed solum in annalibus anno 48. num. XXIV.; nam in

in notis ad Martyrologium Romanum *propenſionem* tantummodo ponit,quam ego quoque ex convenientiarum rationibus facile ampleƈtor. At Panigarola Epiſcopus Aſtenſis, qui Baronii Annales Italice in compendium contraxit, eum ibi limites exceſſiſſe cernens, *pie* tantum *credi* pronuntiavit.

6. Baronius autem ſuam *firmam*, *conſtantemque aſſertionem*, *ac propenſionem* induxit potiſſimum ex Officii divini compoſitione. Verum non animadvertit, quod jam antea Petrus Bleſenſis idem adſtruere conatus, congeſtis omnibus, quæ ad id in Officio Eccleſiaſtico magis favere videbantur; nec omiſſis hiſce verbis veteris colleƈtæ: *Quæ nec mortis nexibus deprimi potuit*, ſe tamen id adſtruere declarat ſerm. 28. de Aſſumptione in editione Buſæi, *opinando*, *non adſtruendo*. At revera ſi Officium Eccleſiaſticum iſtud quaſi *firmum*, *conſtans*, *atque certum de certitudine omni humana naturali majore* docere voluiſſet, id ipſum clariſſime ubique expreſſiſſet; nec alia admiſiſſet præter Uſuardum, quæ *inſcitiam*, ideoque *dubium* cum illo invehunt, veluti ſunt ſermones Hieronymianus, & Auguſtinianus infra nominati.

7. Baronius quidem contra hunc ſermonem Hieronymianum æque invehitur, ac contra Uſuardum, & Adonem: ſed non advertit, quod non ſolum in magno pretio olim habitus eſt, ſed etiam magnam divini Officii partem in Breviario quoque Romano conſtituit, in quo non tantum verſus, & antiphonæ, ſed etiam leƈtiones ex illo deſumptæ ad finem uſque noviſſimi ſeculi perdurarunt; ſed etiam nunc in pluribus Eccleſiis durant.

8. Denique non animadvertit Eminentiſſimus Baronius, quod Uſuardi Martyrologium, non ſolum in Eccleſiis Franciæ, atque Germaniæ, ſed etiam in Romana olim leƈtitabatur ad primam, itaut non ſolum ſit Martyrologium Francicum, ſed etiam Romanum vetus. Martyrologium autem eſt procul dubio quoddam totius Officii direƈtorium: ex quibus omnibus pro comperto haberi debet Traditionem Adverſariorum pro *certitudine* nulla non ex parte labeſcere. Jam operæ pretium eſt veram, atque legitimam Eccleſiæ traditionem inveſtigare, ac comprehendere, qua priſca, ac conſtans Eccleſiæ *inſcitia* probabitur; *piæque credulitatis* cum illa concluſio; tum *certitudinis* noviter inveƈtæ fiet expulſio. Nomina tantum Authorum brevitati ſtudens exponam, cum notulis eorum ſententias quaſi digito indicantibus.

9. Apoſtolica tempora, fatentibus omnibus, nihil declarant, ne Joannes quidem in Evangelio cap. 19. verſ. 27., quod conſtat poſt Virginis obitum ſcripſiſſe (*a*).

10.

„ Pro hac quæſtione videndus Natalis Alexander Hiſtor. Eccl. Tom. III. ſecul. 2. cap. 4. art. 3. §. unic. & in reſponſ. qui cum & ipſe in eadem fuerit ſententia, plures quoque alias auƈtoritates in medium profert ad probandam Aſſumptionem corpoream B. Mariæ ad fidei articulum non pertinere; licet in dubium id minime revocandum eſſe aperte fateatur, ſententiamque de redivivo Deiparæ corpore in Cœlum Aſſumptæ omnino ampleƈtendam, & tenendam aſtruit.

(*a*) Hinc eruditus iſte Canonicus in ſua peculiari Diſſertatione de verbis Uſuardi pag. 68. *Quis autem*, inquit, *crediderit*, *quod Lucas tam inſigne miraculum Aſſumptionis ejus corporeæ ſilentio præteriiſſet*, *ſi ſibi cognitum fuiſſet*? *Quis autem ipſi notum fuiſſe negaverit*, *ſi cæteris Apoſtolis innotuiſſet*? Verum ex hujuſmodi Lucæ ſilentio non ſatis id argui pluribus luculenter oſtendit Pater Honoratus a S. Maria in ſuo egregio opere de regulis, & uſu Critices Tom. 1. Diſſert. 7. art. 7. Et ſane ſi explodere, aut ſuſpicione attingere oporteret, quod in novo Teſtamento non inciderit in mentionem, profeƈto plura Religionis myſteria concuterentur, nihilque certo ſciremus eorum, quæ de Chriſto Domino, Beatiſſima Virgine ejus Matre, & Apoſtolis tradunt Sanƈti Patres, præter id, quod Evangelium, Aƈta, & Epiſtolæ Canonicæ comprehenderent; quod quam a Catholico ſenſu alienum ſe prodat, ſacræ ipſæ traditiones ab Eccleſia probatæ ſatis ſuperque nos docent.

10. Anno 397. S. Ambroſius lib. 2. in cap. 2. Lucæ ſcribit, hiſtoriam non docere Mariam ex hac vita corporalis necis paſſione migraſſe. Quibus verbis inſcitiam ſuam ſatis oſtendit.

11. Anno 403. S. Epiphanius inſcitiam Eccleſiæ de morte B. Virginis, ideóque de iis, quæ ad eam pertinebant apertius, teſtatur, ſcribens hæreſi 78. num. 2. το τελος αυτης ουδεις εγνω.

12. Anno 431. Concilium Epheſinum contra Neſtorium. -- Ibi nihil de aſſumpto Corpore Virginis Θεοτοκου prolatum eſt; quo maxime Neſtorius confutari poterat.

13. S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus: Nihil quoque protulit ea de re in eodem Concilio inrer laudes illas eximias, atque innumeras, quibus Deiparam extulit: quo loco iſta inter alias præcipua omitti non debebant.

14. Juvenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus: Hic nihil in iſto Concilio, cui poſt Cyrillum ſecundus præſidebat, de traditione illa protulit, quam S. Joannes Damaſcenus de aſſumpto corpore Virginis ex Euthymiana hiſtoria refert.

15. Gelaſius I. Papa: Librum de *tranſitu*, ideſt, de *Aſſumptione B. Mariæ* (ſic illius exprimitur titulus) Tom. 3. Conciliorum, & in Decreto diſtinctione xv. cap. 3. in annotatione, abſque exceptione proſcripſit. Ita & Beda in Retractat. ad actor. 8. num. 13. atque Ivo Carnotenſis in Decreto Parte IV. cap. 152. Liber expurgatorius Inquiſitionis Hiſpanicæ hunc deleri ſtatuit a cap. 8. uſque ad finem. Aſſumptio autem corporea refertur cap. 17.

16. Author incognitus Epiſtolam ad Paulam, & Euſtochium de Aſſumptione apud Hieronymum, manifeſte ſequitur Gelaſium Papam, de libro Apocrypho ſupradicto loquens; & in omnibus fere Breviariis, atque in Romano uſitabatur adhuc ſeculo noviſſimo, ut dixi.

17 Anno 636. S. Iſidorus Hiſpalenſis: Loquitur cap. 68 de vita, & morte Sanctorum fere apud Latinos, quemadmodum S. Epiphanius apud Græcos.

18. Anno 667. S. Ildephonſus Epiſcopus Toletanus: *Pium*, ait, *pia credulitas* aſſeritur, & *certitudo* excluditur, ſerm. 6. de Aſſumptione eſſe credere, ſed prohibet *affirmare*; ideoque *certitudinem* Gaudinianam excludit.

19. Anno 735. Venerabilis Bedæ: *Inſcitiam* non ſolum ex Arnulpho Epiſcopo Viro docto, & fideli teſtatur, ac docet cap. 6. de locis Sanctis; ſed etiam in libro caſtigatiſſimo Retractationis in Actus Apoſtolorum, eos, qui ſpreta Gelaſii cenſura, libro Pſeudo-Melitonis acquieſcebant, ut nunc fit a Gaudino, & Ladvocato, conſulto reprehendit his verbis cap. 8. Retractationis: *Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato volumini contra auctoritatem B. Lucæ incauta temeritate aſſenſum præbere*.

20. Incognitus, ſed excellens Author apud Hilcuinum (*lege* Alcuinum) circa tempora Caroli Magni in Homiliario ſolemnitatem Aſſumptionis B. Mariæ Virginis mirifice, & eleganter extollit: *ſive in corpore, ſive extra corpus*, quod nos neſcire, Deum ſcire profert, *ea aſcenderit*. Verba infra referimus.

21. Tempore Caroli Magni, vel Calvi, Uſuardus Monachus S. Germani Pratenſis apud Pariſios: *Inſcitiam* quidem apud Eccleſiam reperit, ſed eam primus tabulis Eccleſiaſticis inſcripſit; idque conſulto ad exemplum Bedæ, cum videret plures falſo Melitoni *aſſenſum* præbere.

Quod ne diutius serperet, *inscitiam* hanc pristinam Ecclesiarum Martyrologio, quod condebat, consignare voluit. Id ipsius verba *frivolum, & apocryphum* manifeste indicant. Neque enim credi potest alia de causa tot verba eum hic inseruisse, qui alioquin paucis dicere solebat; ita ut si quid *auctum, vel mutatum esset*, quemadmodum ipse loquitur in Prologo, *sagaci ab eo indagine*, id perquisitum cognosci possit. Itaque Usuardus non ex se se ibi locutus est; sed tantummodo testem se præbuit traditionis antiquæ, quam non in solo sermone Hieronymiano deprehenderat, sed & in aliis Authoribus supra adductis, atque in ipsa Ecclesia. Errare igitur non potuit, quia sententiam suam non expressit, de quo tamen illum accusat Emin. Baronius, quasi male sentientem; sed testimonium modo rei dedit. Itaque si argui debet, de mendacio debet argui, quasi testimonium falsum protulerit. Quis autem id credat de tanti nominis viro, quem Carolus Imperator, ac Francorum Rex inter alios elegerat, ut Martyrologium Ecclesiarum suarum usui conderet, quo nulla historia veritatem magis poscere videbatur?

22. Anno 874. Ado Archiepiscopus Viennensis: Idem quod Usuardus: Quis autem credat eum quoque mentitum fuisse, qui etiam inter Sanctos in Martyrologio Romano nuncupatur 16. Decembris? Dicent fortasse neutrum Ecclesiæ sui temporis statum, ac fidem nosse. Quasi vero Ado splendidissimus inter Galliæ Præsules, & Antistites, & scriptor historicus hæc ignoraverit: ne quid dicam de Usuardo; sed id de utroque sentire ridiculum est.

23. Anno 970. Notkerus Abbas S. Galli apud Helvetios-Gregorio Turonensi, qui sua e ficto Melitone deprompsit, primum adhærere videtur. Mox autem omnibus perpensis *inscitiam Ecclesiæ* amplectitur, cujus Deuter. 19. 15. Matth. 18. 16. post Usuardum, & Adonem testis est tertius Martyrologus. *In duobus autem, vel tribus testibus*, ex decreto utriusque legis, *stat omne verbum*.

24. Anno 1018. S. Fulbertus Episcopus Carnotensis, vel quis alius: Si Fulbertus est Author sermonis Augustiniani (inter Augustini Opera Tom. x.) de Assumptione, Virginem dicit super Angelos *sive in corpore, sive extra corpus* exaltatam. Quidquid sit, sermo iste maximo in usu fuit apud multas Ecclesias in Officio divino, & adhuc in nonnullis legitur.

25. Anno 1115. Ivo Episcopus Carnotensis: In Decreto Par. iv. cap. 152. Epistolam, sive sermonem Hieronymianum, qui supra Canonicum fecit; Apocryphum vero Pseudo-Melitonis librum pronunciat, absque ulla exceptione, nisi *mortis B. Mariæ*.

26. Anno 1124. Guibertus Abbas Novingentanus: Pudicitiam Ecclesiæ eam esse dicit, lib. 1. de pignoribus Sanctorum cap. 3. ut *etiam Matris Dominicæ corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat*. Non prohiberi tamen *id latenter sentire, sed asserere*. En *pia credulitas* cum *inscitia* conjuncta, ac *certitudo* palam interdicta.

27. Anno 1160. Arnoldus Abbas Bonæ-Vallis: S. Bernardi fuit Discipulus, & familiaris, cujus vitam ex parte scripsit; dubitat vero (vide Tom. xxii. Bibliothecæ PP. pag. 1283.) an B. Virgo *in corpore*, vel *sine corpore exaltata sit*.

28. Anno 1162. Joannes Belethus Theologus Parisiensis juxta Miræum-Profecto *incertum est*, ait cap. 144. de divinis Officiis, *pie tamen credendum*; sic *incertitudini* opponitur *pia credulitas*, & *certitudo* Gaudini excluditur, qui ideo eum flocci pendet contra E. T. quæ accuratam divinorum Officiorum Belethi explicationem laudat in notitia Authorum lib. de divina Psalmodia.

29.

29. Anno 1166. Aelredus Abbas Rie-Vallis apud Anglos: Quosdam, non omnes, credidisse tradit Tom v. Bibliothecæ PP. Cisterciensium pag. 206.

30. Anno 1187. Petrus Abbas Cellensis, postea Episcopus Carnotensis: *Quod vero*, (in serm. 1. de Assumptione) *etsi pie credatur, ignoratur, utrum corpore scilicet assumpta sit, causa venerationis festum* (lege *factum*) *credendum est*. His ille verbis *inscitiam*, *piamque credulitatem* aperte conjunxit; quam tamen Gaudinus audacter cum aliis, sed nullis eorum verbis adductis, ut solet, suam *certitudinem* asserere profert cap. 6. art. 3. pag. 258.

31. Absalon Abbas Sprinkirbacensis circa annum 1200. ex notitia Authorum Card. Bona in lib. de Psalmodia: Cum corpore exaltatam dicit; sed si *erravit*, *errorem*, ait, *esse gratissimum*, *qui fonti pietatis*, *Matri Misericordiæ incumbit excusandus*. Numquid si *error*, quamvis gratissimus, melius piæ *credulitati*, quam *certitudini* Gaudinianæ convenit?

32. Anno 1200. Petrus Blesensis: Beatam Virginem ex officio Ecclesiastico corporaliter evectam probare nititur serm. 28. de Assumptione in editione Busæi: *opinando tamen, non asserendo*.

33. Anno 1296. Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis: *Melius*, ait lib. 7. cap. 24. *esse dubitare, quam temere aliquid definire, pie tamen credendum esse*. Id concordat cum Beletho, quem Magistrum vocat Durandus lib 7. cap. 8. num. 4. & cap. 35. num. 44.

34. Anno 1330. Ludolphus Saxo Carthusianus: *Vera*, inquit Par. 2. Vitæ Christi cap. 86. *& indubitata de ejus assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundum Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumptam tamen, & exaltatam super choros Angelorum credamus*.

35. Anno 1454. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis: *Cum autem de Virgine dicitur resurgente* (in cap. 22. Matthæi quæst. 230.) *dicendum, quod non est necesse hoc tenere, quia non est de articulis fidei, neque etiam est aliquid deffinitum per Ecclesiam, ut teneri debeat; ideo licet cuilibet, sicut voluerit, opinari. Rationes autem, quæ ad probandam illius resurrectionem sumuntur, sunt suasiones quædam, & non convincunt. Et tamen quia communiter tenetur, quod resurrexerit, rationabilius est hoc tenere. Si quis autem contrarium asserat, non contendimus*. Quot verba contra *certitudinem* Gaudini, *omni humana naturali majorem*, merum fidei articulum novorum verborum larva coopertum.

36. Anno 1569. Dominicus Sotus: *De Sacratissima Virgine* (in 4. sententiarum distinct. 43. quæst. 1. art. 1. Tom. II. pag. 409. editionis Methymn.) *si resurrexerit, non est dubium, quin in vitam æternam resurrexit, qua in Cœlis cum Filio suo fruitur . . . . Jam vero temporum curriculo opinio hæc, aut credulitas . . . . plurimum inolevit; nondum tamen inter fidei articulos creditu necessarios relata est*. Necessarium tamen id jam creditu Gaudinus asserit: ad quid enim libellum de *certitudine* conscripsit? *Quamvis sit pientissime credendum*; id ego jam centies dixi: unde Adversarii rem alio maligne detorquent dicentes, Ladvocatus pag. 465. 466. ex auctoritate quorumdam Scholasticorum, veluti Cani lib. 12. de locis Theologicis cap. 2. Cajetani in Opusculo de Conceptione: Suaresii in 4. sententiarum in distinct. 43. quæst. 2. art. 1. si non hæreticum, certe temerarium, atque erroneum esse negare Virginem corpore assumptam, quasi id negarim. Itaque monstra sibi fingunt, quæ debellent; atque in aëra verberant, cum amplius aliquid dixerim, quam Canus, Cajetanus, & Suaresius, qui id negare scripserint pag. 14. esse *prodigiosæ impietatis, & extremæ dementiæ*. At inquit Gaudinus cap. 2. pag. 21. cum ex Luca, tum ex aliis Authoribus: *Id unum moliris, ut quæ corpore assumptam Virginem probant momenta, explodas*. Nullum momentum explodo,

quo corpore assumptam fuisse pie creditur, sed quo probari id dicit de *certitudine*, nec ullos Authores affero, qui aliter sentiant; nam nec ipse Usuardus, nec Ado quidquam contra protulerunt, cum *inscitia* non sit *negatio*. Deinde nullos Authores adduxi, nisi probatissimos, quibuscum omnes Ecclesiæ Romana, Francica, Germanica concordarunt; nam nihil ex me protuli. At iterum reponit Gaudinus ibidem: *si non verbis, saltem mente negat*. Mihi videre videor lupum illum injustum, atque atrocem, qui fictis oculis, & causis agnum innocentem fauce improba laceravit. Nam quid iniquius, quid audacius, quid protervius, quam de mente hominum contra ipsorum verba perperam, falso, ac contumeliose judicare? Parum memores sunt Gaudinus, & Ladvocatus moniti Dominici: *Nolite judicare, ut non judicemini*. Mihi multo æquius est de vestra mente, Gaudine, atque Ladvocate, judicare, quam verba vestra manifeste indicant. Quis enim non videat vos vestra certitudine *omni humana naturali majore* novum fidei articulum statuisse, quo resurrectionem Virginis cum resurrectione Christi adæquatis, quo conscientias illaqueatis; compellentes eas sub pœna erroris, qui non potest esse absque peccato lethali, rem credere, quam Ecclesia pietati Fidelium hactenus tantum commendavit; quo denique hæreticos a Fide Catholica avertitis, novos fidei articulos statui cernentes, quibus non acquiescant? Vestro vos ex ore judico. Sed quid exspatior? Hoc Eminentia tua juste conquerenti condonabit.

37. Anno 1650. Henricus Holdus Theologus Parisiensis Assumptum corpus Virginis inter traditiones historicas collocat lib. 1. Analysis divinæ Fidei cap. 9. lect. 2. pag. 172. editionis autem 1655. *sed debiliori certitudine traditas*, quæ *certitudini Gaudinianæ* non convenit. Quid si autem tot Authoribus adjungam eos, qui *piam credulitatem* sequuntur, quos meos esse dixi, non Gaudini, de cujus *certitudine* ne quidem somniarunt? Sane liber ejus male stipatus ambulabit per compita, in quibus ex alienis pennis inani superbia tumens scandalose gloriatur sub specioso titulo ad commovendos ignaros, & simplices maligne excogitato; sed procul dubio expungendo, cum revera *Assumptio Mariæ Virginis* vindicari non debeat, quam nec Usuardus, nec Ado, nec Iolius unquam oppugnarunt.

38. Quid si his etiam lectiones addam veteris Breviarii S. Dominici, quibus triumphus Assumptæ Virginis mirificis laudibus attollitur? Nec tamen *Assumptionem ejus in carne, ut in Apocrypha legitur*? De Pseudo-Melitone intelligit) *in Catholica historia reperiri docet. Nec dignum esse de corporis ejus notitia sollicitum quempiam esse, quam non dubitat supra Angelos elevatam cum Christo regnare*. Hæc verba sibi propria fecit Ordo Dominicanorum ex sermone Augustiniano, qui aliquibus S. Fulberti esse nuncupatur, ut supra.

39. Nec tamen tot Sanctos, eruditosque Scriptores tanti in eo, de quo nunc agitur, ego facerem, nisi juxta Ecclesiam eos locutos fuisse cernerem. Homines enim sunt, quorum quisque in suo sensu abundavit. Eos autem eo libentius audio, atque sequor, quod innumeras Ecclesias, quæ Usuardum ab initio susceperunt, ac per multa secula coluerunt, cum illis concordare video. Prolixius esset, atque impossibile singulas inquirere: neque hic illas etiam referam, quas in Epistola mea ad Eminentissimos Cardinales Retzium, atque Bullionium numero fere quinquaginta collegi.

40. Eas ibi E. T. percurrere non gravabitur: sed quota pars omnium? Primam, ut meretur, Romanam expressi, qua ceteris olim adstipulante, quis hodie post tanti temporis præscriptionem Ecclesiis Francicis

cicis suum Martyrologium eripere, aut labefactare præsumat? Martyrologium quidem Usuardi vetus est, Martyrologium Romanum usu, & approbatione, sed origine totum est peculiare Francicum, ab Authore quippe insigni Franco confectum, jussu Imperatoris, ac Regis Franciæ ordinatum, ab eo omnibus Ecclesiis Franciæ dono datum, a pluribus Franciæ Scriptoribus; qui juxta Usuardum, ut E. T. jam innotescit, locuti sunt, collaudatum; ab Episcopis, a Capitulis, ab Abbatibus Franciæ comprobatum. Quis dicere ausit, præter Gaudinum, & Ladvocatum, opus adeo regium, totumque Francicum, denique tot titulis insignitum, post octo secula, ut duobus hominibus novitatis periculosæ sectatoribus fiat satis, evertendum esse?

41. Istis de causis haud pauci sunt, qui mirantur Gaudinum Regi Christianissimo suum librum inscripsisse; eumque fortunæ aulicæ adeo avidum fuisse, ut Monarcham oculatissimum adierit, quemque multis nominibus se se obstrictum esse credere non dubitandum est, ut Caroli Imperatoris, ac Regis Franciæ Decessoris sui nomen semper augustum esse velit, ut pietatem avitam, quam idem Carolus suo tempore, ac S. Ludovicus postea in sacra Cappella Palatii Parisiensis quotannis xv. Augusti comprobarunt, non immutet; ut tot illustrium Francorum, ipsorumque Usuardi, atque Adonis; tum universarum sui Regni Basilicarum famam ab omni erroris improperio intactam esse procuret; denique, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ in hisce rebus omnibus asserendas eoquitori suo in amplissimo Senatu commendet. Hæc omnia in mentem eorum venere, qui jura Regia Franciæ norunt, ac Regi omnium Monarcharum fortissimo, ac vigilantissimo cordi esse sciunt.

42. Nec desunt etiam Præsules, qui tantam antiquitatem in Ecclesiis suis *debilitari haud* facile patientur. Senonensis certe antiquus primas Galliarum, atque Germaniæ immutationem hujusmodi haud libenter feret. Jam vero Rotomagensis Metropolis suum Usuardum cum verbis, quæ Gaudino, & Ladvocato non arrident, hoc præsenti anno nova editione publicum fecit. Alios esse audio, qui in eo conservando, vel restituendo operam impendere volunt. Nec tamen eorum ullus est, qui minus ideo honorifice de Assumpta Virgine se sentire credit, quam Author ille antiquus, & excellens in Alcuini Homiliario, qui circa tempora Caroli Magni triumphum Assumptionis hisce præconiis nullibi non repetendis excellenter evexit: *Ascendit, & exaltata est: sive in corpore, sive extra corpus, nescimus, Deus scit. Usquequo exaltata est? Usque ad Cælos? Etiam certe super omnes Cælos, & super omnes Cælos Cælorum: etiam certe super omnes Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris; ut Fæmina fragilis, vermiculus educatus in limo turbulento hujus seculi tam puras, tam præclaras, tam excellentes creaturas tam excellenter supergredi meruerit*.

43. Faxit Deus, ut cum Cellensi *pie credentes quod nunc* ignoramus, tandem aliquando in Cœlis plene, & cum certitudine agnoscamus. Atque interea Dei secreta penetrare non audentes, qui nobis ea notiora esse noluit, nimis altum sapere timeamus.

44. Sic hanc, quæ adeo exaltata est, quocunque modo sit, enixe precor, ut E. T. plurimos adhuc annos Reipublicæ Christianæ, ac litterariæ bono ab Altissimo obtineat, mihi gratiam excellentissimas illius virtutes jugiter colere, atque imitari; sublimitatem vero mirari, atque reverenter ubique suspicere. Lutetiæ Parisiorum postridie Nativitatis D. N. J. C. 1670. CLXXXIV.

CLXXXIV.

D. JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro litterarum officio gratum se dicit; sub prælo esse gaudens Tomum x. *Spicilegii*, *& seculum* III. *Benedictinum*, *suam operam spondet ad quoscumque Codices ex Vaticana transcribendos*.

RENovas dolorem meum, dum Promotionis meæ anniversarium diem litteris tuis commemoras; nam & procul absum a merito tantæ dignitatis, & a laudibus, quas in me magnifice effundis. Sed hoc amantis proprium est, nimio amore falli, & quidquid in amico videtur esse, humanitate potius, quam judicio metiri. Quare conscius infirmitatis meæ, præconia tua soli tuæ benignitati adscribo. Tom. x. Spicilegii, & seculum iii. sub prælo esse summopere gaudeo; precorque Deum, ut vires tibi, & D. Lucæ Dacherio nostro tanto labori pares largiatur. Ego interim omnem operam meam vobis dudum pollicitus sum, & Procuratori vestro Generali libenter adero, ut libros Ademnani Scoti, & alios quoscumque, si optaverit, in Biblioth. Vaticana evolvere, & exscribere possit. Reverendissimo P. Generali salutem plurimam dices, atque meo nomine gratias ages, quod Romam miserit D. Antonium D'Urbanum virum doctum, modestum, Religiosissimum, summique judicii in rebus agendis, ac plane secundum cor meum, quem certe plurimum diligo. Vos etiam me amate, & orate pro me. Romæ 30. Decembris 1670.

CLXXXV.

D. GILBERTO Episcopo Tornacensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Translationem ad Tornacensem Ecclesiam propriis dotibus, non operæ a se impensæ adscribendum dicit.

NUlla est causa, cur mireris, si in negotio translationis tuæ ad Ecclesiam Tornacensem & operam meam libentissime impendi, & rebus tuis aliquid fortasse contuli. Nam & justa videbatur mihi postulatio tua, & dudum te noveram, non quidem ex facie, cum nunquam te viderim; sed meliore tui parte, animo scilicet, sublimiori litteratura, ac virtutibus Præsule dignis mirabiliter exculto, quarum fama dudum ad me delata fuerat, teque mihi, ac bonis omnibus commendabilem reddiderat. Quare nec laudes, quas in me magnifice effundis, nec ulla gratiarum actio mihi debetur. Si quid tui gratia operatus sum, quod certe nunquam credidi ad tui notitiam perventurum, hoc debeo P. Asselino (*a*), qui suis litteris, & officiis mutuam inter nos amicitiam conciliavit. Si quid autem deinceps pro te, & Ecclesia tua in Urbe potero, oro ne mihi parcas; sum enim, & ero in perpetuum. Romæ 6. Januarii 1671.

CLXXXVI.

(*a*) Is erat Procurator Generalis Canonicorum Regularium Gallorum in Curia Romana.

CLXXXVI.

Adm. R. P. D. ROBERTO QUATREMARIO Monacho Benedictino in Monasterio S. Germani.

JOANNES Cardinalis BONA.

Excusat se, quod pluribus ejus litteris acceptis non responderit; nec tamen factis destiterit suum negotium promovere quoad privilegia & exemptiones Monasterii S. Germani a Pratis. Illum denique consolatus hortatur ut zelum forte nimium sua prudentia contineat.

PLures a te litteras accepi zelo Apostolico refertas pro exemptione Monasterii S. Germani, quibus licet hactenus non responderim, factis tamen omne officium tibi exhibui, quod a me expectare par erat; sæpius enim de te cum Emin. D. Cardinali Alterio sermonem habui, etsi Parisios revocatus es, si consolatorias ab eo Epistolas accepisti; si Illustrissimo Nuntio isthic degenti mandatum est, ut te protegeret, hæc omnia me sollicitante, & procurante peracta sunt. Insuper pro te serio egi cum vestro Procuratore Generali, nec quidquam eorum omisi, quæ utilia tibi fore existimavi. Nec etiam desinam ea omnia sedulo, ac sincere præstare, quæ a me postulas in postrema tua Epistola die 16. Januarii exarata. Quo autem successu, Deus scit: nam negotii expeditio cuidam Congregationi ad hoc specialiter deputatæ demandata est, cui ego non intersum; & quandoquidem Dei nutu disponuntur omnia, ejusque providentiæ rationes omnem humanum captum excedunt, æquum est profundissima ejus judicia venerari, quæ sæpius occulta sunt, sed semper justa, quamvis eos prævalere permittat, quos causam minus justam fovere arbitramur. Atque ideo amice suggero tibi, ut solerter advertas, ne forte zelus tuus nimius sit; postquam enim nihil a te prætermissum est, quod tibi necessarium pro tuitione tui monasterii videbatur, postquam delata res est ad Apostolicam Sedem, quiescere tandem oportet, & ferventi oratione negotii exitum Deo commendare, cujus dispositione regitur Ecclesia, quam nonnumquam affligi permittit, ita exigentibus peccatis nostris; & ego quidem vehementius, quam credere, & concipere possis, doleo, & lugeo Apostolicæ Sedis jura violari conspiciens, & res Monachorum ad eum statum redactas esse quem tu describis; sed quia succrescentibus malis remedium afferre nequeo, divinorum judiciorum abyssum imperscrutabilem humiliter adoro, & præstolor cum silentio salutare Dei. Omitto plura, nam vir prudens es, & ex his disces, quid tibi deinceps agendum sit; Deus te lumine suo imbuat, & cuncta tibi prospera largiatur. Romæ die 9. Januarii 1671.

CLXXXVII.

D. BERNARDO AUDEBERT Congregationis S. Mauri Superiori Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Quid præstandum, quidve præcavendum in Theologia Benedictina componenda, atque illustranda admonet.

1. LItteras tuas sincero cordis affectu exosculatus sum, & Deo bonorum omnium largitori gratias egi, quod in cor tuum sanctam

ctam, & laudabilem cogitationem immiserit, præcipiendi alicui ex vestra Congregatione, ut Theologiam ex placitis veterum Patrum Ordinis nostri componat, eorumque sententias scripturæ sacræ, Conciliorum, aliorumque PP. testimoniis, & authoritate confirmet. Opus sane eximium, & præstantissimum, quod plurimum Monastico Ordini ornamenti, & toti Ecclesiæ utilitatis allaturum est. Quod vero me rogas, ut monita tibi suggerere velim, quibus juvari possint conatus vestri, id supra vires meas est, justeque me possem excusare illi communi adagio: *in sylvam ne ligna feras*; sed malo imprudentiæ, aut audaciæ accusari, quam meo erga te officio deesse.

2. Hoc autem primo loco præcavendum mihi videtur, ne quis tantum opus aggrediatur animo præjudiciis occupato; aut novis quorumdam opinionibus imbuto: is enim nihil præclarum ageret, neque sensum genuinum veterum PP. ab eorum scriptis hauriret, sed suum potius illis inferret. Veritas quærenda est, atque investiganda non in cœnosis Neotericorum lacubus, sed in purissimis sanctorum fontibus, ex quibus nuda, sincera, & purissima emerget; & se solo ipsius amore, non studio partium quærenti apparebit.

3. Optarem secundo loco, ut Author futurus istius Operis præfigat sibi SS. Augustini, & Thomæ inconcussa dogmata, quibus proculdubio consonare videbit omnium Patrum nostrorum lucubrationes. Anselmus, & Bernardus ambo Benedictini, & pars maxima Doctorum Ecclesiæ nusquam discedent a systemate Augustini. Quid Gregorius Magnus, primum, & præcipuum decus Ordinis? Nonne sequitur ubique Augustinum? His ducibus nemo errabit; ludunt in re maxime seria recentiores, & fucum incautis obtrudunt, qui ad sua dogmata stabilienda trahere conantur Augustinum. Non est tibi ignotum, quis Auctorem faciat Augustinum Prædestinationis ex prævisis meritis, ut hoc exemplo utar, quo nihil magis alienum ab ejus sensu, ac doctrina. Plura scribet tibi D. Antonius Urbanus, cui meam sententiam fusius explicavi; oro autem, ut opera mea plenissima utaris libertate: quidquid enim pertinet ad vestram Congregationem, meum est. Vale; & ora pro me. Romæ die 20. Januarii 1671.

CLXXXVIII.

D. CLAUDIO JOLIO Canonico Parisiensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Libellum ejus, & Epistolam super Usuardi verborum controversia, de quibus in Epistolis CLXIX. CLXXVI. CLXXXIII. *laudans, Parisienses Canonicos amoris vinculo invicem colligatos, Romanæque Ecclesiæ seguaces cupit.*

1. NE mihi ignotus esses, fecit Concanonicus tuus D. Claudius Castellanus, cui hoc nomine multum debeo; nam misit ad me eruditissimum libellum tuum de verbis Usuardi, & tuam mihi amicitiam conciliavit. Dudum audieram excitatam inter vos controversiam, librumque tuum summa cum delectatione perlegi: cui nunc addidisti elegantissimam Epistolam multa eruditione refertam. Evincis proculdubio veterum scriptorum, quorum testimonia congeris, authoritate verba Usuardi olim usu omnium fere Ecclesiarum approbata fuisse; Beatæque Virginis Resurrectionem, & Assumptionem ad fidem non perti-

nere:

nere : & hoc sane nemo negabit ; nullo enim loco deffinitum reperitur , silentibus hac de re sacris Litteris. Traditione autem , si quæ extat , non semper , & ubique recepta (*a*) . Quid scripserint adversus te duo Canonici Gaudinus , & Ladvocatus , non legi ; licet sciam libros ejus ad Urbem pervenisse . Quid vero ipse sentiam , jampridem scripsi D. Castellano (*b*) . Nam licet meum non sit motam componere litem : vellem tamen ejusdem Ecclesiæ Canonicos unius moris , & oris esse ; cum vix servari possit charitas , & pax inter hujusmodi controversias. Ecclesia Romana utitur verbo *Assumptionis* , quam si Parisiensis sequatur , profecto non errabit. Debetur antiquitati reverentia ; sed tu nosti , quam multa sint hodie a priscis moribus aliena, quæ sine maxima perturbatione , & temeritate in usum revocari non possent. Satius igitur foret Romanam sequi Ecclesiam ; & Caroli Magni, cujus tu suffragio sæpe uteris, pietatem sectari , qui Ecclesiæ Gallicanæ, antiquis ritibus abrogatis, Romanos introduxit (*c*) , *ut non dispar esset Ordo psallendi , quibus compar erat ardor credendi : nec sejungeret Officiorum varia celebratio , quos conjunxerat unicæ fidei pia devotio* . Verba sunt Religiosissimi Regis ad Summum Pontificem Hadrianum.

2. Ceterum quod scribis, me libenter amplecti quidquid ad litteras spectat , verissimum est : omnes enim litterarum amantes summopere diligo : inter quos cum tu maxime eniteas, semper te singulari benevolentia prosequar , omnemque operam meam tibi polliceor . Romæ 27. Januarii 1671.

(*a*) Et quidem Petrus Blesensis a Iolio citatus serm. 28. satis indicat non docere fidem Virginis Deiparæ Corpus Cœlesti gloria perfusum, eoque translatum haud tamen esse dubitandum. Virginis Assumptio per illud *pie creditur* , *opinando* , *non asserendo* denotatur , quippe neque fidei firmitate , neque demonstrationis claritate munita ; *est animadvertendum* (inquit Maldonatus in Disputatione de Virginis Mariæ Conceptione adversus Theologos Parisienses) *etiam Ecclesiam habere opiniones suas , nec enim quidquid sentit , sentit tamquam fide Catholica* . Hinc si Ecclesiæ fides exigit animi demissionem , non secus opiniones ejus circumspectionem & reverentiam fidelibus imponunt. Qua de re doctissime Thomasinus de Festis lib. 2. cap. 20. *Nihil sane* , inquit , *ita civilem hominum societatem , & commercium exterminaret , quam non acquiescere veritati constitutæ ejus authoritati , qui falli non possit , aut demonstrationibus apertis munitæ . Ferme nunquam capitur , qui opinionibus Ecclesiæ fidem adhibet , simulque novit eas maxime probabiles esse , & quamvis non demonstratione perspectas , errori tamen minime obnoxias* : sic ut antiquitati debeatur reverentia , ut optime Eminentissimus Author , Ecclesiæ traditio , & consensus hac in parte authoritatibus particularium , & conjecturis quibuscumque præferri debere dignum , & justum est.

(*b*) Vide Epistolam positam sub numero CLXXVI.

(*c*) Videndus etiam Stephanus Baluzius in libro de Emendatione Gratiani pag. 565. & Pagius Junior in Breviario gestorum Pontificum Tom. 1. editionis Lucæ in fol. 1729. pag. 387. in Nicolao num. XLII.

CLXXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

DANIEL. PAPEBROCHIUS.

Manuductionem ad Cœlum Hollandica Lingua Roterodami recusam spondet , & lucubrationem de Constantini , & Helenæ nummis mittens ; de Aprili proxime edendo certiorem faciens , faustumque recurrentem precatur annum .

RUrsum vestra ad Cœlum Manuductio interpretem apud Hollandos invenit F. U. H. qui etiam Capitula singulis rythmis ejusdem

dem argumenti ornavit; suamque versionem hoc anno curavit Roterodami in. 12. excudi: unde proxime exemplar petam, ipsumque captata occasione Romam dirigam, si ita placere intellexero. Interim hoc significandum putavi, maxime cum ad litterarum officium beneficentissimo Patrono exhibendum invitarent novi anni initia, qui ut prosperrimo fluat decursu mecum optant P. Godefridus Henschenius in septuagenaria ætate æque ac unquam ad studia valens, ac vegetus, & P. Joannes Ravenstenius in spem absolvendi operis nobis additus tertius. Addo lucubratiunculam curiosam Romanis oculis non indignam, utpote de Romano Imperatore ex nummis Romanis acceptam. Ego hic eam typis admovi rogatus ab Auctore amico, & rerum antiquarum peritissimo; cujus quia moles exigua, eam Epistolæ jungendam putavi. Aprilis noster cum æstatis initio incipiet etiam ipse procudi, neque tandiu ac Martius hærebit sub prælo, quia maxima ex parte ad illud paratus. Restat ut vitam, valetudinem, & necessariam copiosæ distractioni quietem rerum publicarum largiatur Deus, ad quæ omnia divinitus impetranda benedictionem vestram deposco post humile sacræ purpuræ osculum. Antuerpiæ die 30. Januarii 1671.

CXC.

DANIELI PAPEBROCHIO S. J. Presb.

JOANNES Cardinalis BONA.

Lucubrationem de Constantini, & Helenæ Nummis laudat, & Manuductionem Hollandice translatam, latineque recusam Amstelodami cupit.

REM facis & veteri amicitiæ nostræ, & tuæ benignitati consentaneam, cum me de tua, sociorumque tuorum incolumitate, & de progressu suscepti operis certiorem facis. Summopere autem gavisus sum, quod Aprilis prælo tradendus sit, & quantum magnitudo molis patietur, citius excudendus. Optimo seni P. Henschenio integram valetudinem opto, ut illi Deus de meis augeat annos. Eruditissimam Dissertationem de veris Constantini, & Helenæ Nummis libentissime legi, & aliis legendum tradidi, a quibus multum laudatur, tibi vero ob hoc munusculum gratias ingentes ago. A viro Hollando Catholico, qui nuper ab illis Regionibus ad Urbem accessit, audivi, quod mea Manuductio non solum Hollandice sit translata, ut scribis, sed etiam latine recusa Amstelodami, licet *Coloniæ* nomen præseferat; utriusque editionis exemplar si ad me de opportunitate miseris, rem gratissimam feceris. Interim Deum precor, ut tibi vires, & valetudinem tantis laboribus parem largiatur; omnemque operam meam tibi polliceor. P. Ravenstenio licet ignoto salutem dico. Romæ 24. Februarii 1671.

CXCI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Doceri petit de nonnullis pro adornanda Gregorii Magni editione necessariis.

CUM ex benignitate Emin. vestræ facilis sit mihi ad eam accessus, libenter etiam ei difficultates meas expono. Scio quidem E. V. esse

esse variis, & continuis Ecclesiæ negotiis occupata: sed tamen mihi compertum est, charitatem ipsius immensam nullis terminis circumscribi, omnibus omnia factam, doctis pariter, & indoctis liberalem esse; & maxime pro suo erga Gregorium Magnum zelo partem ipsi semper aliquam reservare. Itaque licet potissimum circa Registrum Gregorii Magni adlaborem, reliqua tamen ejus opera quantum fieri poterit, enucleanda mihi proposui. Ex iis tria sunt, quæ mihi non minimum negotium facessunt, quæque in Almæ Urbis Bibliothecis examinari summopere exopto: scilicet Commentarios in Libros Regum, in septem Psalmos Pœnitentiales, & in Cantica Canticorum. Et primum quidem quoad Commentarios in Libros Regum vellem scire quis primus Romæ eos in lucem emiserit, quibus MSS. usus sit, & ubinam isti Commentarii MSS. reperiantur. De Psalmis Pœnitentialibus idem quærendum; nullos enim hujusmodi Commentarios MSS. Lutetiæ reperire potui. Commentariorum in Cantica Canticorum plures inveni MSS. Codices, sed multum diversos, nempe in quibusdam reperitur alia præfatio ab editis, cum duabus etiam Homiliis in initio, quæ non reperiuntur in editis; igitur E. V. obnixe rogo, ut mihi exscribi curet duodecim circiter lineas ex initio trium istorum Commentariorum, prout in omnibus MSS. Codicibus Urbis reperiri poterunt. Si bene memini, jam indicaveram E. V. me quærere Epistolas ad Gregorium Magnum scriptas. Si quæ in Scrinio Vaticano, aut alibi inveniri poterunt, hoc certe non parum mihi utilitatis afferret. Omnipotens Deus E. V. incolumem sua protectione custodiat. Parisiis ipso die S. Gregorii 1671.

CXCII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Decimum Tomum Spicilegii dono mittens, rogat, ut si quid in eo censura dignum reperitur, amicabiliter significare dignetur.

ETsi me a frequentioribus litteris, quas scribere solebam, absterreat Eminentia tua, absterreant & varia, & summa negotia, quibus continuo ad Ecclesiæ bonum, decusque implicaris; gestit tamen animus vel identidem id præstare tum ob tuam in me non vulgarem humanitatem, & amicitiam singularem; tum maxime ob benevolentiam, qua nostram prosequeris Congregationem: unde merito te vigilantissimum, fortissimumque Protectorem suspicimus; atque ut nobis, ac Reipublicæ Christianæ, quam diutissime servet incolumem, & felicibus incrementis in Majus provehat, quotidianis precibus Deum exoramus. Cogit me etiam has litterulas exarare absolutio editionis Spicilegii Tom. X., quem mittit noster Reverendissimus Pater Superior Generalis ad D. Antonium d'Urban E. T. offerendum. Quo in Tomo si quid Eminentissima eruditio tua commendatione, aut potius animadversione dignum judicaverit, pro tuo in me amore, velim mihi, significare digneris. Interim faustos tibi dies Paschales animitus exopto. In Monasterio S. Germani a Pratis die 13. Martii 1671.

CXCIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

BERNARDUS AUDEBERT Monachus Bened.

Gratias agit pro commendata introductione suorum Monachorum in Monasterio Talloeriensi in Sabaudia; Mittit eidem Tomum decimum Spicilegii a D. Dacherio editum; simulque significat proximam, quam ipse assumit editionem Operum S. Augustini.

1. QUod Congregationem nostram non modo tueri, sed etiam promovere satagat E. V., testes sunt in primis litteræ commendatitiæ, quas nuper scribere dignata est pro introductione nostrorum in Monasterium Talloeriense. Rem sane difficilem ita explanavit auctoritas vestra, ut sola negotii executio ex parte nostra desiderii videatur. Agemus quamprimum de modis promovendæ rei in proxima nostra Diæta, quam ante festum Ascensionis Dominicæ celebraturi sumus.

2. Interim in grati animi qualecumque monumentum mittimus Eminentiæ vestræ Tomum decimum Spicilegii, dum undecimum parat D. Lucas Dacherius, in duodecimo fixurus pedem succedet, favente Deo, aliud opus longe arduum, & diuturni laboris, nova scilicet editio S. Augustini Operum ad MSS. Codices exacta, id in ipso suscepti operis initio significare debuimus E. V. cui omnia consilia nostra nuda, apertaque esse percupimus; litteris datis ad universa Monasteria Congregationis nostræ; intelleximus penes nos esse octingentos Codices S. Augustini, operum manu exaratos; egregium sane tanti operis apparatum, cui etiam externorum copia auxiliares accedent. Satis sit rem tetigisse Eminentiæ vestræ, cui restitutam valetudinem gratulamur, apprecamurque diuturnam. Parisiis die 17. Martii 1671.

CXCIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS COMBEFISIUS Ordinis Prædicatorum.

Cardinalis eruditionem, humanitatemque commendans: quod serius scribat, se excusat, Historiam Byzantinam sub prælo esse certiorem reddit, & de suis lucubrationibus sermonem habet.

ETsi maturius debui litterarum exhibere affectus, ac vel gratulari, cum primum audivi sacra ornatum purpura, sydusque majus Cardinalium illatum Collegio: qua pridem pietate fulsisti cum pari eruditione, Romamque decorasti, Eminentissime Princeps, vel cum in minoribus constitutum ex tunc mihi bene velle pro tua humanitate non semel audivi a communibus amicis, quos non raro in colloquium admissos eruditis tuis, piisque sermonibus tum doctiores, tum pientiores a te remisisti: spero tamen, nec sic tardum salutationis munus ingratum fore; nec tam negligentiæ adscripturum, aut fastui, vel morositati, quod hactenus silui; quam pudori, & forte timidiori ingenio, ne me ipse proderem, priorque salutarem, detementes, cum utraque dote, perillustrem virum & colerem, & admirarer; rogo itaque, Em. Princeps, ut devotum clientem adeuntem tua illa toto terrarum Orbe cele-

celebrata humanitate suscipias, atque litterarum studio jam pene fessum, atque vergentem favore tuo, & auspiciis animes, ac alacriorem reddas. Vidisse vitam, actaque Maximi Confessoris a me præmissa, dum opus integrum maturo, haud dubito: satisne in eis tua censura probatus sim, nescio. Hanc, si mihi æqua fuerit, stimulos addituram nec ipse nescis. Historia Byzantina prælum sudat, uno Voluminum umbilicum spectante, a Leone Armeno ad Romanum puerum: cui succedet aliud Leone Diacono Grammatico, & Michaele Psello Auctoribus ad Ducæ Imperium, & Botoniatæ. Auctarium alterum meum novum brevi absolvendum, atque vulgandum, nihil spero habiturum, quod sit offensioni delicatis Romanorum auribus, quod jam primis fere liberæ Christianitatis temporibus audiere. Latorem Epistolæ virum religiosissimum, probeque religiosa palestra in nostra Galliæ strictiore observantia versatum, Theologicisque excultum studiis, si quo egeat, favebit E. V. ego interim devotissimus colam, & observabo; annosque plurimos, quibus ornet Purpuram, ipsum quandoque verticem meritis plenioribus ascendat, votis omnibus exorabo. Parisiis apud Prædicatores S. Honorati strictioris observantiæ 9. Aprilis 1671.

CXCV.

DANIELI PAPEBROCHIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro utroque Manuductionis exemplari gratum se dicens, se Typographo Numisma Cereum loco muneris missurum pollicetur.

Quamvis ego de Hollandico idiomate mihi prorsus ignoto judicium ferre nequeam; gratissimus tamen mihi fuit libellus meus in ipsum translatus: nec dubito quin interpres e malo latino bonum Belgicum fecerit. Tibi autem plurimas gratias ago tum ob istud exemplar, tum ob aliud latinæ editionis, quod amice polliceris. Typographo Roterodami munusculum mittam, sicut & ipse mones, cereum numisma, quod Agnus Dei nuncupatur, theca serica, opere phrygio elaborata, inclusum, lecto appendendum adversus Diaboli insidias, ut nos in Italia solemus. Non displicebit illi, ut puto; & quoniam vocatur Franciscus, S. Francisci Imaginem exhibet. Utar opera P. Vanderbeke Superioris Missionis Hollandicæ, qui jam mihi notus est. Aprilem vestrum avide expectant omnes pietati, ac litteris dediti. Deus tibi, & P. Ravenstenio vires tribuat tam sancto operi pares, & omni benedictione, & gratiarum cumulo vos locupletet. Romæ 14. Aprilis 1671.

CXCVI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

D. STEPHANUS BALUZIUS. Tutelensis.

Reginonem Abbatem Prumiensem (a) a se notis illustratum dono mittens, hanc præmittit Epistolam.

CUM nuper hic Lutetiæ ederentur libri duo Reginonis Abbatis Prumiensis de Ecclesiasticis disciplinis, & Religione Christiana, Em. Cardinalis, jamque perventum ferme esset ad finem operis, Serenissimus Princeps, & Eminentissimus Cardinalis Bullionius mihi significavit cupere se, ut illius editionis exemplar ad te mitteretur, cum primum absoluta esset. Et cum idem Princeps adderet, empturum se propterea illud: ego ita existimavi eas esse tuas virtutes, ea in omnes bonarum litterarum studiosos merita, eam denique tuam in me, ac mea studia benevolentiam, ac propensionem, ut omnino a nullo alio, quam a me ad E. T. mittendum illud esset; adeoque debere me hanc curam præripere Principi de me optime merito. Rogavi tamen illum, ut pro eximio, ac singulari suo in me amore, tum etiam in tui gratiam, Eminentissime Card., in se susciperet onus mittendi libri, quem rogo te ut accipias velut testimonium meæ adversum te reverentiæ. Scio tibi, qui antiquæ disciplinæ studiosissimum te semper ostendisti, placituram istam Reginonis lucubrationem, quæ moris utique antiqui plena est; & quæ continet optimas Vitæ Christianæ institutiones, optima monita. Faxit Deus, ut illis bene utantur quotquot Christiani haberi volunt, præcipue tamen Episcopi, quibus commissa est cura gregis Dominici; cujus vero rationem reddituri sunt in extremo examine Summo Pastori D. N. J. Christo. Ad me quod attinet, Em. Card. satis amplam mercedem laboris mei accepisse putabo, si contingat hinc corrigi vitam Christianorum: nam de Reginone nihil dicam, cum abunde id tractaverim in Præfatione, & in notis, quas valde cupio tibi probari Viro doctissimo, & eruditissimo. Opto autem, ut Deus te diu incolumem servet. Parisiis XVI. Kal. Majus 1671.

(a) Prumiense Monasterium in Diœcesi Trevirensi situm est; sub regula S. Benedicti; in eo autem floruit circa annum 900. Regino Abbas, de quo vide notas, & elogia ejusdem Baluzii.

CXCVII.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro recepto Spicilegii Tomo decimo gratias agens, nonnullas a se factas Observationes breviter subdit.

1. PAschalia Festa, quæ mihi felicia pro tua benignitate precatus es, prospere transegi, & quod tuis precibus debeo, satis firma valetudine, licet non desint occupationes pessimæ, & non leves animi ægritudines. Hesterna die attulit mihi R. P. D. Antonius d'Urban munus, munus gratissimum, Tomum scilicet X. tui Spicilegii, pro quo tibi gratias ingentes ago. Legi ipsa die Zacchæi, & Apollonii Dialogos, quos tot seculis sepultos magno litterariæ rei bono ab interitu vin-

vindicasti. Authorem v. seculo floruisse conjecturæ tuæ evincunt. Italum fuisse non credo, nam Psalmos non citat ex Italica versione, quæ in omnibus Ecclesiis Italiæ viguit usque ad annum fere 1000. sed ex illa, quam Hieronymus correxit; & primum in Gallia, deinde paulatim ab omnibus ubique gentibus recepta est. Ex hac autem suspicione, si quid in ea momenti est, Gallum potius crediderim, quam Africanum: eum præsertim in stylo cothurnus Gallicus appareat, Faustique, & Cassiani fuligine se tinctum ostendat, ut tu etiam animadvertis.

2. In veteri Kalendario observavi bis reperiri Festum S. Benedicti, mense Martio, & Julio sub nomine *Natalis*: quia cum verus ejus Natalis in Quadragesima contingat, in qua vetus Ecclesia (*a*) Sanctorum festa celebrare non consueverat; ipse dies Natalis ad mensem Julium translatus est: idque ignorantes Cassinenses nostri hanc, non Festi, sed corporis translationem esse putantes, e suis Kalendariis expunxerunt. De qua re dudum quæstionem habui cum D. Angelo de Nuce tunc Abbate Montis-Cassini, nunc Archiepiscopo Rossanensi in Calabria. Inter opera Brunonis Astensis extat, ut nosti, Commentarium in Psalmos Oddonis Monachi, sed mutilum. Nuper autem allatus est mihi Codex MS. in quo idem Commentarium integrum habemus. Hoc scire te volui, ut integrum in lucem prodeat, si forte recudatur. Cura ut valeas, & me ama, ut facis. Romæ 21. Aprilis 1671.

(*a*) Hunc ritum servat adhuc Mediolanensis Ecclesia, ut patet ex ejus Kalendario, in quo dies Natalis Sancti Benedicti mense Julio adhuc ponitur, die scilicet undecima.

CXCVIII.

D. BENEDICTO Abbati Maris-Stellæ (*a*) Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Respondens literis, quibus suam ad Cardinalatum promotionem gratulatus fuerat, pro tractatu Ascetico de Sacrificio Missæ typis Monasterii recuso gratias agit. Opusque Liturgicum sub prælo esse, certiorem facit.

1. PRomotionem meam ad purpuram non solum tibi, & bonis omnibus gratam fuisse, verum etiam ab ipsis Heterodoxis probari gauderem proculdubio, si aliquod tantæ dignitatis meritum in me agnoscerem: sed reclamante conscientia plausus, & gratulationes vertuntur in luctum, & confusionem. Dei enim judicia expavesco, ne forte peccatis meis exigentibus ideo permiseris me elevari, ut lapsu graviori elidar. Quare tuas, tuorumque preces enixe postulo, ut divinæ gratiæ præsidio talis sim apud Deum, qualem me homines esse existimant. Pro expeditione confirmationis tuæ omnem operam meam libentiísime impendam, de qua re fusius egi cum P. Procuratore Generali, cui efficaciter adero, ut expensæ, quantum fieri poterit, minuantur.

2. Quod autem Monachi Maristellani Monasterii studiis solerter incumbant, adeo ut etiam pro cudendis libris Typographia ibidem instituta

(*a*) Maris-Stellarum Monasterium, dictum etiam de Wettingen in lib. Cameræ Apostolicæ, in Alemania intra Diœcesim Constantiensem fundatum fuit juxta Manrique Annal. Cisterc. Tom. IV. cap. 9. num. 4. anno 1227. licet Carolus de Visch fundatum asserat anno 1229. ab Henrico Comite de Kapperfreil, & Mallenberg, ejusque Uxore Anna Comitissa ab Homberg, dotantibus Rudolpho Alsatiæ Landtgravio, postea Imperatore, ejusque Fratre Alberto Comitibus de Hauspurg.

tuta sit, summopere lætor: verbisque uberes gratias ago, quod tractatum meum Asceticum de Sacrificio Missæ cultiori forma edere dignemini, cujus exemplar, cum editus fuerit, si ad me deferri curabitis, beneficium in me collatum cumulabitis. Quia vero Lucubrationes meas aliquid esse putatis, certiores vos facio cudi nunc Romæ opus a me non sine ingenti labore in Monasterio compositum Rerum Liturgicarum, quo accurate dilucidantur quæcunque pertinent ad Missæ originem, varios ritus, eorumque mutationes, & institutionem. Multa sunt in eo ex antiquissimis Monumentis depromta, quæ eruditis non displicebunt. Tandem me vestris precibus iterum commendo. Romæ 28. Aprilis 1671.

CXCIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Gratias ei plurimas agit de ultimis duabus Eminentiæ Suæ abs se acceptis humanissimis Epistolis, & de nonnullis item S. Gregorii Magni Commentariis in aliquot Sacræ Scripturæ libros, quos pariter accepit, suum exhibet judicium.

1. VIxdum priores Eminentiæ vestræ literas datas 14. Aprilis receperam, quibus & jam responsum parabam, cum ecce derepente allatæ sunt mihi posteriores de die 20. ejusdem mensis. Unde non modo singularem E. V. erga me benevolentiam, sed inauditam quoque diligentiam satis demirari non possum, aut quantas ei gratias rependere valeam, non video. Ipse solvet pro me, qui dux est in omnibus. Quod ad priores literas dicam ingenue, me vix unquam adduci potuisse, ut crederem hos in septem Psalmos Pœnitentiales Commentarios Gregorii fœtum esse, sed & aliquot Virorum doctorum, quos hic consului, idem agnovi judicium; verum E. V. conjectura omnis dubitationis peremptoria est, quam & sequor, & cui, opinor, docti omnes dabunt manus. De posterioribus idem fero judicium. Et certe de Commentariis in Cantica jam valde dubitaveram, cum eorum plurima quidem exemplaria repererim, sed a se invicem, sicut & ab editis dissidentia. De Commentariis in Libros Regum major est difficultas, cum illi propius ad stylum Gregorii Magni accedant, verum cum nullum de iis reperiatur MS. Exemplar, nec qui illud primum ediderunt, unde sumptum sit, dixerint, facile mihi persuadeo, non esse Gregorii; si tamen reperiatur aliquod MS. exemplare, pergratum mihi faciet E. V., si de eo me certiorem facere dignetur. Parisiis die 22. Maii 1671.

2. Eminentiam vestram plurimum salutat D. Lucas Dacherius amicus meus, cujus ope tot, ac tanta ab E. V. beneficia recipio.

C C.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Epistolam ineditam Andreæ Hungariæ Regis eidem mittit una cum Indice Capitum cujusdam Hungarici Concilii.

ANte paucos dies venit ad me officii gratia, ut solet, vir multæ eruditionis Joannes Lucius nobilis Dalmata, cujus egregium opus de Regno Dalmatiæ nuper editum est in Hollandia; cumque incidisset sermo de suo Spicilegio, laudavit plurimum diligentiam tuam in colligendis Epistolis Virorum illustrium, quæ illustrandæ Historiæ valde utiles sunt: tum dixit extare apud se Epistolam ineditam Andreæ Regis Hungariæ, quæ non incongrue posset in eodem Spicilegio locum habere; nam ex illa quædam corrigi posse existimat, quæ ipsemet suggessit D. Odorico Raynaldo. Hanc igitur Epistolam ex Codice MS. servata ejus mendosa ortographia, fideliter transcriptam, simul cum ejus scripto ad dictum D. Odoricum, tamquam rem ab instituto tuo non alienam in hoc fasciculo accipies, & si libuerit, publici juris facies. Accedit Index Capitum Concilii cujusdam Hungarici, cujus integra acta, si desideras, curabo transcribi, & ad te mitti. Et si aliqua in re studiis tuis prodesse possum, jam scis qua libertate opera mea uti debeas. Vale, & ora pro me. Romæ 8. Junii 1671.

C C I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA
DANIEL PAPEBROCHIUS.

Certiorem reddit de inventa Manuductione Amstelodami recusa, statumque Actorum Sanctorum Aprilis exponit.

INventa est tandem, quæ sub adscititiis Urbis, atque Typographi nominibus latebat Amstelodamensis editio vestræ Manuductionis ad Cœlum. Impressit idem, qui sub iisdem nominibus Missalia, & Breviaria quoque Amstelodami imprimit amplissimus D. Joannes Bleu, Dominatricis istius Urbis bis Consul. Idem suscepit, sed suo nomine, imprimenda nostra Sanctorum Acta, & Aprili initium dabit cum Autumno. Locum, Typographumque mutare suasere, quæ nos circumstant miseriæ: commerciis enim omnibus, sed præcipue Librariis Antuerpiæ accisis, vel impeditis, plus fuit pene laboris nobis sumendum in procuranda librorum apud cæteros distractione, quam in ipsa compositione promovenda. Nunc quia D. Bleu in præcipuis quibusque emporiis vel officinas, vel correspondentias proprias habet, faciam ingens laboris, temporisque compendium ea cura solutus. Ad hæc charta nitidior, typus mundior erit, fortassis etiam pretium levius. Ita deinceps ex una, eademque Typographia prodibunt opera duo; omnium hactenus inchoatorum vastissima, Atlantes Mundi videlicet, & hæc Acta Cœlorum ornamentis distincta. Ut novo huic consilio faveat Deus E. V. benedictionem humiliter peto. Adero ego Amstelodami typis ordinandis, emendandisque, donec sit absoluta impressio, quam spero cum anno 1672. finiendam; quia tribus simul prælis tres Tomi subji-

eiuntur: interim Majum componere ordiemur socii. R. P. Balthasar VanderBeke nostrorum in Hollandica Missione Superior jam fines hujus Provinciæ attigit: unde brevi ab eo accipiam E. T. munus Hollandico Interpreti destinatum. Eum ergo præstolans hasce finio, & Sacram Purpuram exosculor. Antuerpiæ 19. Junii 1671.

C C I.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi (*a*)

JOANNES Cardinalis BONA.

Quod propediem suis restituendus sit, gaudens, ipsius Nepotem sua probitate abunde commendatum, & se ad ejus obsequia paratum asserit.

Literas tuas datas Venetiis 24 Aprilis hesterna die reddidit mihi D. Nepos tuus, quas etsi serius acceperim, moram tamen compensavit delectatio, qua his perlectis incredibiliter affectus sum, ex eo præsertim, quod meam erga te benevolentiam tibi probatam, & perspectam esse ex illis intellexi. Eodem tempore nuntiatum est mihi te incolumem Coloniam appulisse, & inde ad tuos brevi intervallo rediturum; qua etiam de re summopere gavisus sum. Nepos tuus nulla apud me indiget commendatione; satis enim eum commendant singularis modestia, probitas morum, & necessitudo, qua tibi conjunctus est. Oro autem, ut tuum erga me amorem perpetuum conserves; nam & ipse fraterna te benevolentia amo, & colo: nec mihi laborandum censeo, ut tibi meæ necessitudinis fidem faciam, nam mei animi de tuo judicium sumere potes. Quod si quid est, quod me hic tui causa curare oporteat, jam te persuasum habere certus sum, me id facturum re magis, quam verbis. Vale, & ora pro me. Romæ 20. Junii 1671.

(*a*) Joannis Neercassel ex Presbytero Oratorii Gallicani Episcopus Castoriensis, & apud Batavos Summi Pontificis Vicarius, doctissimus, & maxime pius dicitur a Gaspare Jvenim in suo Tractatu historico, & dogmatico de Sacramentis, edito Lugduni 1696. pag. 533. qui tamen eum impugnat, loquens de contritione, & charitate requisita ad peccatorem Deo reconciliandum. De eo etiam mentio fit frequens in hisce Epistolis.

C C I I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Pro humanissimis litteris, pro transmissa Epistola Andreæ Regis Hungariæ, proque pollicito Concilio in Hungaria celebrato, ei gratias agens; se Joanni Lucio, ob notitias ab eodem subministratas, obstrictum fatetur.

NON sat est amori erga me tuo sæpius mei meminisse, uti significare solet D. Antonius D'Urban; sed addis litteras manu tua exaratas, addis & singularia beneficia, de quibus ago E. T. gratias quam maximas. Accepi perjucunde cum litteris tuis Epistolam Andreæ Regis Hungarorum Spicilegio nostro inserendam: at quod superat solitam aliorum humanitatem, in tanta dignitatis eminentia constitutus, curaturum te polliceris transcribi ex MS. Codice Concilium Hungariæ a Gentili Cardinale celebratum. Istud equidem exopto, sed vereor ne

a Ray-

a Raynaldo jam majori ex parte sit in lucem prolatum: quandoquidem instituti mei est dumtaxat eruere, quæ nondum edita sunt; si quid nihilominus extat in Codicibus scriptis præter ea, quæ vulgavit Raynaldus, quod publico bono fuerit profuturum, binis manibus, ut ajunt, illud accipiam. Tuo itaque saniori relinquo judicio, utrum istud Concilium scribatur integre, nec ne; ea videlicet tantummodo, quæ in Raynaldinis Annalibus desunt. Cetera plurimum fateor me debere clarissimo viro Joanni Lucio, qui sua sponte, haud interpellatus, mihi non solum indicavit, sed etiam contulit multa, quæ adjumento erunt permaximo: præsertim vero ipsi obstrictus sum, quod lapsus nonnullos corrigere voluerit; id enim singularis beneficii loco ponendum est, dum a Viris eruditis, iisque amicis emendamur. Qui autem odit correptionem, odit sapientiam; omnia porro quæcunque in hanc rem ille, & tu ipse transmiseritis, non tantum accepta, verum & pergrata mihi erunt. Bene valeat E. T. quam Christus Optimus Maximus Religioni suæ illustrandæ diutissime, ac felicissime servet incolumem, cui sum ex animo. Parisiis 24. Junii 1671.

CCIV.

DANIELI PAPEBROCHIO S. J. P.

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro transmissa Manuductione Amstelodami recusa gratias agit.

AGO diligentiæ tuæ uberes gratias, quod exemplar meæ Manuductionis Amstelodami editæ tandem repertum, diu desideranti mittere non distuleris. Accepi illud lætanter, sed longe majori gaudio perfusus sum, cum ex litteris tuis intellexi Aprilem vestrum mox ab eodem Impressore, quem, ni fallor, hic in Urbe agnovi, & allocutus sum, edendum fore. Inter illos enim, qui ipsum cum reliquis avide expectant, non postremum locum mihi vindico, Deum jugiter orans, ut vires vobis tanto oneri pares largiatur. Si quid autem pro vobis possum, oro, ut opera mea summa cum libertate uti velitis. Romæ die 13. Julii 1671.

CCV.

D. STEPHANO BALUZIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Et donantis benevolentia, & mittentis dignitate gratum sibi fore ait Reginonem notis illustratum.

DUdum audieram librum Reginonis Abbatis de Ecclesiastica disciplina ex Codicibus MSS. a te erutum, tuisque notis illustratum, magno Reipublicæ litterariæ, & Ecclesiæ Orthodoxæ bono sub prælo esse: & ut citius eo perfruerer, rogaveram Em. D. meum Cardinalem Bullionium, ut ejusdem Exemplar absoluta editione ad me mitti curaret. Sed tu hanc curam optimo Principi præripere voluisti, ut duplici titulo mihi munus gratum esset, & donantis benevolentia, quam plurimi facio, & mittentis dignitate. Non possum satis verbis complecti, quantum benignitati tuæ debeam: sed nec multum laborandum mihi esse puto, ut mei erga te studii fidem faciam: scis enim quan-

to amore prosequar & litteras, & litterarum Professores. Librum avide expecto, ut ex tua eruditione, ac singulari rerum Ecclesiasticarum peritia, quæ in notis tuis proculdubio elucebit; & ex ipsius Reginonis veteri disciplina proficiam. Interim gratias tibi plurimas ago, precorque, ut aliquam mihi occasionem præbeas, qua possim gratitudinem meam re magis, quam verbis ostendere. Romæ 14. Julii 1671.

C C V I.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES NEERCASSEL Episcopus Castoriensis.

Ejus humanitatem laudat, ad quem etiam missos asserit conquisitos Libros.

DUM vestras lego litteras, quibus sublimis me humilem convenis, & magnus parvo tuum testaris amorem, experimento disco, verissime docere Augustinum, nunquam esse majorem vim amoris, ut alios accendat, quam cum a Superiore in inferiorem derivatur; nec creditur æstuare indigentiæ siccitate, sed profluere ex ubertate; nec ex miseria, sed ex misericordia nasci. Etenim totus inardesco, & in flammas abeo, in tua Epistola (sub num. CCII.) hæc verba legens: *Oro autem, ut tuum erga me amorem conserves perpetuum; nam & ipse fraterna te benevolentia amo, & colo*. Quid in illis primo admirer amorem ne, an modestiam, exprimere vix possum; modestiæ est, quod eum ores, cui jubere potes, illi fraternam exhibeas benevolentiam, cui nimium fuerat vel indulsisse clementiam. Charitatis est, quod subditum in fratrem adoptes; & illum colere te dicas, a quo maxima tuæ Purpuræ debetur observantia. Sic sentiendo, & scribendo videris oblivisci maximam, quam geris in seculo dignitatem; ut non cogitares, nisi naturæ societatem, qua homo homini coæquatur, & communem in Cœlis Patrem habet, sub quo Pater sui Filii, & Dominus sui servi frater existit. Hæc, & alia, quæ in tuis litteris contemplor, qualem in me accenderint ardorem, & reverentiam, Tu unus optime nosti, utpote in cordis schola versatissimus. Ut autem aliquod observantiæ meæ testimonium T. R. ostenderem, diligenter conquisivi quos desiderasti libros: omnes obtinui præter Huarti Tractatum de Gratia ex D. Bernardi operibus collectum, & præter Alcoranum Gallice loquentem. Misi eos ad Illustrissimum apud Venetos Nuncium, ut inde veterinis in Urbem dirigantur. Usuras, quas pro illis expendi, mihi restitues, si in illis comparandis tibi mea cura probetur; quod tum sciam, ubi sæpissime similia, aliave ministeria illi demandaveris, qui est propensione studiosissima. Amstelodami 31. Julii 1671.

C C V I I.

CCVII.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Nonnulla Tractatus de rebus Liturgicis Exemplaria ad eumdem mittens, aliis distribuenda rogat, ut si quid censura dignum repererint, sincere admoneant.

1. TAndem favente Deo absoluta est editio lucubrationis meæ de rebus Liturgicis, cui diu multumque insudavi; nescio quo successu. Hujus quinque exemplaria D. Antonio D'Urban vestro Procuratori Generali consignavi, qui pro sua erga me benevolentia se curaturum promisit, ut simul cum aliis libris, quos ad vos mittere debet, locum habeant. Unum erit pro vestra Bibliotheca S. Germani: reliqua oro, ut digneris meo nomine offerre Dominis meis D. Cardinali de Retz, & D. Cardinali Bullionio, & Dominis de Baluzio, & de Goussainville, quos enixe rogo, ut si quid repererint correctione dignum (reperient autem multa) me admonere non graventur; ut ex eorum multiplici eruditione proficiam. Hoc vero officium fraternæ charitatis potiori jure a te, tuisque sociis exigo, & expecto: scio enim quam sit mihi curta supellex: & quam sit facile in rebus abditis, & antiquis hallucinari. Deus te diu incolumem servet. Romæ 1. Septembris 1671.

2. Fortassis D. Billaine prædictum librum meum isthic recudet: quo casu quæso, ut commendes illi, ut quantum fieri poterit, emendate edatur. Hac de causa ipse manu mea errata Romanæ editionis correxi, saltem præcipua in exemplari, quod illi mittet D. Croisier.

CCVIII.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro acceptis libris gratias reddens, Tractatum Liturgicum ejus Nepoti consignatum ait.

1. SI litteræ meæ ad te dudum scriptæ aliquid continebant, quod benignitati tuæ gratum, ac jucundum fuerit, id mihi cum fœnore benevolentiæ tuæ amplissima exhibitione restituisti; & quo cumulatior restitutio foret, munera insuper addidisti, libellos scilicet, & quos jam accepi a Nepote tuo, & quos misisse scribis, mihi quidem gratissimos; sed hoc nomine magis gratos, quod nullum pro illis pretium exigis, nisi ut tuam diligentiam in illis comparandis probem. Probo utique, & gratias quam plurimas ago; at hoc pretium quam exiguum est! Oro igitur, ut dona tua pluris æstimes, atque aliquid reposcas, quod me rependere æquum sit: alioquin non audebo deinceps beneficiis tuis uti; ægre enim ferre soleo, quod amicis molestus, & inutilis sim.

2. Liber meus de rebus Liturgicis tandem, Deo favente, prælo emersit, nescio quo successu. Audio Scholasticos infestos mihi esse, quod interdum illorum, qui præter forensem, ut ita dicam, Theologiam, nihil sciunt, ignorantiam perstringo. Unum pro te exemplar D. Nepoti

pori tuo dedi, qui cito discessurus est; ipse de statu meo, deque mea erga te semper voluntate certiorem faciet. Deus te diu pro salute Patriæ tuæ incolumem servet. Romæ die 22. Septembris 1671.

CCIX.

D. BENEDICTO Abbati Maris-Stellæ Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Ob librum de Sacrificio Missæ typis Monasterii recusum gratias agens, Tractatum Liturgicum pollicetur.

NUlla est ratio, ob quam mihi debeas gratias agere, si quid operæ impendi, ut citius confirmationem Apostolicam obtineres: si enim omnibus Christianæ beneficentiæ, ac charitatis officia me exhibere par est, multo magis personis Ordinis nostri, quibus arctiori fraternitatis vinculo obstrictus sum. Tibi potius debetur a me gratiarum actio, quod libellum meum in vestro Monasterio elegantissimis typis recudi jusseris, adeo felici successu, ut jam distractis exemplaribus nova editio paranda sit: Tractatus meus de rebus Liturgicis tandem Deo favente e prælo emersit, cujus exemplar vobis libentissime mittam, si indicaveris, qua via transmitti possit; nam spissum volumen est in folio. Typographus Romanus aliquot exemplaria misit Venetias D. Lanovio Bibliopolæ; forsitan ex illa Civitate ad vos commodius transferri poterit: curabo hoc scire, & interim me semper ad commoda vestra paratum offero, tuas, tuorumque orationes enixe petens. Romæ 7. Septembris 1671.

CCX.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Paginam post Præfationem Tractatus Liturgici imprimendam, nonnullaque addenda eidem transmittit.

POst editum meum Librum rumor in Urbe excitatus est a quibusdam Scholasticis, qui præter Forensem, ut ita dicam, Theologiam nihil sciunt. Addidi propterea hanc paginam, quam tibi mitto, ut cures eam isthic imprimi post Præfationem. De hac re fusius scribet D. Antonius vester. Præter errata, quæ ego emendavi in exemplari, quod D. Croisier ad Billaine misit, alia irrepsisse non dubito, quæ per aliquem amicum tuum corrigi curabis. Occurrit mihi pag. 18. linea 19. *Telajon* pro *Telejon*: has autem, & alias voces Græcas optarem a D. Billaine Græce cudi, quod efficiet periti Correctoris diligentia. Pag. 185. lin. 29. post illa verba: *Ad imitationem Sanctorum*, hæc addenda sunt: *eodem loquendi modo idem usus est hæresi 46. quæ est Tatiani*, dicens: *Mysteria quædam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit, sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit; ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere*. Hanc fiduciam mihi præbet benignitas tua, ut solita usus libertate operam tuam in hac re litteraria adhibeam. Ignosce, & ora pro me. Romæ 15. Septembris 1671.

CCXI.

CCXI.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Paginam Libro Liturgico additam ad compescendos rumores mittit, una cum aliis addendis.

DUdum tibi scripsi excitatum rumorem a quibusdam Scholasticis adversus librum meum, quem ut compescerem, paginam addidi hoc fasciculo inclusam, & post Præfationem collocandam. In exemplari, quod D. Nepoti tuo tradidi, menda Typographi manu mea emendavi: sed postea monuit me amicus alia irrepsisse, quibus tu pro tua peritia, & humanitate medicam manum adhibebis. Occurrit nunc pag. 18. lin. 19. *Telajon* pro *Telejon*: quam vocem, ut & alias Græcas satius revera fuisset græco charactere cudi. Opto autem, ut pag. 185. lin. 29. post illa verba: *ad imitationem Sanctorum*, hæc addas: *Eodem loquendi modo idem usus est hæresi 46. quæ est Tatiani, dicens: Mysteria quædam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit: Sed ad ea tamen nihil præter aquam adhibuit: ubi patet Ecclesiæ sanctæ imitationem non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere.* Hæc pro libro. Quod vero ad me attinet, bene valeo, Deumque jugiter oro, ut te diu servet incolumem. Romæ 19. Septembris 1671.

CCXII.

D. BENEDICTO Abbati Maris-Stellæ Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA

Tractatum Liturgicum jam directum dicens, paginam eidem addendam una cum hac Epistola transmittit.

CUM summopere optarem Librum meum de rebus Liturgicis ad te mittere, habito hac de re sermone cum D. Capitaneo Excubiarum Helveticarum Summi Pontificis, ipse pro sua benignitate hoc Opus in se suscepit, & hodie mane dixit mihi, se illum ante aliquot dies huc direxisse. Quia vero ipso jam evulgato paginam unam addidi, eam hoc fasciculo inclusam mitto post Præfationem collocandam. Oro autem, ut hoc munusculum benigne suscipias mei ergo te amoris monumentum; meque tuis, tuorumque orationibus enixe commendo. Romæ die 19. Septembris 1671.

CCXIII.

D. FRANCISCO VIANEN S. Theologiæ Professori

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus Tractatum approbans, operam suam pro Academiæ Lovaniensis privilegiis pollicetur.

1. TRactatum tuum de gratia Christi summa cum animi jucunditate perlegi, nec censuram mihi visus est, sed laudem maximam mereri. Nunc vero cum gravissimis litteris tuis alium accepi de ordine amoris, de quo in primis gratias quamplurimas ago; tum

tum maximopere propositum tuum approbo, & commendo, quod totum sistema Moralis Theologiæ ad hunc ordinem referre constitueris. Plenitudo enim legis est dilectio, a qua pendet universa lex. Notissima tibi est Augustini sententia Epist. 52. *In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est: nullis averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est.* Quare opto, ut hunc Tractatum perficias: nam cum tibi Deus hanc cogitationem immiserit, vires dabit perficiendi.

2. Quod attinet ad privilegia vestræ Academiæ, & ad articulum concursus, quem desideras: operam meam libentissime impendam apud eos, quibus hoc negotium commissum est, ut tandem pacifice expediatur. Deum, ut te omni bono locupletet, oro, meque tuis orationibus vicissim commendo. Romæ 22. Septembris 1671.

C C X I V.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE

JOANNES Cardinalis BONA.

Censuram Tractatus Liturgici jamdudum directi præstolatur, & poscit.

PRodiit tandem Tractatus Rerum Liturgicarum magno, & diuturno labore a me dudum elaboratus, in quo plurima desideratum iri a Viris doctis, & eruditis non ignoro. Ejus itaque exemplar ad te mitti curavi, quod a R. D. Luca Dacherio communi amico recipies, ad quem directum fuit. Oro autem, ut censorio oculo ipsum percurrere non dedigneris; meque libere, & sincere moneas, qua in parte emendari, & corrigi debeat, ut multiplici eruditione tua proficiam. Hoc summopere opto, & expecto, tibique a Deo perennem felicitatem precor. Romæ 6. Octobris 1671.

C C X V.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Opus Liturgicum Parisiis recudi asserens, se de illo Eruditorum judicium indicaturum spondet.

1. HIsce litteris certiorem facio E. T. me duas abs te accepisse litteras, & quæ novissima continebant addenda, & corrigenda; quo tuis jussis obtemperarem, actutum misisse Typographo, quod lubentissime præstitit Socius meus Joannes Mabillon. Prolixius scribam, cum perlegerimus egregium Opus tuum; ac de eo quid sentiemus, sentiantque Viri eruditi, sincere indicabo. Interim, ut scias, iteratæ ejus editioni diligentissime incumbunt Typographi nostrates, agente D. Billaine, qui intra mensem huic finem imponere proponit. Sed ut verum fatear, ipse D. Billaine merito culpandus est, quod antequam se recepisse exemplar Operis tui nobis significaret, prælo illud imposuerit. Si enim nobiscum communicasset, verba græca curassemus græce cudi. Nihil tamen elegantius, quam characteres, chartam, quibus usus est, vidi hactenus. Vale, & vive quam diutissime. Parisiis e Monasterio S. Germani die 9. Octobris 1671.

2. De

2. De Azymis scribit D. Joannes Mabillon ad R. P. D. Antonium D'Urban; ille siquidem de iis jam ediderat observationem, priusquam in publicum lucubrationes tuæ prodiissent, cui opinio Sirmondi non arridet.

C C X V I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

Rector, & Universitas Lovaniensis.

Ejus patrocinium implorant pro manutentione Indulti Apostolici eorum Universitati concessi.

DUO sunt, quæ nobis audaciam tribuunt hanc exarandi ad E S. affectus erga nos, Deputatis nostris, qui nuper in Urbe fuerunt, exhibitus; & causæ, quam commendamus, pietas. Vigore Indulti Apostolici confert Facultas artium singulis annis mense Novembri, & alternis mense Januarii vacantia Beneficia in Patria Leodiensi. Volunt autem, ut audivimus, Leodienses exceptas Vicarias perpetuas. Cederet ista exceptio in grave præjudicium ipsius Ecclesiæ Leodiensis; qnia longe melius prospicitur curæ animarum ab electis per concursum, qui hic solemniter instituitur, quam ab clectis pro arbitrio Patronorum. Dolenter dicimus: Promovent famulos suos, & alios rudes, & inexercitatos, qui postmodum Conciones, Catechismos, & alia necessaria negligunt. Non auderemus hæc asserere, nisi evidens experientia hoc testatum faceret. Insuper, si illa exceptio admittatur, omnes fere Pastoratus contendent esse Vicarias perpetuas: etenim etiam ipsæ Abbatiæ hoc volunt circa beneficia curata, ad quæ præsentationem habent. Cum ab ipsis petitur, quis ergo sit Pastor primitivus, audent dicere se esse. Ratione hujus futuræ contentionis continget, qnod magis idonei, & commendabiles nolent se apud nos sistere concursui, verentes longum, & sumptuosum, ac scandalosum litigium. Quapropter enixe rogamus E. S., ut hæc, aliaque incommoda, quæ ab ista jam dicta exceptione vetemur, suo zelo, & authoritate præpedire dignetur. Augebit cumulum suorum apud nos meritorum; eorumque, ut confidimus, ampla merces erit Deus. Lovanii 16. Octobris 1671.

C C X V I I.

D. J O A N N I S. R. E. Presb. Card. B O N A

ANTONIUS LEWAITTE Abbas Camberonensis (*a*).

Panegyricum in laudem Angelici Doctoris eidem inscriptum hac Epistola comitatur, & alterum in honorem S. P. Bernardi spondet.

CUM ante annum essem Parisiis, S. Dominici Sodales mihi authores fuerunt edendi unum, ac alterum Panegyricum, quos in D. Thomæ Aquinatis laudem pronunciaveram. Porro ad Reverendissimum suum P. Generalem Magistrum mitti voluerunt exemplar, cui

 junxi

(*a*) Cambero, sive Camberona Monasterium celeberrimum in Belgio, in Comitatu Hannoniæ prope Oppidum Serviacum, quarto lapide a montibus Hannoniæ distans in Diœcesi Cameracensi, initium sumpsit IX. Kal. Augusti anno 1148. Fundatore Anselmo de Perona Canonico, & Thesaurario Ecclesiæ Sonegiensis, ut patet ex literis Alexandri Papæ III.

junxi alterum ad te ratus non dedignaturum munusculum, impolitum licet. Non enim quia in amplissimo Purpuratorum Senatu sedes, cœtum illum, ex quo ob ingentia merita adscitus es, aspernaris; aut eos, qui ejusdem sunt Professores, quos inter postremus ego, quorum nomine adeptam si tibi gratulor dignitatem, meæ erit erga illos observantiæ argumentum, tuam vero erga virtutem venerationis. Hæc in tuo vultu lucet, cujus effigiem excudi Antuerpiæ curavi, quamprimum licuit nancisci Exemplar, quod mihi commendavit Canonicus quidam Gandensis Roma redux. Patere, quæso, ut hoc in limine prostet, quod tibi inscriptum eo. Quemadmodum autem D. Thomam Aquinatem comparo Salomoni; suasoribus Archimandritis nostratibus D. Bernardum Samueli, in cujus obiit festa die, & Davidi compono hoc titulo: *Sanctissimi, Sapientissimi Doctores DD. Bernardus Claræ-Vallensis priscorum Patrum ultimus, & Thomas Aquinas Theologorum primus laudati*. Spero non ingratum fore munus, maxime cum testimonium ferat eximiæ tuæ virtutis, ac sapientiæ (cujus est radiolus officiosissima tua ad Cœlum Manuductio) diffundentis se e Latio in Belgium. O vive diu, & omen, quod mihi in mente est, ratum faxit Deus. Votum est. 20. Octobris 1671.

CCXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

JOANNES NEERCASSEL Episcopus Castoriensis.

Tractatum Liturgicum commendans, de eo Amstelodami recudendo agi asserit.

Accepi historiam, quam de rebus Liturgicis elaborasti. Mirarer in illa altissimam arcanæ antiquitatis scientiam, in rebus perplexis judicium solers, in improbandis aliorum sententiis modestiam singularem; nisi aliis me scriptis, vivisque sermonibus docuisses quantos doctrinæ thesauros scientiarum Dominus tuo in pectore recondiderit: & ne illud inflarent, quantum charitatis pondus ei appenderit. Quas ego non miror dotes, quia illis jam assuevi, eas veneror, eas colo, atque deprædico: & ut hic vestra Liturgica tantam consequatur laudem, quantam Manuductio est consecuta. Jam egi de illis hic typo exprimendis; deliberamus de forma, an in folio, an in quarto impressio sit adornanda. Divina Misericordia E. V. diu suæ Ecclesiæ servet incolumem, ut ea vestro splendore magis magisque clarescat. Ita toto ex corde vovet. Amstelodami die 6. Novembris 1671.

CCXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

BENEDICTUS Abbas Maris-Stellæ Ord. Cisterc.

Ad grates reddendas pro recepto Opere Liturgico imparem se dicit.

Recepi tandem nobilissimum Librum de gratiosis Eminentissimæ Celsitudinis vestræ manibus ad humile Maris-Stellæ hospitium descendentem; qui veluti ex omni parte pretiosissimus, ita sollicitum me facit quammaxime, qua ratione gratum animum ostendam. Jam scripsi sæpe, & millies recantare cogor: minor sum tantis beneficiis, quamvis me

me totum cum omni Maris-Stellæ in dominium Em. Cel. V. transcriberem. Et delectarer quidem, si me totum in infima obsequia possem impendere. Sed scio vilitatem, infirmitatemque meam: & proinde ad consuetum azylum confugiam, largitorem cœlestium donorum Deum, quem omni fervore precabor, ut tam liberaliter apertam erga te manum omni benedictione, & gratiarum suarum abundantia dignetur implere. Interea post libatum sacris fimbriis osculum, Maris-Stellam benevolis affectibus E. C. V. humillime commendo. Maris-Stellæ 12. Novembris 1671.

CCXX.

Lectori, & Universitati Lovaniensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Ad promovenda Universitatis commoda paratum se dicit.

1. STatim ac litteras vestras accepi, eos alloqui curavi, qui causæ vestræ discutiendæ deputati sunt; a quibus audivi jam totum fere negotium peractum esse; aliquot dumtaxat articulos remanere, quorum examini propediem incumbent. Exposui illis satius fore, sicut ipsi scribitis, ea beneficia, quibus cura animarum annexa est, per concursum conferre: quæ propositio justissima visa est: sed emerserunt ex adverso nonnullæ difficultates, quas cum bene intellexero, superari satagam, quantum in me erit: summopere enim desidero, ut omnia vobis prospere succedant; votisque vestris, ac commodis semper adero suasione, precibus, & sollicitudine apud Eminentissimos Dominos, qui vestris negotiis expediendis præpositi sunt, quandoquidem ipse Congregationi non intersum.

2. Quod autem vobis perspectum sit, qualiter Deputatos vestros exceperim; & quomodo illis omnem operam meam pro negotii vestri expeditione & pollicitus sim, & re ipsa exhibuerim, vehementer gaudeo, atque illis hac de causa multum debeo, quod vestram mihi amicitiam conciliarint. Vos enim semper amavi, & propter multiplicem doctrinam vestram, ac singularem sapientiam, & propter zelum Orthodoxæ fidei, ac Christianæ pietatis studium, quæ vos omnibus virtutis, ac litterarum amantibus commendabiles reddunt. Quod vero tam benigne mihi gratias agitis, rem facitis humanitati vestræ consentaneam, cui mutuam vicem reddere non desinam, non solum in præsenti causa, sed in quibuscumque occasionibus commodi, & utilitatis vestræ. Interim rogate Deum, ut inspiret omnibus quæ recta sunt, & pro me etiam orate. Romæ die 14. Novembris 1671.

CCXXI.

MARTINO REMY BELGÆ Ord. Min. Strictioris Observantiæ

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus zelum pro Missionibus Vallium Subalpinarum, articulosque in eam rem propositos commendat.

SUmmopere commendo zelum tuum pro Missionibus Vallium Subalpinarum; nec desinam, quantum in me erit, sanctos, & ferventes conatus tuos promovere, cum de his sermo erit in Sacra Congregatione. Interim satagam persuadere D. Secretario, quam faciles,

& necessarii sint articuli a te propositi, ut Catholici in illis locis roborentur in fide, & sectarii, Deo opitulante, ab erroribus revocentur. Quid a Sacra Congregatione decernendum sit, divinare non possum: hoc tamen compertum habeo, summam esse prudentiam, & pietatem Eminentissimorum Patrum, qui negotium accurate examinabunt, idque concludent, quod ad Dei gloriam magis expedire videbitur. Tu interim causam hanc, quæ Dei est, Deo commenda, & pro me etiam ipsum exora. Romæ 16. Novembris 1671.

CCXXII.

FRANCISCO COMBEFIS (a) Ordinis Prædicatorum

JOANNES Cardinalis BONA.

Commendata ejus eruditione, eum hortatur, ut omnia S. Maximi opera publici juris faciat.

Litteræ tuæ v. Idus Aprilis scriptæ serius mihi traditæ sunt, lator enim earum, ut demandato sibi officio plenius fungeretur, suum in Urbe adventum præstolabatur; qui quoniam in longum protrahitur, eas a Conventu Fesulano, in quo degit, hac hebdomada misit. Moram autem vicit voluptas, quam ex illis percepi; tua quippe benignitate factum est, ut qui sæpe de te, nunc tecum loqui incipiam; mutua inter nos conciliata amicitia, sicut dudum optabam. Noveram te ex tuis eruditis lucubrationibus, quibus Rempublicam litterariam mirabiliter illustrasti, nullis parcens laboribus, ut abditis Græciæ thesauris Latium locupletes. Omnia, quæ hactenus edidisti, credo me vidisse, & ex eis multum profeci. Sola Acta S. Maximi sæpius quæsita apud nostros Bibliopolas hactenus reperire non potui: curabo tamen, ut citius cum aliis libris in Gallia editis ad te mittantur; atque interim precor, ne diutius protrahas omnium operum ejus editionem; quam omnes eruditi a te expectant, & desiderant ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem. Viro religioso, quem mihi commendas, omne officium exhibere paratus sum: faciamque, ut agnoscat, quanti te æstimem. Tibi vero, tuisque studiis si qua in re prodesse potero, omnem operam meam libenter impendam. Deus te incolumem servet, & ipsum pro me exora. Romæ 16. Novembris 1671.

(a) Quæ de hujus Authoris Operibus scribit Cardinalis Bona, ab eodem officiose dici fatendum est indubie. Historiam enim Hæresis Monothelitarum ipse Cardinalis censura notavit, quæ postea ex decreto Sacræ Congregationis prohibita fuit.

CCXXIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Pro destinato opere Liturgico gratias agit.

Summo cum gaudio E. V. litteras accepi, quibus certiorem me reddidit de sua erga me beneficentia, ac munificentia, insigni scilicet libro rerum liturgicarum, tantopere a viris eruditis expectato; & licet illum propter temporis injuriam nondum receperim, magnam tamen de eo spem concipere non dubito. Jam de eo viri docti suffragium tulerunt, idest maxime approbarunt, dignumque censuerunt,

qui

qui citissime typis Parisiensibus cuderetur, ut ardenti studiosorum desiderio fieret satis. Magnas itaque E. V. gratias habeo, quod eum ad me mittere dignata sit; non ut criticam meam adhibeam (qualis enim ego homuncio, ut tanti viri operibus aliquid addam); Sed ut Gregorii Magni editionem floribus ex eo decerptis exornem. Precor D. O. M. ut E. V. per multos annos ad Ecclesiæ suæ utilitatem conservare dignetur. Parisiis 27. Novembris 1671.

CCXXIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA-FRANCISCUS COMBEFISIUS.

Cardinalis humanitate commendata, ab eodem nonnullos libros pro terminanda Historia Byzantina necessarios petit.

1. QUod mecum sic humili, e tanta celsitatis arce, quo merita evexere E. V. litterarum officio sermonem misceri etiam atque etiam gratum habere significat, animos facit: ac pro re impudentem reddit, ut meis deinceps litteris nova abuti humanitate, ipsisque obtrudere haud verear. Audiveram & ipse ab amicis, qui tua Romæ, E. P., usi familiaritate erant, quam in me prono animo esses. Librorum tuorum gustum feceram; in eis pietatis sensu cum pari eruditione non minimum affectus fueram; sed innato pudore mihi ipse silentium imperaveram, donec communis gratulatio, fratrisque amantissimi viri plane religiosi profectio, reditusque in Patriam mihi excussere, quæ sero redditæ, tantaque humanitate, gaudiique significatione a te acceptæ sunt meæ litteræ. Doleo non accepisse Actorum Maximi exemplum, quod destinaveram: nec aliter Reverendissimus Abbas Camberonensis, & qui illius opuscula eleganter compacta illius jussu, atque rogatu carissimus Frater ante menses non paucos exiguum munus ipsi destinaverat, quod naufragium fecisse, nec ad te pervenisse quovis tandem eventu nullis Roma litteris conjiciat. Maximi Acta in specimen, & altera tantum lingua, & latine produxi. Quæ sunt primi voluminis Operum S. Maximi græce, & latine ipsa notis illustrata, Prolegomena; liceretque primum hoc volumen ad umbilicum deductum evulgare, eoque sitim levare exoptantium Maximi opera, dum prælum paulo lentius alterum evitetur. Sed quia altero hoc majora fere, polemica scilicet, & Epistolæ a me sunt destinata; nec mihi ipse, nec Bibliopolæ operæ pretium duxi, ut alterum ab altero divellerem: si tamen hoc aveat E. V., velitque librorum quoddam commercium inire cum parvitate mea: ubi gratum intellexero, impetrare a Bibliopola conabor, ut cum meo novo Auctario Bibliothecæ Patrum liceat ad ipsam destinare adstricta fide prostandi secundi voluminis, ubi ipsum quoque, Deo auspice, vita comite emittere licuerit: dum interim alterum Pachimeris volumen P. Possini, & quæ de rebus Ecclesiasticis Armeniæ Romæ fol. edita sunt, quæ non facile mihi parare licet, vicaria a te pietate expecto.

2. Uno alteroque volumine regia Lupata prælum sudat explenda mihi Historia Byzantina accepta ab ipso Em. Card. Barberino, ipsa primo jam volumine edita. Erit Historia Byzantina certis, probatisque Authoribus a Leone Armeno ad Botoniatem. Urgent viri amici eruditi, ut ex Logothetæ Annalibus ab Orbe condito manum admoveam: quam

in

in rem pene exſcripſi grande opus, ad cujus abſolutionem Georgio Hamartoli copiam expetieram, qui ita ipſe producit ſuos annales, & cui Leo Allatius ſuam pridem addixerat operam, mihique pridem edendum obtulerat Em. P. Card. Barberinus, ſi per facultatem tuam licuiſſet, nuper roganti pollicitus eſt, ſi inveniatur, ad me tranſmiſſurum. Extare apud ipſum cum reliqua Leonis Allatii litteraria ſupellectili haud dubium, niſi quædam illi in eo facta ſit fraus, quod in aliis animadvertere viri docti, atque amici. Si quid facere poſſit E. V., id præſtabit, quod in rem litterariam, & Eccleſiaſticam præſtat. Erunt forte multa eadem Hamartoli, quæ Logothetæ, ſive Metaphraſtis, ut ſunt multa Logothetæ, quæ Georgii Syncelli, atque Theophanis, ut ex ambobus mixtim pleni Annales haberi poſſint, & in eis ipſe Syncellus, & Theophanes non paucis laborantes a me retractari; non deſunt Pariſiis Codices ex Regia Bibliotheca, & Excellentiſſimi viri Petri Siguerii Franciæ Cancellarii, qui ipſi ſuppetias eant. Allatium ſua laude carere nolim, nec puto velit Em. P. Card. Barberinus: nullaque commodior occaſio, ut vel præſtetur; at ſi vita deſit, non deerunt viri docti Regiæ Bibliothecæ Præfecti, ſeu etiam alii, qui a me cœpta Pariſiis abſolvant, æque Regia Lupata producant, vel etiam Allatianum Codicem in ſuam fidem recipiant. Vides E. P. quos ſtatim animos feceris; ſed caſtigabo, meumque modum, ſi volueris, intelligam, & obſervabo, diuque incolumem Eccleſiæ, ſacroque Collegio præfulgens inocciduum lumen te exoptabo. Vale IV. Nonas Decembris 1671.

CCXXV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS D'ELFAU M. B.

Auguſtinum illuſtraturus, Card. conſilium, juſſaque petit.

QUam hominibus litteratis inſcripſi Epiſtolam, hanc E. T. ſpeciatim dirigendam putavi, quod te omnium longe doctiſſimum, & Auguſtini cultorem eximium, & noſtrarum rerum in primis ſtudioſum eſſe intellexi. Etſi enim oculos perſtringeret ampliſſimæ dignitatis ſplendor, animos tamen mihi fecerunt tum ſingularis illa humanitas, quam Purpuræ fulgore temperare ſtudes, tum innata benefaciendi propenſio, qua conatus noſtros amantiſſime prævenisti. Alii ſcilicet precibus invitati conſilium, atque opem ferunt; tu vero exhibes, noſque eo fidentius accepturos olim ſperamus, quo ſuſcepti a nobis negotii rationem ex hocce ſpecimine perſpectus ſis. Si quid porro agendum jubeas, ſecus, ac a nobis inſtitutum eſt, id maxime adnitemur, ut fiat; quippe tibi auſcultare cum ſoleant noſtri omnes, tum ego omnium libentiſſime, utpote qui ſim ex animo. Pariſiis e noſtro S. Germani Cœnobio Prid. Non. Decembris 1671.

CCXXVI.

C C X X V I.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro Tractatu Liturgico veniam, non laudes se mereri asserit.

Libros, quos misisti, a D. Casanate S. Officii Assessore (*a*) nudius tertius accepi, & gratias plurimas ago, majores sane re ipsa acturus, si possem, sed modestia, & liberalitas tua omnem mihi occasionem præripiunt, offendendo gratitudinem meam mutui saltem officii exhibitione. Insuper & literis tuis humanissimis, quæ paulo post mihi redditæ sunt, librum meum de rebus Liturgicis magnifice extollis, reclamante laudibus conscientia mea, cui satis superque foret, si veniam dares, quod ausus sim Augustissimi Mysterii Majestatem styli mei, & ingenii tenuitate deterere. Sed qualiscumque sit hæc lucubratio, veniam sane mereor, quia jussus feci. Dudum te monui excitatas a Scholasticis nostris turbas ob ea, que de Azymis scripsi lib. 1. cap. 23., qua de causa paginam unam Præfationi addidi, ut amicis obsequerer, quam misi ad te, tuamque benignitatem rogo, ut si liber isthic recudatur, suo loco post Præfationem apponi cures. P. Seraphino Carmelitæ nondum reddidi Epistolam tuam, recessit enim ab Urbe post aliquot dies rediturus. Persuasissimus sum te summa æquitate, & justitia in causa Carmelitarum processisse: nec erit difficile id illi persuadere, cum sit Vir doctus, & pius, & amantissimus æqui. Rogo Deum, ut te incolumem servet Patriæ, Ecclesiæ, & bonis omnibus, qui te sincere diligunt. Romæ 5. Decembris 1671.

(*a*) Casanate Hieronymus origine Hispanus, licet Neapoli ortus, ad Sacram Purpuram assumitur a Clemente X. die 12. Junii 1673., obiit autem die 13. Martii anno 1700., Legatis Fratribus Ordinis Prædicatorum Scutis centum sexaginta millibus, & Bibliotheca insigni voluminum 25000. cum onere alendi duos Bibliothecæ Præfectos, duos Regentes, & sex Religiosos viros ex omnibus Regnis, qui fidei controversias docerent ex Cathedra.

C C X X V I I.

D. ANTONIO LEWAITTE Abbati Cameronensi Ord. Cisterc.

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro accepto Panegyrico in laudem D. Thomæ Aquinatis, & pro gratulationis officio gratias reddens Tractatum Liturgicum spondet.

1. PAnegyricum in laudem magni Thomæ Aquinatis simul cum literis tuis nuper accepi, & tibi plurimas ago gratias, quod tuæ erga me benevolentiæ exhibitionem a munere literario, styli elegantia, & multiplici eruditione exornato auspicari volueris. Insuper & alium polliceris, quo Ss. P. N. Bernardi encomia celebras, quod certe gratissimum mihi erit: utrumque enim Doctores Bernardum, & Thomam pari amore prosequor: hunc, ut Principem Theologorum, illum, ut vitæ Religiosæ eximium Præceptorem, in cujus castris ab adolescentia mea per annos quadraginta quinque militavi; donec placuit Altissimo me prorsus immerentem, & nihil tale cogitantem a Cœnobii

nobii quiete avulsum in amplissimæ dignitatis fastigium collocare : cui cum impar sim omnino, vereorne illud Psalmographi ad me pertineat: *Quoniam elevans allisisti me* . Cæterum Ordinis nostri Professores plurimum diligo , doctos præsertim , & eruditos , qualis es tu : & hoc solum nomine gaudebo me in hoc gradu positum esse ; si quid inde honoris, & commodi in Ordinem nostrum derivabitur. Psal.CI. 11.

2. Edidi hoc anno Romæ Rerum Liturgicarum libros duos , opus multi laboris , cujus Exemplar tibi libenter mitterem , si aliquam fidi Latoris occasionem haberem , sed recuditur Parisiis , & cum illa Civitas vicinior vobis sit , facile curabis , ut ex ea tibi afferatur . Deus te incolumem servet , ipsumque pro me exora . Romæ 7. Decembris 1671.

CCXXVIII.

D. JOANNI S.R.E. Presb. Card. BONA
LUCAS DACHERIUS.

Librum de Rebus Liturgicis ab omnibus Eruditis laudari asserit.

1. UT diutissime protelaverim ad te scribere , morositas Ludovici Billaine in tradendis mihi foliis novæ editionis libri tui de Liturgiis partim causa fuit ; partim vero quod optabam quid de hac re sentirent D. Arnaldus , & D. Nicolet E. T. nuntiare. Tandem ab ipsomet Billaine , qui solo animi impetu ad agendum identidem inducitur, folia aliquot extorsi, quæ actutum eisdem Dominis offerenda curavi : in quibus foliis continebatur caput de Azymis ; postque dies quindecim eorum sententias expostulavi : At cum in cudendis libris, parte secunda videlicet responsionis ad Ministrum *Claude* , & Tractatum de justificatione (*a*) detineantur, excusatos se se apud E. T. obnixe rogant , spondentque statim , ac editioni illorum librorum finem imposuerint , totum opus tuum accurate perlecturos : deinde scriptis ingenue quid approbent , quidve reprobent , significabunt . Approbabunt haud dubie tam aureum opus , præter opinionem tuam , de Azymis , cui calculum adjicere jam antea in Sirmondo refugerant . Interim præcursis foliis præfatis mire laudant Viri doctissimi lucubrationes tuas ; atque illas non modo recondita eruditione refertas , accuratissime elaboratas ; sed & ad propugnandam fidem Ecclesiæ Catholicæ erga Augustissimum Missæ Sacrificium , expugnandosque Hæreticos , utilissimas, & aptas : cui sententiæ ego , Patres nostri, imo & alii eruditi, qui folia illa legerunt , subscribunt. Atque ut certior fias de editione Parisiensi libri tui , hesterna die Ludovicus Billaine me convenit, & asseruit cusum esse totum librum : quod equidem certo cognovi ultimis foliis perspectis : nunc autem in cudendis tabula rerum , additionibus , erratis, &c. navat operam. Index enim Capitum in minori forma , prodromi instar , ut quocunque terrarum pervolet, editus est ; sicque demum anxietates meæ finem accepere . Dolore siquidem permaximo afficiebar , quod votis tuis non ita bene, ac celeriter , uti peroptabam , faceret satis Bibliopola ille . Spero itaque omnia felicem exitum habitura . Valeat diutissime E. T. ad Ecclesiæ decus , & utilitatem , cui sum animitus , & ex observantia .

2. Ne-

(*a*) Joannes Claudius impudens Ministellus Calvinista Carentoniensis, contra quem Viri doctissimi calamum acuerunt , & cujus opera omnia impiissima a Congregatione S. Officii damnata fuere .

2. Nedum appulere Parisios tua Romana Exemplaria Rerum Liturgicarum: interea misi literas tuas ad Eminentissimos Cardinales Retzium, & Bullionium (*b*); prioris responsum reperies in fasciculo. Quod vero attinet ad D. Stephanum Baluzium, ipse acerbissimo dolore affectus, literis gratias E. T. agere nequit; id suo nomine præsto, utpote amicissimus. Parisiis in Monasterio S. Germani a Pratis die 7. Decembris 1671.

(*b*) Joannes Franciscus Paulus de Gondy Gallus, dictus Cardinalis Retzius, nobilissima oriundus Stirpe, ab Innocentio X. Cardinalis dicitur 19. Februarii 1652. Galliarum Rege nominante. De eo vide Palatium in Fastis Cardinalium. Bullionius Emmanuel Theodosius Regio sanguine procreatus, doctrina, ac pietate celeberrimus, ad petitionem Regis Franciæ die 5. Augusti . . . a Clemente IX. inter Cardinales adscribitur. Obiit sub Clemente XI. multis fortunæ æstibus jactatus, ad ejus tamen ictus semper immobilis.

CCXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card BONA

BERNARDUS AUDEBERT.

Felicem novum apprecans annum, destinatum sibi dicit tertium. Seculum Benedictinum; de meditatis a suis lucubrationibus certiorem reddit.

QUod certis temporum vicibus E. V. scribo, non tempori morem gero, sed justo affectui meo. Hinc est, quod novi anni recursus admonet nos officii nostri; viget quippe in nobis vestrorum beneficiorum jugis memoria: sed exigit sane, ut ne minus ceteris facere videamur, quando res in votis posita est, quod æque possumus omnes: quamquam nostra apud Deum vota pro vestra salute, & incolumitate non annua sunt, sed assidua, licet testificatio non sit frequens. Ad hæc quo in statu res literaria nostra sit, E. V. dissimulare non possum, nec debeo; ineunte anno absolutum prodibit Seculum tertium Benedictinum in duos Tomos distinctum, quorum Exemplar unum E. V. offeret D. Antonius d'Urban Procurator noster Generalis in qualecunque observantiæ nostræ monumentum. Meditamur insuper aliquas lucubrationes, nempe novam editionem Operum S. Anselmi ad MSS. Codices exaratam: tum publicationem Operum Spiritualium viri e nostris non minus pii, quam docti, D. Athanasii Mongin, qui in Sanctitatis opinione decessit Prior hujus Monasterii: tum etiam editionem alterius libelli de Cantu Gregoriano, quæ etsi exigua fortasse videantur, non tamen ingrata fore putavi E. V., cui prosperum anni decursum animitus apprecamur. Parisiis 10. Decembris 1671.

CCXXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbyt. Card. BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Ejus censuræ suam de Azymis sententiam subdit.

NON putassem fore aliquando, ut contrarius E. T. existerem; at præter opinionem accidit, ut offenderem in tuum judicium, cui me, meaque omnia subjecta semper esse volueram. De Azymis loquor, de quibus in eximio Opere tuo aliter sentis, quam ego scripseram,

antequam ea de re senteotiam tuam rescirem. Verum quodcunque super hoc argumento scripsi, illud censuræ tuæ libens subjicio; idque a benignitate tua, quæ in me est maxima, spero, ut si minus tibi placeat, quod dixi, approbetur saltem veritatis amor, quo dixi. In hoc siquidem studio scio me convenire cum E. T., cui nudæ veritatis inquisitio non minous cordi est, quam purioris disciplinæ charitas. Misi folia de hac nostra questione a me edita D. Antonio d'Urban, ut ea offerat tibi, Eminentissime Domine, referatque mihi quid de illa sentias; si modo censuram tuam ei exponere dignaberis, id quod opto quam maxime, atque enixe expostulo. Quod superest de studiis nostris sub novi anni initium absolvam duos Tomos Seculi nostri tertii, duorum annorum fructum, quos si nomine suo R. P. N. Superior Generalis E. T. offeret, ego affectu, quo possum, devoveo. Faxit Deus, ut salvus, & incolumis vivas hoc anno. Parisiis in Monasterio Pratensi III. Idus Decembris 1671.

„ Hanc Epistolam edidit Thuillierius inter opera posthuma Mabillonii Tom. I. pag. 81.

CCXXXI.

D. LUCÆ DACHERIO M. B.

JOANNES Cardinalis BONA.

Censuram Tractatus Liturgici expectat, paratus ab Azymorum sententia discedere.

DUdum scripsi D. Billaine, eique gratias egi, quod librum meum isthic recudi elegantissimis typis curaverit. Nunc autem gaudeo, quod editio absoluta sit, eique rursum ex me gratias ages. Sententiam de illo, imo censuram DD. Arnaldi, & Nicolii plurimi æstimabo, utpote Virorum purgatissimi judicii. Si opinio mea de Azymis illis displicet, & mihi quoque displicebit: jam enim protestatus sum me protinus ab ea recessurum, si quis certiora docuerit. Veritatem amo, & eam quæro; paratus non solum a doctioribus, sed & a puero edoceri. Congessi, quæ mihi visa sunt, eam sententiam, quam probabilem putabam, stabilire, & si quis ea omnia exacte, & solide confutaverit, rem mihi gratissimam faciet. Domino Baluzio salutem precor, cujus notas ad Reginonem legi valde eruditas, ut sunt omnes ejus lucubrationes. Accepi Epistolam a Domno Joanne Mabillonio, cui responsum dabo, quale exigit, & optat, postquam legero Tractatum suum de Azymis, quem non dubito accuratum fore, & dignum suo Authore. Interim ipsum nomine meo salutabis: utrique autem novum annum felicissimum auguror; meque vestris orationibus, ac Sacrificiis enixe commendo. Romæ 17. Decembris 1671.

CCXXXII.

D. BERNARDO AUDEBERT Sup. Gen. Congr. S. Mauri

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro renascentis anni apprecatione gratias reddens, editionem tertii Seculi, suorumque Monachorum lucubrationes gratulatur.

MAgna me jucunditate affecit Epistola tua: licet enim commune Officium contineat, quod ineunte anno mutuo exhibent amici; agnosco

agnosco tamen in ea tuam erga me benevolentiam, quam plurimi æstimo, tibique propterea gratias ago, quod inter amicos tuos, ac vestræ Congregationis me non infimo loco collocaveris. Tertium seculum Benedictinum jam editum esse gratulor vobis, & gaudeo, ejusque exemplari, quod mihi benigne largiris, sicut & operibus spiritualibus D. Athanasii vestri, quæ mox edenda esse polliceris, Bibliothecam meam locupletabo. Anselmi editio viris doctis grata erit; sed longe gratior futura est Augustini opus ingens, & magni laboris, & immensi; quod ut urgeas, oro. Deum interim precor, ut conatus vestros juvet, teque diu servet incolumem. Romæ die 28. Decembris 1671.

CCXXXIII.

FRANCISCO COMBEFISIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Abbatis Camberonensis opuscula jam recepta dicens, optatos pollicetur libros.

NUllum naufragium passa sunt opuscula Abbatis Camberonensis, nam ipsa pridem eleganter compacta recepi, ipsique gratias egi; Acta vero S. Maximi non vidi. Ejus primum volumen jam absolutum esse summopere gaudeo, quod certe ab altero separandum non est: nec debes in hoc Bibliopolæ molestus esse; æquum enim postulat, & ego patienter utriusque finem expectabo. Librum, quem desideras de rebus Ecclesiasticis Armeniæ, sicut & alterum Pachimeris volumen hic editum a Patre Possino libenter comparabo, tibique mitti curabo, quamprimum opportuna occasio oblata fuerit. Expeditius tamen erit, si alicui ex tui Ordinis Religionis mandes, ut prædictos libros a me suscipiat, & ipse curet ad te transmitti: nam fieri potest, ut domestici mei in exequendis mandatis meis negligentiores sint. De te, tuisque studiis, & de libro Gregorii Hamartoli, quem expetis, fusius locutus sum cum Em. D. meo Card. Barberino; & ne ei excideret, exemplar Epistolæ tuæ, ejus scilicet partis, quæ de ipso loquitur, ipsi tradidi. Sermonem de te honorifice habuit, dixitque, se Bibliothecario suo mandaturum, ut prædicti Gregorii librum quærat. Vide, si qua in alia re studiis tuis prodesse possum; nam operam meam libenter impendam: meque tuis orationibus enixe commendo. Romæ die 12. Januarii 1672.

CCXXXIV.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi
JOANNES Cardinalis BONA.

Ut editio Amstelodamensis Operis Liturgici integra prodeat, nonnulla eidem Operi addenda transmittit.

1. A Paucis diebus audivi Liturgica mea recudi Parisiis, & jam opus finem respicere, quod licet mihi non displiceat, valde tamen me angeret, si illa editio vestra, quæ istic paratur, incommodo esset, quam non dubito futuram elegantissimam. Miseram dudum monitionem ad lectorem libro jam edito additam, & post Præfationem cudendam: de qua quia sciles, nec scio utrum ad te pervenerit, iterum his adjungo, ne illa careat hæc editio. Hæc suis locis addenda sunt.

2. Pag. 185. lin. 29. post illa verba: *ad imitationem Sanctorum*, adde: *Eodem loquendi modo idem usus est hæresi 46. quæ est Tatiani, dicens: Mysteria quædam ad Ecclesiæ sanctæ imitationem instituit, sed ad ea nil præter aquam adhibuit: Ubi patet Ecclesiæ imitationem non rem oblatam, sed ipsam oblationem respicere*. Pag. 189. in fine §. 7. post *inconsulte judicavi*, adde: *Quod si adsint veteres Codices cum editis consentientes, ex quibus tollatur omnis suspicio interpolationis; advertendum insuper est, quod Rabanus nimis probat, cum ait: oportere exemplo Christi panem infermentatum esse; nam Ecclesia utrumque admittit. Deinde testis singularis est, & cum dicit: oportere sic facere, non dicit sic revera factum esse: multa enim dicimus fieri oportere, quæ non fiunt; & fortasse hæc fuit ejus particularis opinio.*

3. Tractatus de Discretione spirituum ad finem properat. Utinam qui animum incipiendi inspiravit, ipse perficiat. Me commendo tuis precibus, & novum annum tibi felicissimum opto. Romæ die 4. Januarii 1672.

CCXXXV.

D. FRANCISCO D'ELFAU M. B.

JOANNES Cardinalis BONA.

Nonnulla in Augustini editione observanda breviter suggerit.

MUltum profecto interest Catholicæ Ecclesiæ, & Reipublicæ litterariæ, si Magni Augustini Opera in meliorem formam redacta, vestroque studio recensita, & illustrata recudantur. Quod vero Epistolam Encyclicam hac de re editam ad me mitti curaveris, rem mihi gratissimam fecisti, & amori, ac venerationi, quibus vestram Congregationem prosequor, consentaneam. Ideam operis, quam in prædicta Epistola exhibes, si quid momenti in meo suffragio esse potest, summopere probo, & commendo. Concordia Augustini cum reliquis Patribus, labor equidem immensus erit, sed quem maxima Ecclesiæ utilitas compensabit. Plures sunt inter vos viri eruditi, & inter plures dispertitum levius erit. Varias lectiones, & notas locis ipsis affigi commodius, & utilius erit: nam si seorsim eduntur, vix ullus erit, qui eas legat. Opera nova, & aliena, quæ alibi edita leguntur, ego prorsus resecarem: quæ vero hactenus apud solum Augustinum habentur, sicut & dubia, in aliquem Tomum separatum rejicerem. Denique existimo valde utile, & commodum fore, si numeris, & argumenta Capitum, quæ nunc in margine leguntur, in medio ponerentur; & aliquanto fusius explicarent quid in eis contineatur. Index copiosissimus tanto operi necessatius est, ut thesauri in eo latentes pateant uti volentibus. Hic omnibus literarum amantibus gratissimus erit, sicut est Scholasticis Tabula aurea D. Thomæ. Det tibi Deus, tuisque Sociis vitam, & vires tanto molimini pares. Romæ 4. Januarii 1672.

CCXXXVI.

CCXXXVI.

D. FRANCISCO DIERIX Abbati S. Salvatoris (a) Antuerpiæ Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA

Pro destinato libro, oblatisque reliquiis, gratum se dicit.

MUnus a benignitate tua mihi destinatum, liber scilicet mysticarum institutionum gratissimum, mihi erit, & propter argumenti sanctitatem, & propter Authoris dudum mihi ex alio opere prænoti præstantiam. Breve Apostolicum Altaris privilegiati pro vestra Confraternitate P. Alberto Præmonstratensi consignavi, a quo ipsum recipies: & si quid aliud desideras, operam meam libenter impendam. Interim gratias ingentes ago tum de libro, tum de Reliquiis, quas offers: sed ob nimiam distantiam non audeo acceptare; meque tuis precibus enixe commendo. Romæ 4. Januarii 1672.

(a) Monasterium S. Salvatoris Antuerpiæ ædificari cœptum est anno 1443. juxta Carolum de Visck, & Jongelinum, & absolutum anno 1447. a nobili Equite Petro Pot, ejusque Uxore Maria Terebroot, adductis Monachis ex Monasterio de Iselsteyn in Hollandia, de linea Morimundi. Ejus vicissitudines breviter enarrat Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi ad diem 20. Augusti.

CCXXXVII.

JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Indicat quid sibi reprehendendum videatur in Mabillonianis de Azymo argumentis (a).

1. QUod a mea opinione de Azymo dissenseris, nihil amicitiæ nostræ detractum est; ambo enim veritatem quærimus; & ego forsitan erravi, non ipsam veritatem, sed ejus larvam amplectens. Homo sum, humani a me nihil alienum puto: atque utinam Præfationem tuam vidissem, antequam Tractatus meus ederetur, multum sane ex tua multiplici, & recondita eruditione profecissem; quæ mea mens sit, jam dignoscere potuisti ex monitione, quam libro jam vulgato addidi; ubi dixi gratissimum mihi fore, si quis prolatis ex antiquitate textibus amice ostenderit me errasse. Profers autem plura in tua observatione nova, de quibus quid sentiam, non contradicendi studio, sed ut petitioni tuæ morem geram, breviter indicabo.

2. Num 65. A facto Christi argumentum desumis, sed nimis probat; nam si ideo azymis utendum est, quia Christus in azymis Eucharistiam instituit: quomodo Ecclesia usum fermentati Orientalibus permittit?

3. Num. 66. Ex testimonio Isidori nihil certi concluditur. Ejus Epistolæ (b) ad Redemptum nullam rationem habui, quia supposititia est, ut

(a) Hanc Epistolam una cum argumento edidit Tuillierius Tom. I. pag. 82. Operum posthumorum Mabillonii.

(b) Ea de causa in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Cardinalis Bellarmini editionis Venetæ anno 1728. hæc habentur: *Ea quæ ad Redemptum dicitur* (sermo autem est de prædicta Epistola) *non fuit ab Hispalensi scripta, sed ab aliquo posterioris ætatis, cum jam exortæ essent Græcorum adversus Latinos simultates.*

ut tu vere mones, & recte, & alii observarunt. Jacobus Vitriacus recentior est authoritate Concilii Toletani, qua ego utor ad probandum fermentatum. Tu pro azymo uteris; ac si *panis nitidi* nomen solo azymo conveniat: sed pace tua id non persuades; nec mihi nunc tantum est otii, ut in hac re diutius immorari possim.

4. Num. 67. Testimonium Hildefonsi (*c*) magni ponderis est, si extaret. Scrutabor Codices Vaticanos, ex quibus asseris Holstenium illud accepisse.

5. Num. 68. Ratio pro azymis ex Beda, & Paschasio conjectura est; sed Rabani Mauri testimonium azymi usum tempore Photii viguisse evincere videtur. Sed si exactius examinetur, non erit forsitan tanti momenti, etiamsi Codices MSS. omnem tollant interpolationis suspicionem. Nam primo, testimonium singularis est; secundo, nimis probat, cum ait exemplo Christi oportere panem fermentatum esse; tertio, expendendæ sunt rationes, quibus hoc probat; quarto, non asserit tunc azymum fuisse in usu: aliud enim est dicere, quod oporteat aliquid facere; aliud, quod fiat: & fortassis hæc fuit ejus particularis opinio.

6. Num. 69. Ex oblatis ferro characterato impressis non videtur concludi, quod sine fermento fuerint: nam Orientales panem suum fermentatum figuris, ac characteribus imprimunt. Pistores autem nos docebunt, an etiam panis cum fermento sic confici possit.

7. Num. 70. Quod S. Thomas, & alii de Ebionitis asserunt, ego quoque notavi: Leonem IX. ego sic interpretabar; ut non de ritu, sed de dogmate loqueretur. Declamat enim adversus hæreticos, & agit de fide Petri, quæ nunquam deficiet; Græcosque perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem, & Christum consecrasse in fermentato, facta ultima Cœna ante diem azymorum. Non igitur ritum, qui mutationem admittit; sed dogmata mihi videtur impugnare S. Leo: Humbertus autem, & Rupertus Abbas putant perpetuam fuisse consuetudinem, quæ tunc Romæ in usu erat. Tu vero nosti, quam fidem mereantur, qui asserunt aliquam consuetudinem per annos mille, & amplius viguisse, nullo teste adhibito, qui seculis præcedentibus vixerit; ita ut soli eorum verbo standum sit; certe Jurisperiti hujusmodi testimonia rejiciunt.

8. Num. 71. Certum est, quod panis consecrandus offerebatur a populo, ut ego ostendo, & probabilius fuisse existimo communem, & fermentatum. Si quid usui Sacerdotis supererat, & communicantium, id pauperibus tribui solebat; sed prima intentio offerentium Sacrificium respiciebat.

9. Num. 72. Hoc utique indagandum est, an Latini, & Græci initio convenerint. Quinam primo mutaverint; quo tempore, qua occasione.

10. Num. 73. Verba Epiphanii ego aliter intellexi, & ni fallor, ipsemet Epiphanius se ipsum explicat hæresi 46. a te citata, dicens: *Tatianum mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse*; ubi vides *Ecclesiæ imitationem* non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

11. Num. 74. Argumentum ex verbis Ambrosii, & ex Photii silentio non

(*c*) Porro Hildefonsi, seu Eldefonsi opusculum de pane Eucharistico ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice exscriptum Cardinalis Bona ad Mabillonium transmisit, prout ipse testatur in præmonito ad idem opusculum, editum in calce dissertationis de Azymo.

non omnino dissolvis, ut ipse fateris, sed dilui, ais, certis veterum Authorum testimoniis a te prolatis. De illis tamen quid sentiam, jam dixi. Et dato etiam, quod aliquando concludant, testes singulares sunt suorum temporum, non seculorum, qui præcesserunt. Quod si libet recentiorum testimonio pro rebus antiquis uti; sicut tu pro Azymis Jacobum Vitriacum, ita ego pro fermentato Simeonem Thessalonicensem afferam, qui libro de Templo, & Missa apud Goar in Euchologio pag. 214. ait: *S. Gregorius, Author ille Dialogorum, non modo cum fermentato pane Sacrificium offerri testatur: verum & in veneratione magna sacras habuit ædes*. Scio quid huic opinioni opponi possit; ac proinde ejus testimonio usus non sum. Eum tamen laudat Goar loco citato.

12. Tandem opto scire quid sentias de Melchiadis, & Siricii Romanorum Pontificum fermento, quorum Decreta attuli, & examinavi, paratus semper de mea sententia recedere, si quid certius a te, & ab aliis eruditis probatum fuerit. Hæc a me festinanter dictata inter graves, & continuas horum dierum occupationes, quæso, ut benigne excuses; & ubi erravi, doceas me: nihil enim mihi gratius contingere potest, quam ab amicis corripi, & moneri. Seculum tertium Benedictinum avide expecto, Deumque oro, ut qui per te Opus hoc dignissimum cœpit, ipse perficiat. Romæ 4. Januarii 1672.

CCXXXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Nonnullas mittit suæ de Azymis sententiæ explicationes.

1. Cogit me tenere silentium E. T. demissio summa, dum verba mihi præripis, tibique sumis, quibus ego ipse uti debueram. Justum quippe est, ut postulem me moneri, & corripi abs te; atque errata, quæ sane multa sunt, agnoscam mea. Cum vero tu occupes, quid mihi reliquum est, nisi ut repetam ea verba a te usurpata, aut certe in gratiam mei dicta in me recipiam? Habeo itaque duplicem gratiam, & quod si me doceat modestiam E. T., & quod dignatus sis legere, & expendere nugas meas. Responsiones tuæ ad argumenta, quæ pro Azymo adduco, graves quidem sunt, & fortes, quales ferre potest causa, quam propugnas, Neque decet, ut aliquid reponam, ne otio, & benignitate tua videar abuti. Verum quia exigis a me, ut rescribam, mitto D. Antonio d'Urban quasdam explicationes sententiæ meæ, quas tibi, si per otium liceat, ipse referet. Qua in re me non juvenili fervori, sed E. T. paruisse, quæso, ut existimes. Hodie primum vidi Exemplar novæ editionis Operis tui, cujus lectio plane animum meum rapit, & instruit. Minus dico, quam sentiam, ne minus sincerus tibi videar. Ita perge informare Ecclesiam, cujus ornamento, & gloriæ in multos annos vivas, ex animo precor. Parisiis IV. Kal. Februarii 1672.

Explicationes quædam Præfationis meæ.

2. Num. 65. Non intendo probare necessitatem consecrandi in Azymo ex facto Christi Domini: sed quæro, cur Patres non meminissent relicti Azymi, quod in ultima cœna adhibitum fuisse contendunt.

3. Num.

3. Num. 66. Cum tantopere Sirmondus urgeat Photii silentium, æquum est etiam, ut rationem habeat silentii Isidori, Bedæ, & aliorum, qui diserte explicando hostiæ compositionem, fermentum nusquam nominant. Alcuinus in Epist. 69., cujus testimonium reposui in editione mea, fermentum quodcunque a pane sacro excludit. Jacobus a Vitriaco legitimus Author est ad probandas res Seculi XIII., in quo vixit: nec ejus authoritatem alio animo refero, quam ut probem Mozarabes suo tempore in Azymis Eucharistiam celebrasse. Ulterius vero contendo id accepisse a Majoribus suis: siquidem ad duellum usque pro patriis ritibus (*a*) adversus Romanos pugnaverint; nec proinde verisimile esse eos a fermento ad Azymum, ut se Romanis accommodarent, defecisse. Authoritas Concilii Toletani mihi semper visa est magni momenti in Azymi causa: non solum, quod nitidum panem Eucharisticum, sed quod renuem, non densum, sed tamen integrum, studio præparatum, non communem esse velit.

4. Num. 68. Paschasius Radbertus utitur verbo *Consperssionis* eo sensu, quo Apostolus in Epist. I. ad Corinthios, ubi monet expurgandum esse fermentum, ut fiat conspersio. Rhabani testimonium nullatenus detorqueri posse mihi videtur, aut ad privatum morem alicujus Regionis, aut ad propriam Authoris sententiam. Etsi enim fortasse nimis probet ipse; tamen admittendus est, ut legitimus testis rei suo tempore usitatæ. Sic Authores sexti, septimique Seculi, ac sequiores non recte eruditorum judicio Tonsuram Clericalem astruunt exemplo D. Petri; & tamen idonei testes sunt vulgatæ suo tempore Tonsuræ.

5. Num. 69. Inter panem characteratum Latinorum, & Græcorum, illud discriminis est, quod Latini secus, quam Græci, panem ab antiquo coquunt inter ferrum characteratum: nec ex solida massa, ut Græci; sed ex simila diluta in aqua frigida illum conficiunt. Quo in genere fermentum nunquam adhiberi testes sunt Pistores.

6. Num. 70. Leonis, & Humberti testimonia pro Azymorum præscriptione opposui Sirmondo, qui eos negabat se unquam isto præscriptionis titulo defendisse. Ad id eos solum retuli; quamquam non parum valent ad probandum usum Azymorum ante Photii tempus, e quo non longe distabant, ut factæ innovationis ignorantes esse debuerint.

7. Num. 73. Si Epiphanius Azymi usum inter errores computasset, eum refutasset alicubi, ut alios solet. Contra vero usum Azymi in ultima Cœna agnoscit.

8. Num. 74. Argumentum ex verbis Ambrosii parum me movet. Objectio est adversus fidem ab experimento sensuum petita; quæ æque valet in Azymo, ac in fermentato. Photii silentium contra Azymum argumentum morale est, quod proinde morali responso dissolvi potest. Atqui ego, ni fallor, silentii ejus congruas attuli rationes. Porro si fuisset animus adhibere Authorum recentiorum testimonia, non omisissem Anselmum, Rupertum, & alios pro perpetuo Azymorum usu in Ecclesia Latina. At vero Jacobum a Vitriaco, ut jam dixi, hac tantum ratione profero, ut probem Mozarabes suo tempore Azymis usos fuisse.

9. De

(*a*) Innuere videtur Mabillonius factum relatum a Roderico lib. 6. de rebus Hispaniæ cap. 26. Tom. II. Hispaniæ illustratæ, de cujus fide videndus Joannes Pinius e Soc. Jesu in Dissertatione de Liturgia Mozorabica pag. L. præliminari Tom. VI. Actorum Ss. Julii; vide etiam supra Epistolam sub n. LXXXVI. D. Nicolai Antonii ad Joannem Bonam directam. Scheda porro autographa Mabillonii in nonnullis variat ab editis a Thuillierio pag. 85.

9. De Melchiadis, Siricii, & Innocentii fermento multa præclare dicuntur in libro primo de Rebus Liturgicis: sed meo quidem judicio non adeo manifeste evincunt fermentum apud eos in stricto significatu usurpari. Memini me legisse apud Arcudium nonnunquam Græcos ζυμα vocabulo uti ad significandum Azymum: semper vero προζυμα voce uti ad significandum fermentum suum. Quid si imitati sint id aliquando Latini?

CCXXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

DANIEL PAPEBROCHIUS Soc. Jesu.

De inchoato Aprili certiorem faciens, operam suam spondet in corrigendo Opere Liturgico Amstelodami recudendo.

PRidem debui, ac volui perfungi officio grati erga Patronum Colendissimum Clientis, felicem annum apprecando per literas. Sed quam eas gratias habiturus speraffem, si eæ de Aprili nostro nihil nuntiarent certi? de quo tamen intelligere aliquid in primis velle E. T. mihi persuadeo. Atqui res ea in summum pene adducta discrimen est per prohibitionem chartæ Franciæ factam a Statibus, haud satis considerantibus, quantum hujusmodi prohibitio incommodum allatura esset rei librariæ. Tandem tamen auditæ quadactenus sunt Bibliopolarum querelæ; & cum hujus anni initio datum quoque initium est imprimendo Aprili, ejusque primus dies jam pene absolutus habetur. Id igitur nunc cum multa fausti anni apprecatione nuntio, simulque ipsius typi specimen mitto in hac tenuiori charta. Quæ hic occurrunt menda, unum, alterumque correcta sunt, priusquam serio inchoaretur impressio; nam extremæ correctioni ipse invigilo. Uno hactenus prælo opus hoc procedit: sed promisit D. Bleau alterum se prælum brevi adhibiturum, ut ante sequentis anni Pascha possit totus mensis absolutus haberi. Hæc cum inter nos tractaremus in nova ejus Typographia, forte accidit, ut inter typothetarum manus versaretur Liturgici vestri pars aliqua; mihique diceret D. Bleau, hoc quoque opus brevi subigendum prælo suo. Ego memor quantum E. T. debeam, & hanc quasi divinitus oblatam occasionem videns maximæ obligationis meæ partem aliquam exolvendi, quæsivi quis esset extremæ correctioni adhibiturus manum; jam enim didiceram propria experientia, quam non satis tuto mercenariis illis, quos officina illius habet, correctoribus, quamvis plusquam alibi sedulis, res tota committatur: & videbam, quod ipsemet D. Bleau Grotii Opera imprimens, extrema quoque folia revideret, tot suis occupationibus publicis, privatisque non obstantibus; idemque in aliis, quos curiosius impressos volunt libris facere ejus folia. Cum igitur ille nominaret mihi eumdem, qui Grotium corrigit, ceteris correctoribus doctiorem, accuratioremque, cui tamen ipsemet non absolute fidat, subintuli: quod adeo me suis beneficiis obstriuxerit E. V., ut officii mei esse putem hanc in me curam suscipere, & eadem sollicitudine, atque diligentia, qua intendo correctioni proprii operis, postquam singula folia bis terque a typographicis correctoribus fuere recognita, etiam recognoscere singula operis vestri folia, priusquam prælo subjiciantur: quod meum obsequium, ut gratum habeat E. V. etiam, atque etiam rogo. Fiet

id sine operis proprii impedimento; quia dum hic integro fere trimestri expectavi, ut inchoaretur impressio, multam jam habeo materiam prælo sic paratam, ut non amplius videri a me debeat, nisi actualiter imprimitur. Cætera, quæ acturus interim eram, absque ullo incommodo differri possunt. Qui si E. T. pro operis nostri progressu sollicita, illud quoque desideret ex sua parte promovere, facere id poterit commendando subinde Illustrissimo D. Vicario (*a*), per quem intelligo operis vestri impressionem curari, ut quoties ex parte E. T. aget cum D. Bleau, simul etiam inculcet desiderium grande, quo E. T., aliique nonnulli Cardinales cupiunt cito videre Aprilem. Ita mutuo juvabimur: nam cum D. Bleau, cum alias sit natura sua cunctabundus in executione eorum, quæ multa, & quorumdam judicio nimis multa suscipit, in hac gravi 73. annorum ætate etiam est lentior: egetque nonnunquam acrioribus, & sæpe repetendis stimulis, ne in ipso impressionis progressu cum proprio, & alieno damno non levi importune subsistat. Quod scire E. T. etiam pro suo opere expedit, non tamen ea scientia a me accepta uti: hoc enim apud D. Bleau malam mihi gratiam conciliaret. Hoc boni viri vitium ita hic publice notum est omnibus, ut facile possit index dissimulari. Si est aliud, in quo E. T. hic Amstelodami commorans possim servire, utere paratissimo ad omnia famulo, qui post humile sacræ manus osculum me, Patresque meos Collegas parando Majo strenue intentos favori vestro, & piis apud Deum precibus commendo. Amstelodami 2. Februarii 1672.

(*a*) Is erat Joannes Neercassel Castoriensis Episcopus, Vicarius Apostolicus in Hollandia.

CCXL.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

CLAUDIUS CASTELLANUS Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis Canonicus.

Tractatum Liturgicum commendans, opinionem de fermento ab eruditioribus approbatum iri asserit, paratumque dicit volumen ad probandam fermentati praxim in Ecclesia Occidentali.

1. TUus ille, quem in dies expectabam, de rebus Liturgicis Liber, Cardinalis Eminentissime, prodiit tandem Parisinis editus typis ineunte hoc anno. Illum vix emersum e prælo habui præ manibus, nec dimisi, donec totum evolverem. Certe eum dum legerem, secreta quadam lætitia affectus, admiratione etiam percellebar. Deus bone! Quanta antiquitatis scientia, quanta ingenii sublimitas, quanta sanioris disciplinæ elucidatio! Patere has laudes, Em. Card., quas amor, & admiratio extorquet, licet reverentia premat. Ostendis certe tanta laboris pertinacia, quod magis ingenio, quam dignitate emineas: quodve Ecclesiæ illustrandæ, atque ornandæ doctrina tua collimat. Multa ibi enucleas, quæ nostris ritibus consentiunt: nec parum solatii est tanta authoritate confirmari. Viget etiamnum in nostra Ecclesia Parisiensi usus benedictionis, quæ, dicto *Libera nos* cum terna oratione, datur ab Archiepiscopo, statim ac Diaconus Pedum in manu gestans cantavit, *Humiliate vos*, tumque dicto *Quod ipse vobis*, & *benedictio Dei*, dicitur & *Pax ejus*, non autem *Pax Domini*;

nec

nec datur alia benedictio in fine. Perseverat itidem in Ecclesia nostra usus non recitandi ad Altare ultimum Evangelium, sive sit Sancti Joannis, sive sit proprium: sed simul, atque Diaconus pronuntiavit, *Ite Missa est*, Chorus dimittitur; vel si dies exigat, Subhebdomadarius confestim sextam horam inchoat, non præmisso *Pater*, nec *Ave*; ipseque regreditur in vestiarium cum Ministris, ubi Evangelium recitat.

2. Quod de pane fermentato scribis, Em. Card. fere omnis flos eruditorum, qui Parisiis celebrantur, in tuam sententiam descendit. Unus ex nostris paratum habet Volumen bene multis suffultum authoritatibus, quo hanc Ecclesiæ Occidentalis per novem Secula praxim tuetur, ac propugnat. Hoc opus tum proferet in lucem, cum imbecilles oculi splendori sincerissimæ veritatis assueverint. Doleo equidem, quod tam pauci veritatem sapiant; quodque tam multi detectam, & lucentem repudient. Est tamen adhuc terra ferax, quæ bonum semen admittit, licet sit quod a spinis suffocetur. Semen illud, quod serit E. V., maturescet aliquando, & Ecclesiæ horrea copiosissima fruge locupletabit. Hinc E. T. coronam texemus, quæ utilitatem nobis, & voluptatem attulit amplissimam: rogo Deum O. M., ut E. T. ad multos annos servet, quo malis consuetudinibus abolendis semper incumbas, mores nostros emendes, sacrosque ritus, ac disciplinam antiquo nitori restituendos cures. Lutetiæ Parisiorum Prid. Non. Februarii 1672.

3. Non gravabitur forsan E. T., si ipsam monere audeam, nonnullos, qui Breviario Romano hic utuntur, conqueri de his lectionibus S. Raymundi ex Breviario Dominicanorum fere ad verbum depromptis, quæ apud Bibliopolas nostros sub mandato Summi Pontificis circumferuntur. Hi sollicitudine tenentur, an istæ lectiones Romæ recitentur, an aliæ, quæ sint editæ. E. T. supplicant, ut eas ad me mittere, secus vero quid faciendum sit, indicare non dedigneris.

C C X L I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

FRANCISCUS COMBEFISIUS.

Acta S. Maximi, novumque Auctarium spondet.

AMantissimi Patris, atque Patroni libentissime parens consilio, carissimo Fratri R. P. Martelli, qui est ab Epistolis Romæ apud Reverendissimum Magistrum Ordinis nostri, nostræque Provinciæ jussi, ut gratissimum munus a te excipiat, librosque, quorum sic liberalis es, ad me tuto transmittat. Is est, qui Reverendissimi Abbatis Camberonensis libros obtulit; ac qui librum, cui prælum sudat, incluti tui nominis, ut audio, nuncupatione ornandum brevi oblaturus sit. Acta Maximi, si quod Romæ illi suppetat Exemplar, jussi dare: sin minus, transmittam cum meo novo Auctario, jam mihi ad umbilicum deducto, cum primum licuerit: in quo plura ex genio, & indole tibi placitura non dubito. Eminentissimum Principem, ac Patronum Cardinalem Barberinum datæ fidei submoneo, si quid vita superstite, integraque valetudine mihi liceat ejus ipsius Allatio, atque Hamartolo parentare. Apud meos Prædicatores ad B. Annuntiationem. Parisiis 9. Februarii 1672.

CCXLII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Communi Eruditorum Parisiensium suffragio approbatum gratulatur Opus Liturgicum.

1. NON possum mihi temperare, quin iterum tertioque tibi gratuler de tuo Opere plusquam aureo. Lego etenim illud, ac relego non modo attente, sed & volupe admodum, & multa, quæ me latebant, addisco. Legunt etiam D. Arnauld, & alii exemplum, quod tuo nomine eis obtuli; quod ipsi sentiant, prior tibi aperit, cujus literas mitto ad E. T.; non hic refero aliquorum judicium; uno verbo dicam: quotquot eruditi sunt Parisiis, quique me de opere tuo allocuti sunt, asserunt de Liturgiis tam docte, tam pie, tam utiliter hactenus scripsisse neminem; adeo ut Ecclesiæ fidem, & dogmata circa Augustissimum Missæ Sacrificium stabilienda, hæresumque monstra debellanda profuturas esse existiment istas lucubrationes. Deo sit gloria, cujus spiritus in animum induxit tuum, ut egregio huic operi studium, & labores impenderes.

2. Nos præterea jussu Reverendissimi P. Generalis indicavimus Superioribus Monasteriorum Congregationis librum de Liturgicis rebus editum esse Parisiis, quo istum sibi, & Monachis utilissimum comparare possint. D. Arnauld asseruit literulis suis transmissam a se *perpetuitatis fidei* &c. secundam Partem ad E. T., aliumque librum, qui in publicum brevi prodivit, se missurum pollicetur. Vive Ecclesiæ bono quam diutissime. Parisiis 19. Februarii 1672.

CCXLIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Observationes in ejus Opus Liturgicum una cum Epistola D. de Voisin ad se data transmittit, & rogat, ut eidem præstet, quæ expostulat.

QUamvis octo abhinc diebus E. T. literis convenerim, cogit tamen amicissimi mei V. Cl. D. de Voisin Epistola, quam ad me scripsit heri de tuo Opere Liturgicarum rerum, quod accurate, ac diligenter perlegit me rogante, tibi literulam exarare. In ea observatiunculas videre est, queis vir ille integerrimus juxta ac eruditissimus quædam notat sibi non arridere tuo in Opere; atque ut clarius E. T. innotescant, transmitto Epistolam, & quæ in ipsa ab E. T. expostulat. Obnixe rogo, ut illi præstes, si commode fieri possit, utpote digno (ausim dicere) tua benevolentia, & gratia. Incumbit siquidem operi longe utilissimo, ut quidem sentio, nimirum continuata serie probat in Ecclesia Missam celebratam, referens Missas in unoquoque seculo solitas decantari, ac proferri. Unde conjicies haud dubie opus ipsius abs tuo fore dissimile, licet de Missæ Sacrificio pertractet. D. O. M. ani-

animitus exoro, te nobis diutissime servare incolumem. Parisiis in Monasterio S. Germani die 26. Februarii 1672.

Prælaudati Viri Clarissimi D. de Voisin Epistolam ad Dacherium scriptam, ut Eruditorum curiositati fiat satis, placuit hic subnectere.

Reverendissimo P. D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES DE VOISIN.

De Eminentissimi Bona Rerum Liturgicarum Libro.

I. Legi accurate Librum Rerum Liturgicarum ab Eminentissimo Cardinali Bona editum. Nihil in illo genere eminentius, nihil elegantius, nihil solidius hactenus vidi. Unum est, in quo hæreo. Optime probat Eminentia sua Ecclesias Provinciarum Galliæ, quæ erant in ditione, ac potestate Gothorum, uti solitas Missa Gothica. Sed quod spectat ad alias Galliarum Ecclesias, quo minus id mihi persuadeam, facit authoritas Fortunati Episcopi Pictaviensis, qui longe ante receptum in Galliis Ordinem Romanum vixit. Is lib. 4. de Vita S. Martini describens Missæ celebrationem Sanctissimi illius Præsulis Turonensis, hæc refert.

Immaculata Deo cum dona imponeret aræ;
Et Pater attonitus ceremonia Diva sacraret,
Munera vel Christi benediceret ore Sacerdos,
Imposita Altari rata Corporis, atque cruoris, &c.

Ubi clare designantur hæc verba Canonis Ambrosiani, & Romani: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta Sacrificia illibata*, quæ in Gothico Missali non reperiuntur. Præterea in Tomo Spicilegii tui edidisti Codegrandi Metensis Episcopi Regulam Canonicorum, in qua nullum verbum extat de mutatione Officii Gallicani: quamvis postea is primus fuerit, qui cantilenam, morem, atque Ordinem Romanæ Ecclesiæ servari præceperit. In Capite LXXVII. suæ Regulæ hæc verba Romani, seu Ambrosiani Canonis leguntur: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium*. Micrologus etiam cap. XI. lib. de Ecclesiasticis observationibus hanc refert orationem super oblatione juxta Gallicanum Ordinem: *Veni Sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrum*. Quæ verba non leguntur, ut opinor, in antiquo illo Missali Gothico Reginæ Sueciæ. Rogo te, ut hac de re consulas Eminentissimum Cardinalem, & petas, ut hanc ab eo consequi gratiam mereamur, ut jubere velit describi nobis integrum Ordinem Missæ, cum integro Canone ex antiquo illo Missali Gothico Serenissimæ Reginæ, cum integra Missa diei Paschatis, sive Resurrectionis Domini: nam in Missali mixto Mozarabum pleraque sunt inserta ex veteri Missali Toletano. Existimo in MS. Reginæ Sueciæ aliam reperiri præparationem Missæ, quam te enixe obsecro, ut petas describi nobis cum integro ordine, & cum forma Confessionis, & cum benedictione Paschali eo ordine, ac loco, quo est in illo Missali Gothico MS.. Si nobis hoc beneficium conferre voluerit Em. Card., pete, obsecro, ut Rubricæ exacte describantur; nam illa, quæ est in Missali Mozarabum, scilicet *Oratio post pridie*, non est, ut conjicio, in Missali antiquo Gothico Reginæ. Hæc etiam benedictio in Sabbato Sancto Paschæ, quæ incipit in Missali Mozarabum:

Deus,

Deus, qui solus habes immortalitatem &c., utrum sic legatur in MS. Gothico Reginæ, plurimum interest scire; pete, obsecro, ut etiam illa describatur, si est diversa ab illa Mozarabici Missalis.

2. Et nisi molestus tibi sim, roga etiam, ut Em. S. velit nos docere qualis sit Benedictio Episcopalis in Missa Paschali juxta ordinem Mediolanensis Ecclesiæ (*a*), & quo in loco Missæ dicatur: nulla enim reperitur in Missalibus Ambrosianis impressis. Poterit reperiri vel in MSS. Missalibus antiquis, vel in Pontificali Mediolanensi. Vale Reverendissime Pater, & me ama.

(*a*) Cum nulla in Schedis, vel in MSS. Eminentissimi Cardinalis hujus Benedictionis Paschalis juxta ordinem Mediolanensis Ecclesiæ memoria sit reperta, consului Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Gasparem Biragum Metropolitanæ Basilicæ Canonicum Ordinarium, virum nobilitate generis, morum suavitate, reliquarumque virtutum compendio ornatissimum, tunc Romæ commorantem, nunc Episcopum Bobiensem, qui datis ea desuper re literis ad Perillustrem, & admodum R. D. Casinium in eadem Metropolitana sacris cæremoniis Pro-Præfectum, hanc ab eo notitiam habuit: *In nostro Cærimoniali Ambrosiano* Tit. de forma publicationis *Indulgentiarum hæc habentur: In majoribus autem solemnitatibus aliquando id solemnius præstetur; videlicet, ut cantata confessione per Archidiaconum, Lectores in Choro versus Pontificem primo canant: Princeps Ecclesiæ, Pastor ovilis, Tu nos benedicere digneris. Tum Diaconus prædictus respondeat: Humiliate vos ad benedictionem. Post Notarii, & Mazecronici humili voce concinant: Deo gratias semper agamus. Demum Archiepiscopus solemniter benedicit, ut supra.* Prædictam benedictionem amplius non esse in usu, & antiquitus non fuisse propriam solius diei Paschalis, sed aliarum quoque majorum solemnitatum, docet citatus Casinius in ritibus Ambrosianæ Ecclesiæ tum veteribus, tum recentioribus versatissimus. Eam tamen licet ad Pascha solum non spectet, hic exscribere placuit, ut ex ea aliqua lux afferatur, & ex veterum Mediolanensis Ecclesiæ rituum memoria non obsolescat, & pereat.

CCXLIV.

CLAUDIO CASTELLANO Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis Canonico

JOANNES Cardinalis BONA.

Mentem suam circa fermentati disquisitionem aperit.

BEnevolentiæ tuæ, ac veteri amicitiæ tribuo, quod mearum rerum Liturgicarum lucubrationem aliquid esse putes: & conatus meos, improbumque laborem in multis Codicibus præsertim MSS. evolvendis benigne commendas: nam mihi satis superque fuisset, si erroribus, quibus scatet, & tu ignosceres, & ab aliis eruditis veniam impetrares. Noveram hoc opus vires meas excedere, & nonnisi ex præcepto Cardinalis Pallavicini (*a*), ac ipsius Summi Pontificis Alexandri VII. coactus illud aggressus sum, ut in Præfatione dixi: quod vero attinet ad fermentatum, disquisitionem illam scripsi, cum essem in Monasterio, urgente eodem Pallavicino, qui cum in ea sententia esset, quam probabilem defendo, jussit, ut diligenter inquirerem quidquid ad eam pertineret. Cui cum paruissem, ille immatura morte decessit; ostendi autem illud Capitulum aliquot viris judicio, & eruditione non mediocriter præditis, qui meæ opinioni subscripserunt, & eam authoritate sua, quam plurimi faciebam, confirmarunt; vix tamen editus est liber, cum statim a quibusdam Scholasticis non distinguentibus

a rebus

(*a*) Fuit is Cardinalis Sfortia Pallavicinus e Societate Jesu, ob ejus virtutes ab Alexandro VII. dictus Cardinalis 10. Martii 1659. quique obiit die 5. Junii 1667.

a rebus fidei ea, quæ rituum, & disciplinæ sunt, excitatæ sunt turbæ, quas certe si prævidissem, vel illam disquisitionem omisissem, vel problematice pertractassem: sed fortasse id permisit Divina Providentia, ut veritas, quam solam quæro, tandem purior emergat, & illucescat. Ego enim protestatus sum me semper, & ex animo paratum certiora docentibus consentire. Deinde usum Azymi non negavi: & fortasse, ut dixi, promiscuus tam Azymi, quam fermentati usus fuit. Sed quando cœperint Orientales uti fermentato; an primis Ecclesiæ Seculis omnes convenerint; quo tempore, qua occasione mutatio facta sit, certe non liquet. Fateor etiam me nihil habere, quod demonstret, & evincat usum fermentati in Occidente: nam argumenta, quæ profero, nonnisi probabiliter concludunt; sed nodi multi sunt in utraque parte accuratius enodandi, nec mihi occupatissimo, ut ipse nosti, tantum otii fuit, ut emergentes difficultates accuratius examinare potuerim. Nuper Vir eruditus monumentum quoddam attulit mihi, ex quo constare existimat tempore Photii viguisse apud Latinos usum Azymi: & ex hoc corrueret argumentum, quod ex silentio Photii deduxeram, & mihi magni ponderis videbatur. Utinam ille Doctor, qui prælo paratam habet hac de re eruditam Dissertationem, illam citius edat, ut latens veritas detegatur. Item si posses argumentorum, quibus potissimum utitur, certiorem me facere, id gratissimum mihi esset. Officium S. Raymundi de Pennafort sub ritu semiduplici de mandato Clementis X. celebratur die 23. Januarii, sed totum accipitur de communi. Vale, & adjuva me in orationibus tuis; ego vero vicissim Deum oro, ut te diu incolumem servet, donisque cœlestibus locupletet. Romæ Kalendis Martii 1672.

CCXLV.

D. PETRO DE GOUSSAINVILLE
JOANNES Cardinalis BONA.

Nullibi S. Gregorii Magni Pastoralis versionem Græcam repertam dicit.

CRedo te in vanum laborare, dum versionem Græcam (a) Pastoralis Gregorii Magni enixe quæris. Magnum quidem ornamentum editioni tuæ afferret, sed periit, ut puto; vel aliquo in loco pulvere, & situ consumpta delitescit. In Bibliotheca Vallicellana PP. Oratorii non reperitur: nam omnes indices, & omnia loculamenta, & capsulas, in quibus Codices MSS. asservantur, unus ex meis domesticis, vir eruditus, diligentissime perlustravit. Si qua alia in re studiis tuis prodesse possum, libentissime faciam. Romæ die 8. Martii 1672.

(a) Hanc jacturam versionis Græcæ deplorant PP. Benedictini in Præfatione ad novam editionem ejusdem S. Gregorii Magni pag. 1. Tom. II.

CCXLVI.

CCXLVI.

FRANCISCO COMBEFISIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Quæsitos spondens libros, pollicitaque sibi quoque gratissima fore asserit S. Maximi Acta, novumque Auctarium.

OPus P. Galani in tres Tomos in folio distinctum de conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana dudum comparaveram, ut simul cum his literis mittam R. P. Secretario, & socio Reverendissimi Patris vestri Generalis, ut ad te deferri curet, sicut ipse mones. Mandavi etiam Bibliopolæ amico meo, ut secundum Tomum Pachimeris quærat, quem eidem Patri tradam, & si quid aliud possum, oro ne parcas mihi. Acta S. Maximi gratissima mihi erunt, sicut & alterum Auctarium tuum: nam singularem eruditionem tuam plurimi æstimo. De Hamartolo iterum loquar cum Cardinali Barberino. Vale, & ora pro me. Romæ 15. Martii 1672.

CCXLVII.

D. LUCÆ DACHERIO
JOANNES Cardinalis BONA.

De erroribus in Opere Liturgico emersis admoneri cupit.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ D. Arnaldi amici tui, utpote viri, quam ob insignem sapientiam mihi summopere commendas: precorque, ut meas, quas a D. Antonio d' Urban recipies, illi tradas. Librum meum nolo ut laudes, sed potius oro, ut ignoscas temeritati meæ, quod opus aggressus sum viribus meis impar: & de erroribus, qui multi sunt, me amice, & sincere admoneas. Jussus scripsi; & hoc nomine veniam mereor: alioquin nunquam ausus fuissem Mysterii Augustissimi dignitatem ingenii mei temeritate violare. Vere, & ex corde loquor:

Cum relego, scripsisse pudet, nam plurima cerno
Me quoque, qui feci Judice digna lini.

Reverendissimo P. Generali, & D. Joanni Mabillonio plurimam salutem dico. Vale, & ora pro me. Romæ 15. Martii 1672.

CCXLVIII.

LUCÆ DACHERIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Observationibus D. de Voisin facit satis, seque curaturum spondet, ut, quæ desiderat, exscribantur.

LIbentius audio libri mei censuram, quam laudes: atque ideo vellem, ut D. de Voisin errores mihi indicaret, quos in eo reperit, quandoquidem scribit a se accurate perlectum. Sed pepercit mihi; & in hoc dumtaxat a mea sententia discedit, quod officium Gothicum putat ad eam solam partem Galliæ restringendum, quæ Gothorum imperio subdita erat. Et quia de hac re quid ipse sentiam,

exqui-

exquirit; ideo obsecro primo, ut expendat quod scripsi cap. 12. lib. 1. §. 5. nam Hilduinus, & Carolus Calvus diversum a Romano ritum in universa Gallia ante Pipinum fuisse affirmant. Qualis autem hic fuerit, testatur Carolus, qui ab Ecclesia Toletana Presbyteros adscivit, ut prisco ritu in Galliis olim usitato coram se celebrarent. Deinde non videntur mihi evidenter concludere argumenta, quibus nititur. In versibus Fortunati Sacrificium oblatum a S. Martino describentis memorantur *dona*, & *munera* imposita Altari: ergo, inquit, designantur verba Canonis Romani: *Hæc dona, hæc munera &c.*, sed hisce vocabulis communiter utuntur SS. PP. agentes de Sacrificio. Codegrandus a re editus revera agit de Canone Romano cap. 77. suæ regulæ; sed hic vixit tempore Pipini, qui ritum Romanum in Galliam introduxit: & aliunde constat Ecclesiam Metensem Romanis ritibus addictissimam fuisse. Ex Micrologo nihil prorsus concluditur.; nam Author illius libri vixit post annum 1000. Cæterum quæ sibi describi optat ex Missali Gothico Serenissimæ Sueciæ Reginæ, mittam quamprimum, non tamen omnia, quæ desiderat, in eo Codice sunt; desunt enim Rubricæ, & alia multa, ut ipse notavi capite cit. §. 6. post Missam S. Martini. De Benedictionibus Episcopalibus juxta ordinem Ecclesiæ Mediolanensis scribam Eminentissimo Cardinali Littæ ejus Archiepiscopo (a), qui me de his certiorem faciet. Si qua alia in re operi utilissimo ipsius D. de Voisin prodesse potero, operam meam libenter impendam. Hoc opto, ut sciat; meque tuis precibus enixe commendo. Romæ 22. Martii 1672.

(a) Litta Alphonsus sacra donatus fuit Purpura ab Alexandro VII. 14. Januarii 1666. obiit V. Kalendis, Septembris 1679. ætatis 71. De Benedictionibus vide notam ad Epistolam Joannis de Voisin, Epist. sub num. CCXLIII. annexam.

CCXLIX.

D. DANIELI PAPEBROCHIO Societatis Jesu

JOANNES Cardinalis BONA.

Blavianæ Typographiæ incendium deplorat.

ANte aliquot dies læto, & exultanti animo scripsi tibi, & congratulatus sum, quod Aprilis vester elegantissimis typis a D. Bleau cuderetur. Nunc autem ex vulgato isthic nuncio, quod ejus insigne typographium cum omnibus libris, torcularibus, & characteribus luctuoso incendio consumptum sit, maximo, & irreparabili non tam ipsius, quam omnium literatorum damno, versa est in luctum cithara mea: nec satis possum verbis exprimere, quanto mœrore affectus sim. Vereor enim, ne hoc infortunium editionem vestram, quam omnes pii, & eruditi vehementer expectant, in longum protrahat. Me etiam summopere angit, & cruciat timor, ne forte ipsi Autographo pepercerit ignis. Precor igitur, ut hac sollicitudine, & cura & me, & amicos omnes liberes; nam ut ille ait: *Est res solliciti plena timoris amor*. Quod vero attinet ad mea Liturgica, etiamsi exemplar, quod isthic erat, perierit, nihil perdidi; nam alia supersunt; & ista editio differri commode potest, cum præsertim Parisiis a D. Ludovico Billaine recusa sint. Precor Sanctos, pro quorum honore laboras, ut tibi semper assistant; meque tuis precibus enixe commendo. Romæ 26. Martii 1672.

C C L.

D. PETRO VAN-BUSCUM Canonico Pœnitentiario Gandavensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Quæ in transmisso libello censuram merentur, & scandalum generare possunt, exponit.

GRatiæ mihi fuerunt literæ tuæ, & iis adjunctus libellus octo regulas continens de studio Theologico instituendo; sed, ut verum fatear, mihi displicuit, quod propter illum dissidia hic orta sint, & excitatæ turbæ a Religiosis viris, qui maxime deberent intra limites modestiæ, & christianæ charitatis se continere: ex his enim palam fit partium potius, quam veritatis studio decertari, & prætextu tuendæ fidei odia excitari, cumque ex una, & altera parte censuræ, invectivæ, & apologiæ non sine mordacitate scribantur, lites in longum protrahuntur, & libellorum non erit finis. Regulæ tuæ, si sano modo intelligantur, Orthodoxæ videntur: sed in iis explicandis quædam, ut ipsemet agnoscis, exciderunt, quæ revera delicatioribus animis offendiculo esse possunt (a); nam quod dicis sustineri a Scholasticis multas propositiones hæreticas, nimis acerbum est. Nec facile Scholastici admittent magnam probabilitatem in his reperiri, quæ fidei repugnant. Dura quoque est animadversio in Patres Concilii Tridentini, quod Traditionum indicem non confecerint, & Concilio Basileensi nimium tribuis. Quædam similiter sunt, quæ, licet vera sint, poterant tamen aut prætermitti, aut clarius explicari. Ceterum si quid potero, operam meam pro te libenter impendam, & pro viribus satagam, ne inanis sit spes, quam in patrocinio meo posuisti; quod re magis, quam verbis per me probaturum confido; me interim tuis precibus commendo. Romæ 9. Aprilis 1672.

(a) Prohibita fuit Defensio Petri Van-Busci adversus ea, quæ Pater Egidius Estrix in libro a se edito, cui titulus *Diatriba Theologica &c.* opposuit Instructioni ad Tyronem Theologum. Apologia quoque prohibita fuit, ut videre est in Indice librorum prohibitorum.

C C L I.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES DE VOISIN.

Pro Opere, cui incumbit, de nonnullis ab eodem edoceri petit.

1. VOta mea prævenit mirifice E. V. benignitas. Quantum de tanto beneficio lætor, tantum de mea tenuitate confundor, qui nullas E. V. gratias referre non valeam. Opus elaboro, in quo singulorum Seculorum Latinas Missas integras ex variis MSS. Codicibus erutas repræsento. Gallicana mihi deerat antiqua, nec me tam felicem fore sperabam, ut eam invenire possem; sed hujus me felicitatis compotem esse fecit E. V., quam enim ex Codice Palatino, & ex Reginæ Sueciæ Apographo edidit, eam Gallicanam esse nullatenus dubito: quotidie enim mihi occurrit aliquid, quod me in ea, quam nos docuisti, sententia magis, magisque confirmet. In Missa diei Paschæ, quam ad me mittere dignata est E. V., quædam argumenta

menta reperio; Lectio prima ex Prophetis desumpta est, ut colligitur ex his verbis: *Post Prophetia*. Id autem ex antiqua Missa multæ Ecclesiæ nostræ, etiam post receptum Ordinem Romanum, diu retinuerunt, ut patet ex antiquis MSS.. Secundo, Apologia, quæ in hac Missa reperitur, arguit eam Missam esse Gallicanam: in Missis enim nostris antiquis multæ hujusmodi extant Apologiæ.

2. Unum est, quod vestra cum venia scire optarem, Em. Card., an ista verba Missæ Paschalis: *Sacrificia per te instituta sanctifica non invitantis merito, sed sacrificantis exemplo &c.* præcedant immediate consecrationem: & quæ sint verba tam in Missa S. Stephani, quam in aliis, quæ præcedant immediate consecrationem: quæque respondeant his verbis Mozarabum: *adesto adesto*.

3. Patere quæso, Eminentissime Cardinalis, ut obsecrem E. V., ut tam ex Codice Reginæ Sueciæ, quam ex Missali Palatino verba præcedentia consecrationem, & verba ipsius consecrationis mihi exscribi jubeat: nec dedigneris me docere, quæ Prophetia, quæ Epistola, quod Evangelium legatur vel in Missa Paschali, vel in aliqua alia.

4. Locus Micrologi, ubi ait in Missa Gallicana hanc orationem dici solitam: *Veni Sanctificator Omnipotens, æterne Deus &c.*, mihi persuadet hujusmodi orationes, quas habemus in antiquis Missalibus, in Graduali, Offertorio, & communione, easdem esse, quæ in antiquis Missis Gallicanis dicebantur varie secundum varios Ecclesiarum usus; etenim cum receptus est Ordo Romanus, in quo in illis Missæ locis nihil dicendum notatur, existimo Galliæ Præsules retinuisse, quod in his locis dicere antea solebant: verum hanc meam conjecturam vestro subjicio judicio. Magnum hoc est, cum studiis ipse maxime polleas, ea in aliis etiam minima complecti. Deus te per multos annos Ecclesiæ suæ servet incolumem. Lutetiæ Parisiorum die 21. Aprilis 1672.

CCLII.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi
JOANNES Cardinalis BONA.

Ut tertia Operis Liturgici editio auctior prodeat, se curaturum dicit.

DUdum perceperam luctuosum incendium Blavianæ Typographiæ, quod mihi summopere displicuit, tum ob privatum Viri de literis optime meriti dispendium, tum ob commune Reipublicæ literariæ damnum. Quod vero attinet ad mea Liturgica, licet plurimi æstimarem istbic recudi elegantissimis typis, ex quibus operi ex se ineleganti magnum decus accessisset: quia tamen novissime Parisiis recusa sunt a D. Ludovico Billaine, differri poterit inchoata isthic editio, donec distracta sint Exemplaria Romanæ, & Parisiensis editionis. Interim curabo, ut tertia auctior sit: habeo enim multa suis locis addenda, & in meliorem formam secundis curis, quæ sapientiores sunt, redigenda. Gratias autem maximas ago benignitati tuæ, quod de rebus meis adeo sollicitus sis, precorque, ut item nomine meo D. Bleau hoc officium præstes ob propensam, quam erga me ostendit, voluntatem, cui mutuam vicem reddere paratus sum, si quid in Urbe possum. Libelli nuper Lovanii editi gratissimi mihi erunt. Sed oro, ut memineris mei ultimi colloquii ante tuum ab

Urbe discessum, nec patiaris me multa a te beneficia accipere, nulla reddere. Deum oro, ut te bonis cœlestibus locupletet. Romæ 23. Aprilis 1672.

CCLIII.

JOSEPHO MEGE' Monacho S. Mauri

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro libro de miraculis Deiparæ sibi nuncupato grates reddit.

LIbrum de miraculis B. Virginis, quem nomine meo inscribere voluisti, grato animo suscepi, & summa animi jucunditate magna ex parte perlegi. Eo autem acceptius hoc munus fuit, quo illud mihi destinaveris nullo a me beneficio præventus, nulloque alio merito provocatus, nisi quod vestram Congregationem plurimi facio, & unice amo. Reliquæ considerationes, quas in Epistola Dedicatoria benigne exprimis (*a*), ad me non pertinent: ostendis enim, qualis esse debeam, non qualis sim. Ita nimirum hominum conditio fert, ut e longinquo major reverentia accedat, fama res supra modum extollente. Huic testimonio conscientiæ meæ obsecro ut credas, tuisque precibus, quod mihi deest, a Deo impetres. Ego interim gratias tibi ago, libentissime redditurus, si aliquam mihi occasionem præbueris. Romæ 3. Maji 1672.

(*a*) Liber, de quo hic agitur, & in cujus Dedicatoria honorifica de Cardinali dicuntur, hunc præfert titulum: *La Sainte Montagne de notre Dame de Rochefort*, impressus Tolosæ anno 1671.

CCLIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS COMBEFISIUS
Ordinis Prædicatorum.

Quosdam eidem libros mittens, pro aliis ab ipso sibi destinatis gratias agit.

OBlatam occasionem citius mittendi Exemplar vitæ, actorumque Maximi Confessoris ad E. T. cum ejus libri exemplis, quem illi inscripsit Reverendissimus Abbas Camberonensis libens accepi; tametsi cum Auctario aliud Exemplar tradideram, D. Billaine opera transmittendum. Utinam quam promptus animus vota in te mea liceret explere. Audio libros tradidisse, quos rogaveram R. P. Socio, ac quasi jam acceperim, pro tua destinatione gratias ago immensas. Maximi Tomum alterum, quam urgeri vellem, ut tanto vindice gauderet, quam Matrem suspicio, S. Romana Ecclesia. Vix ullus Sanctorum, atque Doctorum, qui strenue magis in rem ejus, & laudem, ac incolumitatem incubuerit. Agnoscebat in ea Christianitatis arcem, fidei columen. Fruere, Princeps optime, quibus licet interim donare: aliorum expectatione desiderium solare, Sacrique Collegii in multos annos decus, ac splendor fulge. Apud meos Prædicatores Lutetiæ Parisiorum ad Sanctissimam Annunciationem V. Nonas Maji 1672.

CCLV.

CCLV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

JOANNES BAPTISTA THIERSIUS Presbyter Carnotensis, & Baccalaureus Theologus Parisiensis

Cardinalem exorat, ut errores, ob quos ejus Liber a Sacra Congregatione suspensus est, donec corrigatur, sibi significare non gravetur.

UBI primum de censuræ nota audivi, qua unum ex meis Tractatibus Sacra Indicis Congregatio sic confixit: *De Festorum dierum imminutione authore Joanne Baptista Thiers, donec corrigatur*; venit in mentem mihi, ut ad te scriberem, quamquam, ut opinor, ne quidem notus ex nomine. Tam multa enim, tam præclara, tam mira de tua benignitate accepi ab hominibus mihi maxime necessariis D. Luca Dacherio, D. Joanne Mabillonio, & Petro de Goussainville, eaque mihi ex Operum tuorum lectione, cujus studiosissimus sum, & in qua plurimum me proficere utique profiteor, adeo confirmata sunt, ut maxime dubitem, quin *ad omnes maxime autem ad domesticos fidei*, ut ait Apostolus Gentium, quantumvis incognitos, *bonum digneris operari*. Verum me Dignitatis tuæ splendor purpuratus, eruditionis amplitudo, quam in novissimo Rerum Liturgicarum Opere non possum prædicare satis, summa nominis celebritate virtutes, quas in te eximias suspicit Orbis Christianus, ab instituto revocarunt. Re tamen cum amicis communicata, statim atque non injucundam sibi futuram Epistolam meam, certior factus sum, animum ad scribendum appuli, etiam atque etiam rogans, ut quid in volumine meo corrigendum invenerit S. Congregatio, pro tua singulari bonitate aut mihi, aut amicorum alicui significandum cures, quo corrigam. Grave siquidem esset mihi ingentis *de Festorum dierum institutione, incremento, & imminutione* Operis editionem meditanti eosdem errores replicare, qui jam semel sapientissimorum Censorum animos offenderint; quorum a sententia vel transversum unguem discedere piaculo duxerim. Accedit, quod, cum propitio Christo (verbis utar S. Augustini) *Christianus Catholicus sim, & mori cupiam*, nihil mihi potius sit aut antiquius, quam ut me obsequentem Romanæ Ecclesiæ Filium omnes intelligant. Illud autem qui fiet, si quis veritatis amans plusquam mei, & mei etiam, si amari dignus sum; errores meos mihi non indicaverit, ut in editione altera, quam propediem editurus sum, libri de Festorum dierum imminutione amplius non compareant: atque ita innotescat universis, quorum in manus Exemplar istud secundis curis emendatum devenerit, quam ex animo in ipsius Epilogo scripserim cum Nicolao de Clemangis Archi-Diacono Bajocensi: *Si alia, quam vera, utilia, fideliaque animadverterint lectores, mibi illa dignentur indicare; & ego ex parato animo ad Catholicæ veritatis emendabo regulam, cum qua sentire, & in qua vivere, dum spiritus bos reget artus, semper, annuente Christo, institui.* Hoc a te summi beneficii loco præstolabor, sin minus causa mei, ac præfatorum illustrium Virorum, quos tua honoras benevolentia, & qui me sua amicitia dignum arbitrantur. Faciam apud ipsos, ut eo nomine grates tibi referant, quantum poterunt immortales; Deumque O. M. precabor, ut emenso feliciter hujus vitæ curriculo, quos in publicam Ecclesiæ utilitatem labores impendis, æterna beatitudine remuneretur. Vale. Carnoti III. Nonas Maji 1672.

Ad Gal. 6. 10.

CCLVI.

CCLVI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

DANIEL PAPEBROCHIUS.

Blavianæ Typographiæ damna ab incendio causata enarrat.

INfelici illo, cui E. V. compati dignatur, casu Typographiæ Blavianæ moram grandem invectam Aprili jam bene procedenti non possum diffiteri: quandoquidem hoc periculosissimo rerum Hollandicarum, imo Belgicarum omnium statu, nullum satis congruum offertur consilium circa locum, & tempus resumendæ impressionis Autographi. Damnum quodcunque fuit reparabile; nec nisi sex, vel octo foliorum; cetera fuere textus iterum ex Græco Latini faciendi. Pater Henschenius resarcivit omnia: solum Commentarium de B. Maria Ægyptiaca, quem maximo studio composueram, mihi restaurandum reliquit, cujus memoriæ adhuc inhærent argumenta præcipua, quibus Chronologiæ hac parte magna reformatione egentis stabilitur emendatio. Si triduo serius prorupisset ignis, absumpsisset amplissimos, laboriosissimosque de S. Francisco Paulano Commentarios, quos integris quinque mensibus non reparassem. Cautiorem me fecit ea res, ne tale amplius discrimen subeam, plus materiæ in manus Typothetarum dando, quam una hebdomada ipsi requirant. Hæc distinctius scribere volui, quoniam sic mandat E. V., seque inter tot gravissimas curas suas ostendit hac etiam non leviter tangi; interim E. V. lætissima omnia apprecans cum PP. Collegis, Sacræ Purpuræ humillime figo osculum, Antuerpiæ die 6. Maji 1672.

CCLVII.

D. JOANNI DE VOISIN.

JOANNES Cardinalis BONA.

Quæstionibus ab eo propositis facit satis.

1. NUnquam mihi molestum est eorum studiis operam impendere, qui nostræ Religionis mysteria illustrant. Opus tuum de Missæ Sacrificio multi laboris est, quem tamen compensabit utilitas. De veteri Missa Gallicana conjecturas meas tibi probari gaudeo, & gratias ago. Ceterum totius Missæ seriem describere, sicut ipse petis, & desideras, non possum, quia Codices antiqui Palatini, & Sueciæ Reginæ, quibus usus sum, nihil continent præter ea, quæ edidi in Missis S. Stephani, & S. Germani. Nullæ sunt in illis Rubricæ, nulla Prophetia, aut Epistola, nullum Evangelium, nullæ Antiphonæ, aut versus. Nam ut aliud, præter allata, exemplum afferam, in die Nativitatis Domini primo ponitur hæc inscriptio: *Ordo Missæ in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi*. Tum sequitur immediate Collectio post Prophetiam; deinde Collectio post Precem; Præfatio Missæ, Collectio post Præfationem, Collectio post Nomina, Collectio ad Pacem, Immolatio Missæ correspondens nostræ Præfationi, desinens in Hymnum *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Oratio post *Sanctus* brevissima, quæ sic concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui pridie, quam pateretur, accepit panem &c.*, & hic fit consecratio.

secratio. Sequitur immediate Oratio post Secreta, postea Oratio ante Orationem Dominicam, Benedictio populi, & Oratio post communionem. Hæc eadem, sed non ubique; sunt in aliis Missis absque mentione Prophetiæ, Epistolæ, & aliorum, quæ ad totius Sacrificii integritatem pertinent.

2. Verba illa Missæ Paschalis: *Sacrificia per te instituta sanctifica &c.* præcedunt immediate consecrationem, & in omnibus Missis Oratio post *Sanctus* antecedit immediate consecrationem, ut notavi in Missa S. Stephani pag. 91. editionis Parisiensis, & in Missa S. Germani pag. 95. hæc Oratio, quæ dicitur post *Sanctus*, omnino correspondet illi Mozarabum: *Adesto, adesto*.

3. Verba consecrationis in præcitatis Codicibus non sunt aliquo loco descripta: nam dicta oratio post *Sanctus* semper terminatur in nomine *Jesu Christi*: tum sequitur, *qui pridie quam pateretur &c.*, & reliqua verba, quibus fit consecratio, non exprimuntur. Exempli gratia in Missa S. Andreæ Collectio post *Sanctus*: *Vere Sanctus, vere Beatus, vere benedictus, vere gloriosus Dominus Noster Jesus Christus Filius tuus, qui Beatum Andream Apostolum primum electione, exinde certamine consecravit. Ipse enim pridie quam pateretur &c.* Ita Missa, quæ inscribitur: *In traditione Symboli* (a), *quando scilicet Symbolum tradebatur Catechumenis* post *Sanctus*: *Hæc est sine fine felicitas, hæc est Beatitudo sine termino sic Domino indesinenter hærere, ut ipse sit spes, ipse sit requies: in ipso vigilet negotium, in ipso otium conquiescat. sic cibum nobis præbendo vel poculum, ut quidquid perfiguravit in Mysteriis, reddat in præmiis per Christum Dominum nostrum: qui pridie quam pateretur &c.*, & brevissime in quadam Missa Dominicali: *vere Sanctus, vere in excelsis Omnipotens Dominus Noster Filius tuus, Rex Israel, qui pridie quam pateretur &c.*

4. Quod vero scribis, recepto Ordine Romano Præsules Galliæ aliquos ex veteri ritu retinuisse in his præsertim locis, in quibus idem Ordo nihil specialiter dicendum præscribit, verissimum existimo. De qua re aliquid dico lib. 1. Liturgicarum cap. 7. §. 6. Sic me arbitror satisfecisse quæstionibus a te propositis, Deumque rogo, ut te adjuvet, & diu servet incolumem. Romæ die 17. Maji 1672.

(a) Ecclesia Mediolanensis hanc Missam adhuc dicit in Sabbato ante Dominicam Palmarum.

CCLVIII.

JOANNI BAPTISTÆ THIERSIO Presb. Carnot.

JOANNES Cardinalis BONA.

Spondet se ea missurum, quæ in ejus Tractatu de Festorum dierum imminutione Censoribus displicuerunt, cum primum illorum notitiam habuerit.

1. Accepi literas tuas, quibus summopere delectatus sum: nihil enim mihi gratius, nihil jucundius accidere potest, quam hominum eruditorum amicitia, pro quibus operam meam libenter impendo, si studia eorum aliquo modo promovere, & eis prodesse valet. Librum tuum de Festorum imminutione dudum legeram, & quamvis in eo non probaverim nimiam potestatem, quam Episcopis tribuis, Festa immutandi, & tollendi: suspexi tamen multiplicem eruditionem tuam, rerumque Sacrarum, & Ecclesiasticarum peritiam. Hinc

Hinc factum est, ut te non quidem facie, sed meliore tui parte cognoscerem, & diligerem. Nunc vero ut te arctius amem, facit pietas, & modestia tua, qua te paratum offers ad ea corrigenda, & emendanda, quæ nostris Censoribus displicuerunt. Ea mihi propediem præberi curabo a Sacra Indicis Congregatione; & eum habuero, ad te mittam. Interim fidem tuam, & erga Romanam Ecclesiam reverentiam maxime commendo: Christianæ siquidem probitatis indicium est superiori Potestati obsequentem esse, & patienter reprehensionem ferre, quod certe non præstant, nisi qui maxime laudari merentur.

2. Quod autem meam Rerum Liturgicarum lucubrationem tuo favore prosequeris, benignitati tuæ adscribo: precorque, ut ignoscas, quod Augustissimum Mysterium rudi stylo deterere ausus sim. Jussus feci, ac propterea veniam mereor. Deum precor, ut quidquid sancte desideras, tibi largiatur; meque vicissim tuis orationibus enixe commendo. Romæ 7. Junii 1672.

CCLIX.

JOANNI BAPTISTÆ THIERSIO Presb. Carnotensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Ea describit, quæ Sacra Congregatio corrigenda jussit, & nonnulla, quæ sibi correctione digna visa sunt, innuit.

1. QUandoquidem librum tuum de Festorum imminutione recudere, & emendare desideras, ea primum describam, quæ Sacra Congregatio corrigenda præscripsit: tum, bona venia tua, quædam a me olim observata adjiciam. Illa ad hoc unum rediguntur, quod nimirum cap. 45. & alibi sæpe doces, posse ab Episcopis rescindi Festa, quæ veteri institutione, & consuetudine ab universa Ecclesia celebrantur; & quæ ab ipsis Apostolis sunt ordinata; Divini quoque Officii recitationem, & jejunia in eorum pervigiliis tolli, transferri, & immutari. Hæc sane nimia potestas non solum Censoribus a Sacra Congregatione deputatis, sed omnibus passim Viris doctis displicuit, & merito: nam communes Ecclesiæ leges, ritus, & consuetudines ubique receptæ, ejus dumtaxat authoritate tolli, vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam authoritas, & potestas: alioquin ingens fieret disciplinæ, & Hierarchiæ Ecclesiasticæ perturbatio. Omnia igitur, quæ ad hoc caput pertinent, expungenda, vel corrigenda sunt. Item displicuit, quod in Præfatione Caramuelem perversæ doctrinæ Theologum vocas, quod certe nimis acerbe dictum est de Episcopo adhuc vivente (a), & initio cap. 40. eadem acerbitas repetitur illo in Epitheto *pestilentiores*.

2. Ego quoque quædam notavi, quæ prudentiæ tuæ examinanda propono. Primo, in prospectu libri satius crederem verba illa deleri: *pro defensione*. Secundo, clarius explicarem quod cap. 7. & alibi de Principibus secularibus loqueris, ac si etiam pro cultu Dei Festa instituere possint: id enim restringi debet ad actiones forenses. Tertio, abro-

(a) Erat Joannes Caramuel Episcopus Viglebanensis in Ditione Mediolanensi, ex Ordine Cisterciensi assumptus, cujus etsi plurimæ propositiones a Summis Pontificibus nigro theta inustæ sint; fatendum tamen est, eum plura docte, pie, & catholice scripsisse, ut legenti ejus lucubrationes paret. Quare perversæ doctrinæ neutiquam author dicendus.

abrogatum aliquando Festum Ascensionis eodem cap. 7. asseris, quod non probo. Forte expressum non fuit, sicut & Festum Pentecostes, quia notissima omnibus erant. Quarto, cap. 29. verba S. Bernardi ad festorum multitudinem extendis, cum de uno tantum loquatur. Quinto, cap. 30. & alibi auctoritati Erasmi nimium tribuis: nosti enim quis ille fuerit. Verba autem Gregorii, & Cypriani in fine capitis ad festorum multitudinem non faciunt. Hæc discretioni tuæ suggerere volui; quæ rogo, ut eo animo accipias, quo a me scripta sunt, tibique a Deo perennem precor felicitatem. Romæ 14. Junii 1672.

CCLX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

STEPHANUS BALUZIUS.

Quasdam in Opus Liturgicum a se factas observationes exponit.

1. QUod tardiusculе ad literas tuas datas die 6. mensis Octobris respondeo, Eminentissime Cardinalis, nolim mea culpa factum fuisse putes, sed ejus, qui huc deferri jussus est volumen rerum Liturgicarum, quo me donare voluisti. Accepi tandem illud, ac statim legi summa cura, & diligentia. Primum tibi amplissimas pro hoc munere gratias ago, Em. Card. quod me quoque pro tua humanitate cogitare dignatus sis in destinatione donorum tuorum. Deinde vere, & sincere dicam, vix ullum hactenus librum legisse me cum majori voluptate, utpote in quo bene multa deprehenderim diligenter, & erudite animadversa, & plurimam, ac reconditam sacrarum rerum cognitionem. Quandoquidem autem jubes, ut observationes meas libere ad te scribam, utar potestate mihi facta, ut tecum duo loca communicem, quæ deprehensa a me sunt in lectione veterum librorum diversa a vulgatis editionibus, adeoque, ut arbitror, meliora.

2. Principio valde probavi, doctissime Cardinalis, sententiam tuam de vocabulo Missæ; a qua qui recedunt, eos omnes errare puto. De loco tamen Aviti est nonnihil quæstionis, quod moneam; non ut dicam male acceptum a te esse, sed ut ostendam non injuria fortassis dubitate de lectione istius loci visum esse Sirmondum, qui in notis ad hunc locum ait nescire se, an præter Avitum a quoquam alio hactenus proditum, non in Ecclesiis modo, verum etiam in palatiis, prætoriisque usurpari Missæ nomen consuevisse, cum populus a Conventu dimittebatur. Sic autem habet in editione Sirmondi: *A cujus proprietate sermonis in Ecclesiis, palatiisque, sive prætoriis Missa fieri pronunciatur, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularis vitæ authoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis.* Voces itaque *palatiisque, sive prætoriis* desunt in veteri Codice, & *Missæ* vox usurpatur tantum pro sacra Liturgia, cum in editione Sirmondi ad palatia etiam, sive prætoria referatur. Tuum de his esto judicium, Vir amplissime, & eruditissime.

3. Ais alicubi, Emin. Card. *Dominicale*, quo fœminas, cum communicant, uti jubet Canon Armachatii Antissiodorensis Episcopi, fuisse linteolum illud, cujus meminit S. Augustinus in serm. 252. de tempore: *Mulieres nitidum exhibeant linteolum, ubi Corpus Christi accipiant.* Non me latet ita visum Baronio, Binio, Vossio, & aliis: sed ego semper aliter sensi, omninoque ita existimavi *Dominicale* illud fuisse genus quod-

dam velaminis, absque quo non licebat fœminis accedere ad sacram Communionem. Atque ut in ea etiamnum sententia perstem, facit antiquissima Collectio Canonum MSS. in quo Canon ille sic ad verbum legitur tanquam ex Concilio Matisconensi: *Si Mulier communicans Dominicale suum super caput suum non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet*. Conjecturam meam, quæ nunc manifesta videtur esse ob authoritatem antiqui Codicis, adjuvabat vetustus Ecclesiæ mos, quæ, ut Tertullianus docet in lib. de corona militis, censebat fœminam nudo capite videri non debere propter Angelos. Unde colligam, multo minus licitum fuisse illis ire ad Ecclesiam, & Eucharistiæ communicare capite nudo: necessariumque propterea fuisse, ut saltem illo tempore velatæ procederent. Præterea jam superiori Canone cautum erat, ne fœmina Eucharistiam acciperet nuda manu: ideoque frustra, ac supervacue in isto jussisset Armacharius, ut quælibet *Dominicale* suum haberet ad Communionem, si per *Dominicale* intellexisset linteolum ad accipiendum Sacramentum; unde sequi videtur illum per *Dominicale* intellexisse quidvis aliud præter linteolum illud. Tu tamen, Cardinalis amplissime, judicabis pro tua sapientia, & eruditione, an hæc mea *Dominicalis* interpretatio bona sit.

4. Absoluta est ferme nova editio Dialogorum Antonii Augustini de emendatione Gratiani. Initio præmitto satis amplam dissertationem de origine novi juris Canonici, & de vetustis Canonum, ac Decretorum Collectoribus, Reginone nimirum, Burchardo, Anselmo, Ivone, & Gratiano. Ceteros enim, quos nondum vidi, non attingam. In fine Operis addam aliquot notas, & emendationes meas ad Gratianum; cum primum vero absoluta erit editio, curabo unum exemplar ad te quantocyus deferatur, Em. Card. tuam censuram expectaturus. Lutetiæ Parisiorum VIII. Kal. Julii 1672.

De vocibus *Missæ*, & *Dominicale* lege Ducangium in Glossario, & Macros Fratres in Hierolexico, ubi diffuse agitur suis in locis.

CCLXI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

ANTONIUS LEWAITTE Camberonensis Abbas.

Panegyricum in D. Bernardi laudem ejus nomini inscriptum, hac addita Præfatione, transmittit.

1. DE Principibus in Ecclesiæ Regno Christi oraculum est: *Qui fecerit, & sic docuerit homines, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*. Is es Joannes Cardinalis. Cur ita? Facis, & quod facis, doces. Quid facis? Laudanda: ob quæ tamen non vis: vetas quinimo laudari. Scripsi aliquid in Mellei P. Bernardi nostri laudem: & tibi inscripsi. Scivit hoc Franciscus Dierix S. Salvatoris Antuerpiæ Abbas, & significavit. Rescripsisti: *D. Abbati Camberonensi salutem plurimam meo nomine dices: sed nollem eum ingenium suum occupare in meis laudibus; nihil enim in me est laude dignum, nisi quod ordinem nostrum plurimum amo, & pro ejus honore operam meam libentissime impendam*. Tuas exhorrescis laudes: & ex Bernardi præscripto, *ama nesciri*, illius quidem, sed & tuo. Ita Manuductionis tuæ ad Cœlum cap. 9. *Ambitio famam desideras, nec ullibi potentius vires suas exerit, quam inter hominum laudes. Apis si*

mel

mel fecit, equus si cucurrit, arbor si fructum protulit, nihil ultra quærunt: homo plausum desiderat, digitoque monstrari, & dici, Hic est.

2. Pugnas dein rationibus, & hanc valide impugnas vanitatem, ac pervincis. Quare, digito ori superposito tuas sileo laudes, obedio. Sed bona cum venia, o Bona! Sine me vel verbulum fari, ac Christi Domini repetere effatum: *Qui fecerit, & sic docuerit homines, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Magnus ergo, & jure Eminentissimus Cardinalis Joannes Bona; si id laudare est, & peccavi, ignosce. Ita tibi faveat Deus, donetque diu vivere, lucubrare, operari in Ecclesiæ bonum, Decus Cistercii sit dein a vita hac, virtutum tuarum, ac modestiæ imprimis merces magna nimis. Vovet tuus.

Hæc Epistola, seu dedicatoria impressa est libro prænotato: *D. Bernardus Priscorum Patrum ultimus &c.* edito Parisiis 1672.

CCLXII.

ANTONIO LEWAITTE Abbati Camberonensi JOANNES Cardinalis BONA.

Pro recepto Panegyrico sibi inscripto grates refert, & Apostolicum Breve cum aliis Indulgentiis mittit.

1. Panegyricum Sanctissimi P. N. Bernardi, sive ejus comparationem cum Samuele, & Davide simul cum literis tuis accepi, & cum maxima delectatione perlegi: propositum enim argumentum summa pietate, & elegantia, & judicio pertractas, ac multiplici eruditione sacra, & profana ita exornasti, ut plane tuleris omne punctum, miscens utile dulci. Quod autem meo nomini tuam hanc lucubrationem inscribere volueris, gratias medullitus ago, quæ tibi eo majores debentur, quo magis in hoc elucet benignitas tua, qua me nullis præcedentibus meritis prævenisti.

2. Altare privilegiatum pro vestra Ecclesia jam obtinui, non quidem perpetuum, quia sic nemini conceditur; curavi tamen, ut ad tres dies in hebdomada extenderetur. Si Breve hodie expeditum fuerit, his annexum mittam: alioquin id habebis hebdomada sequenti.

3. Prior vester nomine suo, & totius Conventus petiit a me, ut Indulgentiam plenariam quotidie lucrandam a gestantibus Numisma cum effigie B. M. Virginis, & S. Bernardi procurarem; sed Sedes Apostolica hujusmodi Indulgentiam post Gregorium XV. nemini concessit: ampliorem vero formulam indulgentiarum continet folium hic annexum. Summus vero Pontifex a me rogatus dat tibi facultatem, ut trecenta Numismata, seu medalias, ut præfertur, benedicere, & illis applicare valeas Indulgentias istas, & eas distribuere Monachis, & Monialibus tuæ jurisdictioni subjectis, atque horum Monasteriorum famulis, familiaribus, & benefactoribus, non autem aliis, & singulis tantum unam. Ceterum rogo te, ut, si qua alia in re tibi, tuoque Monasterio prodesse possum, religiosa libertate mihi significes. Vestras interim orationes pro me enixe flagito. Romæ 2. Julii 1672.

CCLXIII.

JOANNI DE VOISIN
JOANNES Cardinalis BONA.

Quædam ex veteri Codice excerpta ad eum transmittit.

MIssam diei Paschæ ex veteri Codice a me laudato lib. 2. Rerum Liturgicarum, quam desideras, statim transcribi curavi, prout in ipso Codice reperitur, nihilque continet præter Orationes, & Præfationem. Codex sic incipit: *In nomine Domini Jesu Salvatoris. Incipit Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ Ordinis anni circuli.* Ordo, sive series Missæ in eo extat. Canon est idem cum Romano, nisi quod adduntur post *Communicantes* nomina Sanctorum Dionysii, Rustici, Eleutherii, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti; & post verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*, sequitur hæc Rubrica: *Post hæc commonenda plebs pro jejuniis quarti, septimi, & decimi mensis temporibus suis pro scrutiniis, vel aurium apertione, sive orandum pro infirmis, vel ad nuntiandum Natalitia Sanctorum.* Vale, & pro me Deum exora. Romæ die 12. Julii 1672.

CCLXIV.

STEPHANO BALUZIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus in Liturgica observationes laudat, seque ex eis multum profecisse asserit.

QUod Liturgica mea legere, & pro tua benignitate probare volueris, gratias ingentes ago. Quod vero nimium illis peperceris, nec amice suggesseris quidquid dignum animadversione, & correctione deprehendisti; juste conqueror tecum: hoc enim summopere optabam, & jure contractæ inter nos amicitiæ exigebant, sciens quam sit mihi curta supellex. Atque utinam licuisset conatus meos tuæ censuræ subjicere, antequam ederentur; multum sane ex uberrima tua eruditione, rerumque Ecclesiasticarum peritia profecissem, sicut revera profeci ex his; quæ de nomine *Missæ* apud Avitum, & de *Dominicali* sapienter mones. Nec dubito, quin alia plura occurrerint simili modo emendanda; sed sicut tu pepercisti mihi, ego etiam tibi parco, quia gravioribus studiis es occupatus. Dudum videram in Catalogo quodam librorum venalium Dialogos antiquos Augustini de emendatione Gratiani cum notis tuis, & putabam editionem jam esse absolutam. Expectant hunc librum omnes literarum professores, & ego præ ceteris, qui te super omnes, qua mereris veneratione, prosequor. Deus te diu incolumem servet. Romæ 19. Julii 1672.

CCLXV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA JOANNES BAPTISTA THIERSIUS.

Tractatum de Festorum imminutione, quem recusum optat sub Cardinalis auspiciis, spondens se correcturum, ad observationes in eum factas respondet.

1. QUod jamdiu de tuo erga literatos homines amore singulari inaudieram, id nuper ego literatorum ultimus, datis a te mihi duabus Epistolis, cumulatissime expertus sum: ubi ea mihi nihil promerito dignatus es patefacere, quæ, sicut intelligo, paucis admodum evulgantur. Quibus enim unquam nisi aut dignitate, aut doctrina, aut pietate præstantibus viris sacræ Indicis Congregationis arcanum innotuit? Quandoquidem ergo illud mihi tuo favore non vulgari innotuit, meum erit jam de Festorum dierum imminutione lucubrationem ita recudere, & emendare, ut nihil in ea deprehendatur, quod Illustrissimis Censoribus non possit non probari. Faciam equidem non illibenter; sed antequam faciam, oro te, atque obtestor, ut ad ea, quæ corrigenda existimarunt, paucis mihi liceat respondere.

2. Unum displicere scribis, quod cap. 45. & alibi sæpe doceam posse ab Episcopis rescindi festa, quæ veteri institutione, & consuetudine ab Ecclesia celebrantur; & quæ ab ipsis Apostolis sunt ordinata. Divini quoque Officii recitationem, & jejunia in eorum pervigiliis tolli, transferri, & immutari. At hoc ego tum Concilii Tolosani, quod ab Eruditissimo, ac Religiosissimo Viro D. Luca Dacherio in Tom. II. Spicilegii editum est; tum Valentiniani, Theodosii, & Arcadii Imperatorum; tum denique Gallicanæ Ecclesiæ Pontificum authoritate innixus asserui. Nam & Tolosanum Concilium, & Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Ascensionis Dominicæ celebritatem silent, & Gallicanorum aliquot Episcoporum Constitutionibus Apostolorum quorumdam festa, per universam licet Ecclesiam frequentata, & jejunia in Apostolorum pervigiliis agi solita aut rescinduntur omnino, aut transferuntur, aut immutantur, quod ab iis præstitum dum refero, historicum ago, non doctorem.

3. Alterum injucundum esse notas, quod in Præfatione Caramuelem perversæ doctrinæ Theologum vocarim, quod certe, inquis, nimis acerbe est dictum de Episcopo adhuc vivente; & initio cap. 40. eadem acerbitas reperiatur in epitheto illo *pestilentiores*. Fateor ego, cum ista scriberem, Caramuelem in vivis agere, Episcopumque esse nesciebam; neque aliter noveram, quam ex opusculis quibusdam, quorum doctrina ad Christianos mores pie instituendos, non satis idonea mihi nonnullis in locis apparuit. Sed quoniam sacra Indicis Congregatio aliud autumat, cum ea sentire me jam profiteor, illiusque definitioni perpetuo adhæsurum.

4. Nunc ad ea venio, quæ meæ, ut ais, prudentiæ examinanda proponis; & quid de illis censeam, quoniam ita concedis, breviter expono. Primo, quæ in libri prospectu habentur *pro defensione &c.* lubens expungam. Secundo, etsi nihil juris sive ad instituenda, sive ad imminuenda festa seculi Principibus tribuerim: enucleatius tamen, te ita volente, meam eo loci aperiam mentem. Tertio, quid causæ fuerit,

rit, cur in eodem capite abrogatum Ascensionis diem Festum dixerim, satis liquet: aut cur in Imperatoriis legibus non compareat, in editione secunda explicabo; illudque revocari non debere, ostendam luculenter. Quarto. Bernardus quidem in Epist. 174. Conceptionis B. M. V. festum carpit, sed his verbis: *Patriæ est, non exilii*: ceterorum festorum multiplicitatem videtur quoque generatim condemnare. Quinto, etsi multa sint in Erasmi libris, quæ piis hominibus non arrident: in iis tamen plurima reperies, quæ severissimis quibusque judicibus accepta sint, quorum in numero arbitror esse ea duo, quæ in cap. 30. testimonia laudavi. Postremo, quæ in ejusdem capitis fine Gregorii, & Cypriani verba adducuntur, non mea esse, sed Petri Fabii Roquayrolsii ex ipso contextu intelliges: unde, si quid contra ejusmodi Sanctorum Patrum sententiam peccatum sit, uni Roqnayrolsio est adscribendum. Quamquam vero quæ hactenus in Operis mei defensionem attuli, plausibilia judicem; iis tamen haud ita addictus sum, ut si discedendum præcipias, statim non discedam. Nihil enim est, quod tuo jussu non exequar, qui vitam omnem meam ad nutum, & voluntatem tuam exigere maximæ gloriæ semper perducam. Argumentum erit secunda præfati Operis editio, quam studiose ad censuram tuam curabo; quamque, modo ne grave sit, sub Eminentissimi nominis tui auspiciis in apertam lucem prodire peroptarem. Interea tantum tibi me pro tuis meritis debere confiteor, quantum persolvere difficile est. Quod possum, immortales tibi gratias ago, agamque, quandiu vixero, quod nullis a me provocatus obsequiis tam prompto in me fueris animo, ut beneficia accepisse videaris, cum præstiteris. Cum vero nulla referendi facultas sit, animum certe gratum, ac memorem polliceor; meque, si alicujus pretii esse putes, quem tua benevolentia non tantum, sed & amicitia exornare non renuis, totum tuo peculio adscribo. Carnoti xv. Kalendas Augusti 1672.

CCLXVI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

CAROLUS GASPAR Archiepiscopus, & Elector Trevirensis.

Cardinalis patrocinium ad obtinendam taxæ moderationem pro Confirmatione Coadjutoriæ Trevirensis implorat.

UT E. V. in constituenda taxa pro Coadjutoriæ Trevirensis confirmatione afflictum Archi-Diœcesis meæ statum considerare, eamque ob causam notabilem aliquam remissionem, aut moderationem sua authoritate, & suffragio impetrare mihi velit, facile, opinor, patietur se exorari. Vix enim respirare aliquantulum datum est a diuturnis bellorum calamitatibus, quæ Patriam, atque hanc in primis Ditionem meam hactenus oppresserunt: cum novi jam terrores eadem pericula nobis ex propinquo admovent; unde immensis sumptibus in præsidia, aliasque necessitates in dies magis magisque gravatus, qualecunque hoc solatium a Sacro Collegio expetere, ac expectare audeo, confisus maxime E. V. benignitate, quæ immortali sic gratitudine meam sibi Ecclesiam devinciet, meque vicissim ad quævis, quæ a me proficisci possunt, officia promptissimum habebit. Talem enim me in omnibus offero occasionibus, ac E. V. a Deo ter O. M. omnige-

nigenæ felicitatis incrementa ex animo apprecor. Dabantur in arce mea Cherenbreitstein die 26. Julii 1672.

CCLXVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

JOSEPH CACHERANUS.

Theologiam assertivam Cardinali hac nuncupat Epistola.

ROmano conceptus in solo fœtus, Em. ac Reverendissime Princeps, ad clarissimum Romani Cœli sydus accurrit, ut lumen inde capiat, & robur, unde tantum literario Orbi decus, tantumque Ecclesiasticæ Reipublicæ ornamentum accedit. Et vero quem alium obscurioribus e typis erumpens ambire auspicem debuit, quam cui familiare tam est, & proprium splendida nominis sui fama typos illustrare, nec gloriosum minus doctis impallescere chartis, quam Sacra late Purpura coruscare? Quotus enim quisque, qui nesciat sapientum omnium in manibus cum magna admiratione versari, & tuam ad Cœlum Manuductionem, & Psallentis Ecclesiæ harmoniam, & Rerum Liturgicarum libros: quorum certe operum ista est vis, & significatio, ut alterum societatem tuæ mentis cum Cœlo maximam dilucidis manifestet indiciis: alterum & tertium tuæ tum eruditionis plurimæ, tum eximiæ Religionis harmonicam nimium consonantiam omnium ad aures suavissime concinant. Tractatum autem asceticum de Sacrificio Missæ, & viam Compendii ad Deum, alios præclari tui ingenii radios, quis non intelligat amplum esse Compendium haustæ a te propemodum toto pectore Divinitatis, ut tibi jure optimo vindicari Ovidianum illud possit: *Metamorph. 15.*

> Mente Deos adiit, & quæ natura negavit
> Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Hincque nil mirum, si pulcherrima, & prope divina, semperque legenda scribas, quod beatum: si scribenda semper facias, quod beatius: si utrumque simul absolutissime perficias, quod beatissimum. Fecisti utique scribenda, Em. ac Reverendissime Princeps, scriptis tamen nullis unquam satis commendanda, quando in Sacrorum Rituum, in Propagandæ Fidei, in Sancti Officii Congregationibus tam multa fudisti oracula; & in triplici almæ Urbis Areopago muneribus illis satis unus superque fuisti, quibus plures ægre sufficiunt. Quando intra Claustra omnibus Ordinis tui Consortibus integerrimæ vitæ ratione ad exemplum; prudentissimi regiminis præstantia ad votum; singularis amœnitate doctrinæ ad portentum præluxisti; gradusque alios feliciter emensus amplissimi Præsulis fastigium ad duo usque lustra decorasti. Quando extra Claustra insignium Virorum, illustrium Principum, ipsorum etiam Summorum Pontificum non beneficentia modo, & benevolentia, sed existimatione quoque, ac consuetudine te plane dignum ostendisti: quando Roma modestiæ obsecundans tuæ, Astensis Diœceseos Infulis a Regia Sabaudiæ Celsitudine ultro delatis te læta negavit, heroicam tuam tam in respuendis, quam in promerendis honoribus demirata constantiam: hocque sibi majorem in modum applaudens quod posset, te proprio in gremio præstantioribus Infulis reservare. Ex eo jam tempore te etiam reluctantem anhelabat Purpura; tuamque jam eruditionem, prudentiam, pietatem ambiebat. Quod

cum

cum providentissime perfectum est, proh! quanto omnium consensu, quantaque voluptate optatissimas gratulationes Italia vicissim tota Purpuræ detulit. Urbs vero tuis uberius repleta meritis, quam uberius & ipsa festivas se se in acclamationes effudit; quas ut mihi jucundissimum fuit aure avida excipere; sic & auspicatissimum Vestis oram tuæ ore venerabundo deosculari; ibique te Ecclesiæ Principem amica inter nobilium Procerum officia contueri, ubi te sæpius gravia inter celebrium Doctorum volumina pro tua facilitate conveneram, nunquam non ex te referens & altioris documenta sapientiæ, & purioris argumenta virtutis, & humanioris testimonia benevolentiæ: Hæc me jam E. T., primogeniosque labores meos sicut omnino devinxerant, ita & devoverant simul. Neque obsequentem animum ab audaci consilio potuit aut adjecta Purpuræ Majestas, aut longinquior demandata mihi Provincia deterrere, quando nec ostri fulgoribus benignitas tua perstringitur, nec possem ego tibi minus Parisiis debere, quam Romæ: qui ubicumque gentium futurus sim, nullibi debitor ero sat gratus. Quoniam vero ea inter, quæ tholis a me tuis appensa esse gestirem, nihil habeo, quod deferam aptius Theologia mea, qualecunque hoc observantiæ meæ monumentum æqui, ut spes est, bonique consules: atque ea præsertim de causa, quod indoles ipsa Theologiæ, quæ illustris, quæ excelsa, quæ divina est, quæ fidei magistra, & solis indagatrix æterni istud profecto efflagitat, ut perspicaces, & sublime volantes Aquilas, ut Augustos fidei Christianæ Propugnatores, ut Viros maximos, ac prope divinos, breviter ut tui similes Patronos inveniat. Patere igitur, Eminentissime, hanc in te adeundo fiduciam, quam mihi & humanitate tua fretus, & multis meis, multis meæ Patriæ, multis mei Ordinis (a) nominibus adductus assumo. Patere sacris manibus admoveri opus, ea saltem ratione placiturum, quod tanto Mœcenati debitum, dicatum, acceptum. Patere denique Theologorum minimum a Theologorum Principe implorare, unde suæ instauret Theologiæ detrimenta, æternumque sit. Parisiis die 1. Augusti 1672.

(a) Congregationis scilicet S. Pauli Decollati, sive Barnabitarum. Impressa porro est hæc Epistola nuncupatoria Tom. 1. Theologiæ assertivæ cusæ Parisiis eodem anno.

CCLXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES DE VOISIN

Rogat eum pro quorumdam dubiorum solutione.

1. Accepi quam ad me mittere dignata est E. T. Missam Paschalem Gelasianam. Beatum me fore puto, si sum is, qui tot benevolentiæ vestræ beneficiis inveniar dignus. Patere, quæso, Em. Card., ut quæ mihi veniunt in mentem, tuæ Eminentiæ exponam. Perpendenti mihi, cur plures libri Missalis Gelasiani, quam Gregoriani extarent olim in Monasterio PP. Benedictinorum, hæc mihi occurrit ratio, quia nimirum eos describebant ex Apographis Montis-Casini capitis sui Ordinis, quæ acceperant a S. Benedicti temporibus ante Correctionem Gregorianam.

2. Præ-

2. Præterea cum legerem Ordinem Romanum in Bibliotheca PP. hæc verba in consecratione Episcopi, paulo ante hunc titulum: *Qualiter Episcopus debeat ordinari ex Concilio Nicæno cap.* 4.: *Pontifex vero ponit manum super caput ejus, & dicit unam orationem in modum Collectæ; alteram vero in eo modulamine, quo solet contestatio cantari*. Hic hæsi dubius, quomodo in Ordine Romano inserta esset hæc vox *contestatio*, quæ Gallicanorum Missalium propria est: mox id mihi venit in mentem, Ordinem Romanum, quem habemus in Bibliotheca PP., eum esse, quem Romani Pontifices ad Gallos direxerunt: nam paulo post legitur hic titulus: *Incipit examinatio in ordinatione Episcopi secundum Gallorum institutiones*.

3. Hoc dubium certe solvi posse existimo ex collatione antiquorum MSS. Exemplarium Ordinis Romani puri. Id a tua Eminentia, si illi molestum non sit, optarem edoceri: precor Deum Omnipotentem, ut vos incolumes per multos annos servet Ecclesiæ suæ. Parisiis die 12. Augusti 1672.

CCLXIX.

JOANNI BAPTISTÆ THIERSIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Docilitatem ejus commendans, ad quædam ejus responsa facit satis.

MOdestiam tuam, & docilitatem laudo, quæ in Viris doctrina, & eruditione præditis vix invenitur, nisi scientiam, quæ inflat, vincat charitas, quæ ædificat. Hoc igitur nomine te magis diligo, quod sententiæ tuæ pertinaciter non adhæres, & promptum, paratumque te offers ad ea corrigenda, quæ non solum librorum Censoribus ab Apostolica Sede constitutis, sed & mihi privatim displicuerunt. Quod vero respondes te non temere ea scripsisse, sed authoritate Concilii Tolosani, & Christianorum Imperatorum, ac Gallicanæ Ecclesiæ Antistitum innixum, hoc facile tibi concedo; sed oportet illorum temporum historias, & edictorum occasiones exactius examinare, & alia multa perpendere, quæ Epistolæ mensuram excederent. Ipse etiam nosti, quæ, & quanta perturbatio in rebus Ecclesiasticis oriretur, si in his, quæ spectanr ad disciplinam, veterum facta producantur in medium, omissa quæstione juris. Scio etiam, quid de Caramuele, ejusque opinionibus sentiant Viri probi; sed parcendum dignitati, & abstinendum a verbis contumeliosis. Quod vero illa, quæ privato ipse nomine examinanda suggessi, æqui bonique consulueris, teque ea explicaturum pollicearis, uberes ago gratias: idque unum addo, quod nunc mihi venit in mentem: operis inscriptionem magis aptam fortassis futuram, si his verbis concipiatur: *De Festorum dierum celebratione*, quod tamen tuo arbitrio relinquo; pendet enim ex Operis argumento in secunda editione, quam moliris. Deus te incolumem servet, & ipsum pro me exora. Romæ die 17. Augusti 1672.

CCLXX.

FRANCISCO DIERIX Abbati S. Salvatoris Antuerpiæ Ord. Cist.

JOANNES Cardinalis BONA.

Ob restitutam in Hollandia fidem Orthodoxam, Religiosis quoque Monasteria restituenda fore non desperat.

REstitutam esse Orthodoxam fidem in pluribus Civitatibus, quas victricibus armis Rex Christianissimus, Deo pro ipso pugnante, expugnavit, summopere gaudeo: nec dubito, quin aliquando restituenda sint Religiosis sua Monasteria, cum id justitiæ, & piæ menti Fundatorum consentaneum videatur. Sed fortassis huic negotio manus admoveri non poterit, donec terminetur bellum. Quod si verum est, quod scribunt plerique, ineundam brevi aliquam compositionem inter Christianissimum Regem, & Ordines Hollandicos, ex ea status rerum pendebit. Quare nunc intempestivæ mihi videntur literæ commendatitiæ, quas petis, ut fusius audies a P. Alberto. Scribam igitur, cum opportunum fuerit, tum Card. Bullionio, tum Reverendissimo Vicario Apostolico. De libro mysticarum institutionum rogo, ne amplius sollicitus sis: ejus enim quædam exemplaria accepit quidam Pater Carmelita amicus meus, qui unum mihi pollicitus est. Vale, & ora pro me. Romæ 20. Augusti 1672.

CCLXXI.

MARTINO REMY Ord. Min. S. Francisci

JOANNES Cardinalis BONA.

Zelum ejus pro Missionibus acceptum fuisse dicit Congregationi de Propaganda Fide.

QUod ante discessum tuum ab Urbe tibi dixeram, gratissimum fuisse Sacræ Congregationi de Propaganda Fide zelum tuum pro Missionibus, id etiam his literis confirmo: nec unquam ab aliquo Eminentissimorum Patrum quidquam ab hoc sensu alienum audivi; cum nulla præsertim occasio fuerit de te secus sentiendi, quem pietas, & prudentia omnibus commendabilem fecit. Nunc vero gaudeo, quod isthic in vinea Domini labores: nec dubito, quin plurima Messis futura sit, restituta in his Civitatibus fide Orthodoxa victricibus armis Christianissimi Regis. Faxit Deus, ut eliminatis erroribus omnes agnoscant veritatem. Huc vota, huc studia nostra dirigenda sunt, ut Viros Ecclesiasticos decet. Deus te incolumem servet. Romæ 29. Augusti 1672.



CCLXXII.

CCLXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Ejus censuram undecimi Tomi Spicilegii expectat, & Tractatum Liturgicum a cunctis Eruditis approbari testatur.

1. QUod animo conceperam, libentissime præsto. Jussus nempe a Reverendissimo P. Superiore Generali mitto ad E. T. Spicilegii Tomum XI., qui nunc prodiit in publicum. Nec *dubium*, quin hoc munusculum benevole excipias, quandoquidem priores Tomos tibi gratos fuisse pluribus literis mihi dudum significasti. Unde obnixe rogo, ut pro tua singulari eruditione, proque vetere, quo me dignaris amore complecti, quæ in hoc Tomo tibi non arrident, aut correctione, & obelo indigent, haud graveris indicare. Non dissimules, velim: tui enim sum & obstrictissimus, & amantissimus, tuoque paratus stare judicio. Humanas non appeto laudes, sed mercedem spero in Cœlis a Deo O. M.

2. Te suspiciunt, ut scias, & venerantur Eruditi quique Galliæ nostræ, non secus ac si Gallus esses Cardinalis; non modo propter tuam singularem pietatem, & reconditam eruditionem: verum etiam quia benevole eos prosequeris, studiis juvas, fers opem simul, atque eos noveris abs te postulasse: denique mira celeritate responsa das ad eorum interrogata.

3. Quod porro spectat ad aureum tuum Opus Rerum Liturgicarum, Docti omnes, & alii Viri, quibus cordi est studium disciplinæ, & rei Ecclesiasticæ, illud assidue revolvunt; atque inter confabulandum volupe referunt quantum ex ejus lectione profecerint; uti sæpissime sum expertus. Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, te diutissime servet incolumem, benedictione sua Cœlesti locupletet, faveatque tuis adeo utilibus studiis, ac profuturis laboribus pro se susceptis. R. P. D. Audebert plurimum optat E. T. salutem. E Monasterio S. Germani Parisiis 2. Septembris 1672.

CCLXXIII.

JOANNI DE VOISIN

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus conjecturas approbat, & de contestationis *voce tempore opportuno se responsurum spondet.*

1. PRobo conjecturam tuam, quod plures Missarum Codices Gelasiani, quam Gregoriani in Monasteriis olim reperirentur, eo quod eos describi fecerint ex Apographis Montis-Casini, in quo vixit Monachorum Institutor Benedictus, nondum edita Gregorii correctione. Auget suspicionem, quod S. P. in Regula cum prope tradiderit modum psallendi, nihil tamen statuit de Missa; non alia sane de causa, ut puto, nisi quia in ea celebranda ritum sequebatur, qui tunc Romæ vigebat, & hic erat Gelasianus.

2. De verbo *contestationis* quod legitur in Ordine Romano, ubi agitur de consecratione Episcopi, non possum petitioni tuæ plene

ſatisfacere, nam literas tuas æger accepi, necdum priſtinæ valetudini reſtitutus ſum. Miſi tamen amicum meum Virum eruditum in Bibliotheca Monaſterii S. Crucis (*a*), in qua extat Ordo Romanus (*b*) MS. ab eo, qui eſt in Bibliotheca PP. valde diverſus, & antiquiſſimus, in quo *Præfationis* nomen, non *conteſtationis* inveniri teſtatus eſt. Initio Novembris aperietur Bibliotheca Vaticana, quæ nunc clauſa eſt: & ego ejus Codices perluſtrabo, & ſi quis Codex occurrerit, in quo adſit illa vox *conteſtatio*, certiorem te faciam. Me interim tuis orationibus enixe commendo, Romæ 14. Septembris 1672.

(*a*) Antiquiſſimum eſt hoc Monaſterium, cujus initia ſe quoque ignorare confeſſus eſt Vir Clariſſimus Hilarion Rancatus in Epiſt. data ad Jongelinum a Benedicto VII. inſtauratum legitur, & ſucceſſive diverſis ordinibus conceſſum, præcipue Benedictinis, quibus aliunde translatis ſucceſſere Canonici Regulares, mox Carthuſiani; poſtremo Ciſtercienſes a Pio IV. introducti. Plures in eo extant Codices MSS. plerique inediti, quorum indicem texuit Cardinalis Bona, quem infra referemus.

(*b*) In Codice XXVI. hæc autem habentur: Ordo Romanus ab impreſſo in Bibliotheca PP. valde diverſus, cujus antiquitas eſt annorum pluſquam octingentorum. Incipit ab ordine Proceſſionis univerſalis Romani Pontificis, his verbis: *Primum omnium obſervandum eſt ſeptem eſſe regiones &c.*

CCLXXIV.

VINCENTIO MARSOL·LE Superiori Generali Congregationis S. Mauri

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus literis, quibus ſuam in ſuperiorem Generalem electionem ſcripſerat, reſpondet.

EXpectatæ mihi literæ tuæ contingunt, quibus me Promotionis tuæ ad regimen Congregationis veſtræ certiorem facis. Hoc enim officium mihi deberi haud temere putavi, non quidem ob beneficia a me vobis collata, quæ nulla ſunt: ſed ob ſingularem, & ſincerum amorem, quo vos omnes proſequor; adeo ut me ſemper reſpicere debeatis non tamquam Protectorem, ut ipſe ſcribis, ſed veluti Fratrem veſtri inſtituti amantiſſimum, & ad obſequia, & ſervitia veſtra paratiſſimum. Opto autem a vobis hanc viciſſitudinem, ut ſuffragiis orationum veſtrarum imbecillitati meæ opem ferre dignemini, & ut frequenter occaſionem præbeatis mihi operam meam pro vobis impendendi; quatenus non verbis, ſed re ipſa demonſtrare valeam quanti vos faciam. Romæ 14. Septembris 1672.

CCLXXV.

D. Archiepiſcopo Trevirenſi S. R. J. Electori

JOANNES Cardinalis BONA.

Moderationem expenſarum unanimi Cardinalium conſenſu conceſſam dicit.

VIſa eſt Sacro Collegio adeo juſta, & rationabilis petitio E. V., ut omnes unanimi conſenſu ejus futuro Coadjutori petitam expenſarum moderationem conceſſerint. Ego autem eo libentius pro parte mea E. V. obſequutus ſum, quo magis opto, ut ex hoc diſcat me ſemper futurum ad ejus ſervitia paratiſſimum. Quod ut re præ-

ſtare

stare valeam, precor E. V., ut frequentes mihi occasiones porrigat operam meam pro ipsa impendendi; atque interim manus vestras intimo affectu exosculor. Romæ 17. Septembris 1672.

CCLXXVI.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Spicilegii censuram, si qua indiguerit, se indicaturum spondet, idemque rogans pro suo Tractatu de Discretione spirituum.

1. AGer tuus locuples est, ex quo non jam Spicilegia, sed integram Messem habemus. Tomum XI. quem promittis, avide expecto: & si quid in eo occurrerit speciali nota dignum, qua soleo sinceritate, tibi indicabo. Idem autem officium a tua benignitate exigo pro meo Tractatu de' Discretione spirituum, cujus Exemplar P. d' Urban dedi a mendis typographicis emendatum, ut ad te perferri curet. Quod si isthic recudendus sit, satagendum erit, ut aliquis deputetur, qui correctioni diligenter incumbat. Liturgica mea apud Viros eruditos in aliquo pretio haberi non injucundum mihi est, magis tamen placeret, si ea amice suggererent, in quibus lapsus sum, quæ plurima esse non dubito. R. P. D. Bernardo d'Audebert plurimam salutem, & gratias meo nomine reddes.

2. Reverendissimo P. Generali longam Epistolam scribere destinaveram, plenam querelarum adversus D. d' Urban: sed satius mihi visum est abstinere ab accusationibus, & de communi amico tecum conqueri. Caput autem querelarum hoc est: D. Flambart, cum esset Procurator Generalis, domum conduxit in radice Montis Pincii sitam, revera satis commodam; sed ob Montem supereminentem aeris insalubris; & ille, ut erat firmiori valetudine, incolmis in ea permansit: hic vero cum sit viribus, & complexione imbecillior, ab aere humidiore notabile patitur detrimentum; ac fere semper infirmus est. Sæpe illum amici hortati sunt, ut domicilium mutaret: sed frustra. Ego quoque urgeo illum quotidie, ut majorem suæ valetudinis curam habeat: non persuadeo. Proposui illi domum saluberrimam, quæ nunc est locanda, & est amœnissimi prospectus in ipso Monte: verum ille tergiversatur frivolis excusationibus, quarum præcipua hæc est: quod domus, in qua habitat, est Fratrum Minimorum Nationis Gallicanæ, & timet eos contristare, si ab ipsa discedat. Crederes ne hominem Religiosum, & inter vos probatæ virtutis Romæ evasisse adeo pertinacem, & refractarium? Sed citra jocum; si diutius permanserit in ea domo, actum est de ejus valetudine. Oro igitur, ut hac de re serio agas cum P. Generali, quatenus eum compellat auctoritate sua ad mutandum domicilium, illique præcipiat, ut in ratione victus ea utatur erga se ipsum dispensatione, quam infirmis concedunt Regula, & Constitutiones vestræ. Amo hunc Virum propter insignem ejus virtutem, & doctrinam: & gravi molestia afficerer, si illum amitterem: vestræ etiam Congregationi non prodesset tam frequens Procuratoris Generalis mutatio. Ad hæc scribenda me compulit & privati amici, & publica Congregationis causa. Obsecro, ut bonam voluntatem meam acceptam habeatis; meque vestris orationibus enixe commendo. Romæ 27. Settembris 1672.

CCLXXVII.

CCLXXVII.

JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Fidei Orthodoxæ illis in regionibus progressus gratulans , Abbatem S. Salvatoris Antuerpiæ Ordinis Cistercienfis ejus authoritati commendat pro recuperandis nonnullis Prioratibus (a) in locis a Galliarum Rege Orthodoxæ Religioni restitutis.

DUdum tibi scribere , & gratulari destinaveram ob felices progressus Catholicæ Religionis in istis Regionibus armis Christianissimi Regis subactis: sed ægritudo superveniens , quæ me non leviter afflixit, hoc officium differre coegit. Nequeo verbis complecti, quantum gavisus sim, cum Fidei Orthodoxæ exercitia isthic restitui, te operam tuam strenue navante, intellexi. Vidi etiam literas tuas, quas Sanctissimo Domino nostro scripsisti hac de re, Apostolico spiritu refertus; quibus omnes probi Viri , & Amici plurimum delectati sunt . Deus tibi pro laboribus tuis mercedem reddet , & hic , & in æternum . Porro in hac rerum mutatione non dubito , quin tibi negotium facessant diversorum Ordinum Religiosi , qui sua sibi Monasteria restitui curabunt: & quia apud te aliquid posse æstimor, non defuerunt, qui literas a me commendatitias hac de causa petierunt. Verum ceteris rejectis , uni, cum quo mihi communis est Monastica professio, hoc officium negare non potui . Is est Reverendissimus P. Abbas S. Salvatoris Antuerpiæ Ordinis nostri Cisterciensis Franciscus Dierix, qui in locis nuper a Rege acquisitis aliquot Prioratus habet dicto Cœnobio S. Salvatoris annexos, quos, ut par est, recuperare desiderat; sibique tuam opem certo affuturam ex mea commendatione promittit. Te ergo enixe deprecor , ut illi auxiliis, & auctoritate tua assistas ; nec patiaris eum frustrari fiducia, quam in me habuit. Nuper astiti Thesibus philosophicis, quas summa cum laude sustinuit in Collegio D. Nepos tuus, qui certe a virtute, & doctrina tua non degener erit. Deus te diu incolumem servet. Romæ die 8. Octobris 1672.

(a) De Monasteriis, aliisque locis Cisterciensis Ordinis in Hollandia , conterminisque Provinciis legendus Jongelinus in notitia Abbatiarum.

CCLXXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES HUGO ab Orsbech.

Gratias agit pro Opera in taxæ moderatione præstita.

EX relatione D. Caroli de Comitibus , & opere ipso maxima animi mei consolatione cognovi, quantum E. V. suffragio suo , & authoritate in sacro Collegio nuper contulerit minuendæ taxæ , quæ pro expeditione , & stabilimento coadjutoriæ Trevirensis exigebatur. Gratia mihi certe, & beneficium prorsus singulare, pro quo sicut E. V. me devinctissimum agnosco, atque profiteor, ita & grates eidem reddo immortales: optoque mihi tales aliquando dari occasiones, quibus illas non agere modo , sed & referre , meamque in omne servitium promptitudinem re ipsa luculentius testari possim. Quas ego dum ab E. V.

man-

mandatis sollicitus spero, & avide expecto, prosperam interea eidem cum longa annorum serie vitam, & felicitatum omnium inctementa animitus precor, manusque humillime exosculans maneo. Confluentiæ 14. Octobris 1672.

CCLXXIX.

D. JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Carmelitarum P. Generalis petitiones pro quorumdam Conventuum, in Urbe Ultrajectensi, aliisque locis, recuperatione exponit.

LIterarum officia amicis negare non possum, præsertim cum justa mihi petere videntur. Prior Generalis Ordinis Carmelitarum exposuit mihi se summopere optare Conventus sui Ordinis recuperare tam in Civitate Ultrajectensi, quam in aliis locis, in quibus victricibus armis Regis Christianissimi Orthodoxa Fides restituta est. Qua in re cum te plurimum posse arbitretur, opem tuam certo sibi affuturam credidit, si stimulus commendationis meæ jam ex se propenso ad omnia justitiæ, & pietatis opera accederet: ideo precor, ne patiaris inanem esse fiduciam, quam in me posuit. In hoc vero operam tuam præcipue desiderat, quod ex hisce partibus acceperit, conari Patres discalceatos ejusdem Ordinis illorum Conventuum possessionem sibi arrogare, ac si ipsi ab hæreticis inde ante annos centum expulsi fuerint. Sed revera hic titulus nullius momenti est; vix enim, ut ipse nosti, Congregatio Discalceatorum fundata erat, cum a Rege, & a fide Batavi defecerunt. Deinde eadem Congregatio propagari extra Hispaniam multos post annos cœpit; primosque Conventus in Italia fundavit initio hujus seculi: in Gallia vero, & Belgio circa annum 1610. Denique inter illos pacta inita fuisse ajunt a Clemente VIII. approbata, quibus inter cætera prohibentur Discalceati Conventus veteres Ordinis usurpare, aut etiam oblatos accipere. His accedit, quod in Belgio inter ipsos antiquos Patres maxime viget Reformatio, & prisca Ordinis disciplina; & inde Religiosi accipi poterunt, qui bonis moribus, & doctrina multum hisce Regionibus prodesse poterunt. Hæc tibi significasse, causam vicisse est: neque pluribus verbis apud te uti par est, ne prudentiæ tuæ, ac rectitudini diffidere videar. Deus te diu Ecclesiæ suæ bono incolumem servet. Romæ 15. Octobris 1672.

CCLXXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

D. LUCAS DACHERIUS.

Pro suscepta cura valetudinis sui Procuratoris Generalis gratum se dicit, suamque operam spondet in recudendo Tractatu de Discretione Spirituum.

I. VEterem tuum erga me animum ex postremis E. T. literis & agnosco, & exosculor: nihil enim amicius, immo familiarius de communi amico mecum agere poteras, quam quod ad me scribis, Eminentissime Domine, vix licet ex infirmitate convalesceres. Gratulor D. Antonio D'Urban, quod veluti Patrem habeat adeo insignem,

fignem & pietate, & doctrina Cardinalem, qui tam anxie de ipfius valetudine curam fufcipit. Beneficium fane fummum eft, quo me non modo, fed & Reverendiffimum P. N. Generalem afficis, & obftringis: quamobrem gratias tibi agimus immortales. Nec ego miratus fum vehementer, quod idem P. D'Urban, cum nihil fubfit caufæ, præter id a te exhibitum, tuique fit obfervantiffimus, nolit piiffimis adhortationibus affurgere, ac præfracte, ut fcribis, in fua malit fententia permanere: ecquid opus eft hac in re, ut fuam interponat authoritatem Reverendiffimus Superior Generalis, quandoquidem ex illo prorfus pendeat domum eligere, atque in ea permanere? ipfemet etiam cibis validioribus judicio Medici, five ad præfcriptum Regulæ, Conftitutionumque noftrarum uti poteft, dum magis adverfatur corporis infirmitas: atque eo fe fe modo gerere, quo in alium præftare, fuggerere, ac urgeret charitas fraterna.

2. Quod porro tuum Opufculum de Difcretione Spirituum fpectat ftatim atque illud accepero, omnem navabo operam, ut accuratiffime reducatur; nifi forfitan fatius, utiliufque judicaverimus Gallico idiomate edere. Interim vale diutiffime, ac feliciffime. R. P. D. Bernardus Audebert perpetuam tibi optat falutem. Parifiis e Monafterio Prateno S. Germani die 21. Octobris 1672.

CCLXXXI.

GABRIELI BUCELINO Priori S. Joannis Veldtkirchii (*a*) Ord. S. Benedicti

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus Zelum pro Hærefum extirpatione commendat.

CUM fumma animi jucunditate ex literis tuis cognovi doctrinæ, & eruditioni tuæ parem effe pietatem, & zelum Fidei, & Religionis, cujus ardore fuccenfus extirpari hærefes, atque omnes Populos ad unitatem fidei revocari exoptas. Et quidem Sanctiffimus Pontifex officio fuo, ac muneri in hoc non deeft: fed orandus eft Deus, in cujus manu funt corda Regum, ut ea potenter inclinet ad
Pfal. 116. 1. audiendam vocem fermonum ejus: *Nifi* enim *Dominus ædificaverit domum*; *in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; & *Nifi* ille *cuftodierit Civitatem*, *fruftra vigilat qui cuftodit eam*. Quot procellis agitetur Orbis Chriftianus, vident, & gemunt omnes Fideles: nullum autem efficacius hifce malis remedium, quam vera pœnitentia, & morum emendatio. Ceterum tibi gratias ago medullitus ob tuam erga me benignitatem: meque tuis precibus enixe commendo. Romæ 29. Octobris 1672.

(*a*) Veldtkirchium Oppidum eft in Rhætia fuperiori Cœnobio Monachorum Benedictinorum infignitum.



CCLXXXII.

CCLXXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA JOANNES BAPTISTA COTELERIUS Sorbonicæ Societatis Theologus.

Suarum Lucubrationum seriem exponens, ad se mitti rogat Opera Græca inedita, quæ in Urbis Bibliothecis reperiuntur.

Singularis illa tua tum erga ceteros, tum præsertim erga litteratos, quorum familiam ducis, humanitas, Orbi Christiano jam diu notissima, me eo perduxit, ut homo ignotus, ac nullius bonæ frugis ad te Ecclesiæ lumen, literarum columen auderem literas dare. Quis autem ego sim, quid egerim, agam, acturus sim posthac; quidve te exoratum velim, paucis accipe, Em. Card., & patientem enarranti aurem accommoda. Ego per optimum, & doctissimum Patrem in tribus linguis educatus, Latinam, & Græcam summopere colui, in Hebraica non tantum operæ ponendum putavi, atque ab adolescentia ad hunc, quem ago quadragesimum quartum annum, neglecta omni alia cura, etsi in fortuna tenui, attamen Cleri Gallicani munificentia adjutus, me totum libris evolvendis tradidi, scriptis, editis, veteribus, recentioribus, sacris, & profanis. Contigit interea ante hos decem annos, ut amicus quidam interpretationem Danielis, & quatuor homilias S. Joannis Chrysostomi, quas e Bibliotheca Scorialensi deprompserat, ad me deferret monens, operæ pretium fore, si vulgarem. Mouitis parui: in Latinum sermonem conversas, notisque declaratas, edidi: dein demandata mihi fuit a Christianissimo Rege cura conficiendi Catalogum Græcorum MSS. Gargæ suæ veræ Regiæ. Ibi nactus apocryphum secundi a Christo Seculi, antiquis non incognitum, cujus inscriptio: τὰ Κλημέντια Clementina, visum illud dignum est, quod tandem lucem aspiceret. Quocirca unum in corpus duo in volumina librorum collegi opera edita, & inedita, vera, & supposititia Sanctorum PP., qui temporibus Apostolicis floruerunt, Barnabæ, Hermæ, Clementis, Ignatii, Polycarpi, junctis versionibus, notis adjectis; quibus quidem in adnotationibus conatus sum Ecclesiasticæ antiquitati novam lucem afferre. Certe non pauca opuscula anecdota per eas inserui. Nunc Iliaco, ac decennali labore perfunctus, ad alium longe majorem me accingo: editionem, inquam, monumentorum Ecclesiæ Græcæ, quotquot variis e Bibliothecis perveniant in manus meas; pervenerunt autem plurima jam, alia subinde expectantur. Quid verbis opus est? Optime omnium vides, Emin. Card., & eruditissime, quantum inceptum sit. Verum pro Ecclesia sua occupato aderit Christus Deus; & tarditatem ingenii studii improbitate compensabo. Tu quoque forsan adjumento eris, humanissime Cardinalis, ubi postulationem meam aperuero. Scilicet si in tua Bibliotheca, aut aliis Romanis extant Opuscula græca, sacra, & inedita, modo id absque tuo incommodo fieri queat, ad Lucam Dacherium Familiæ Benedictinæ decus immortale, mihi tradenda mittantur. Quantus porro futurus sim benignitatis tuæ prædicator, simul quam integer vitæ hactenus egerim (vitam dico hanc, quam civilem vocamus: in vera quippe, Christianaque vita me de pejori nota peccatorem facile semper agnosco) vadem do sapientissimum Theologum

Franciscum Dirosium, tibi haud dubie pro virtutibus suis carum, qui perillustrem Eminentissimi Cardinalis Estræi comitatum doctrina non vulgari, moribus antiquis facit illustriorem. Is a pueritia studiorum, consiliorumque particeps, ac totius vitæ jucundissimus socius fuit. Nec diutius tua tempora demorabor. Deus te Ecclesiæ, te literis, te bonis, doctisque omnibus ad multos annos servet incolumem. Vale, Piissime Cardinalis. Joannem Baptistam Cotelerium (*a*) inter tuos numeres & vehementer cupio, & deprecor obnixe. Scribebam Lutetiæ Parisiorum anno vulgari 1672. Pridie Kalendas Novembris.

(*a*) Quæ Joannes Baptista Cotelerius hac in Epistola de se ipso narrat, optime conveniunt cum alia Stephani Baluzii Tutelensis ad Emeritum Rigotium data, in qua compendiose agitur de ejusdem Cotelerii vita, locumque habet in Syllabo Epistolarum ad Patres Apostolicos, eorumque interpretes pertinentium, præfixo præfato Cotelerii Operi, recuso anno 1700. Genevæ, non Antuerpiæ Typis Huguetanorum, duobus Tomis in folio, blasphemiis, hæresibusque, non recensionibus, & notulis impiissimi Calvinistæ Joannis Clerici.

CCLXXXIII.

PETRO FLORIOT Presbytero

JOANNES Cardinalis BONA.

Recepto pro libro gratias refert.

1. MUltum mihi profuit contracta per literas cum summis Viris Antonio Arnaldo, & Luca Dacherio amicitia, quandoquidem tuam, quam plurimi facio, inter nos conciliavit. Librum tuum (*a*) a Domino Nepote tuo hesterna die accepi, tuæque benignitati plurimas gratias ago, quod me tam pretioso munere, nullis meis præcedentibus meritis, dignum æstimaveris. Jam fama ejus ad Urbem pervenerat, & ardens desiderium in me excitarat ipsum legendi, ut ex ejus lectione proficerem, & discerem Orationem Dominicam eo spiritu, quo Verbum æternum eam docuit, & tu doctissime explicas, recitare. Cumque de illo sermonem haberem cum P. Asseline Canonicorum Regularium S. Genovefæ Procuratore, ipse protinus ejus exemplar, quod nuper acceperat, ad me misit. Legi tametsi festinanter, & admiratus sum opus infiniti laboris, exactissimi judicii, & numeris omnibus absolutum. Nec mentitur inscriptio: nam miscens utile dulci, vitæ Christianæ moralem institutionem non ex rivulis plerumque fœculentis, sed ex puris sacrarum literarum, SS. PP. fontibus uberrime tradidisti, ab iis, qui pie in Christo vivere volunt, diu noctuque volvendam. Gratulor tibi, & iterum gratias ago; nam ex ejus iterata lectione verum Christianæ pietatis spiritum haurire satagam, ipso opitulante, qui dat omnibus affluenter.

2. Quod vero attinet ad Nepotem tuum, curabo, ut, si fieri poterit, aliquo loco collocetur, in quo possit commode vivere. Interim ipsum rogavi, ut, si qua re indigeat, opera mea utatur. Deus te diu servet incolumem. Romæ 1. Novembris 1672.

(*a*) Hic est liber inscriptus Gallice: *La Morale Chrétienne*, cujus Floriot est Author, licet Anonymus; etenim nomen suum Operi haud præfixit. Hanc autem Epistolam Gallice redditam typis consignavit, ut multis eam videre aventibus satisfaceret, nomina tamen reticens; & hanc, quam damus, ex Cardinalis Autographo exscripta est.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS DIERIX Abbas S. Salvatoris.

Pro commendatitiis literis gratias rependit.

SAcratarum manuum tuarum osculo prævio notum volui E. V. me binas gratissimas vestras recepisse: primam ad Eminentissimum Cardinalem Bullionium, alteram ad Illustrissimum D. Castoriensem Episcopum. Primam Principissæ de Avernes, ac Marchionissæ de Bergis, nuptæ Fratri dicti Eminentissimi Cardinalis, in proprias manus tradidi Bruxellis jam proficiscenti Parisios, cui justum, & pium nostrum negotium commendavi; quam commendationem in se benigne suscepit D. Cardinali impertiendam. Secundam D. Episcopo Castoriensi per unitas Provincias Vicario Apostolico destinandam ei in manus proprias tradam, ut satisfaciam commissioni ab Ordine nobis creditæ. Confundor certe, nesciens quibus verbis E. V. debitas gratias agere valeam pro indefesso zelo vestro erga incrementum Sacri Ordinis nostri. Confido in Domino, quod verbum viri tanti non cadet in terram; immo quod nec una, nec altera commendatio minime erit infructuosa. Quis tamen ego sum, ut E. V. debitas gratias agam? Agit illas per me Belgii Abbatum Congregatio, quæ conspiciens zelum vestrum, ac supereminentem pietatem, gratiosissimæ benignitati vestræ in æternum se novit devinctam; cui ego minimus libenter subscribi voveo. Antuerpiæ 4. Novembris 1672.

CCLXXXV.

JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Benedictinos, & Cistercienses Monachos, pro recuperandis eorum Domibus, ejus prudentiæ commendatos optat.

1. BRevem, & veram narrationem rerum isthic fortiter, & gloriose gestarum a Christianissimo Rege cum summa delectatione legi, & aliis legendam dedi; quibus omnibus gratissima fuit: brevi enim compendio Illustrissimus Scriptor perstrinxit non tam Regis, quam Ecclesiæ triumphos, omnium gentium laudibus perpetuo celebrandos. Scripsi dudum tibi de his, & gratulatus sum: nunc autem & gratias ago, quod mei semper tui memoris non obliviscaris. Enecant me quotidie importunæ Religiosorum preces, qui a me literas commendatitias ad te postulant pro recuperandis Domibus, & Ecclesiis hactenus ab Heterodoxis occupatis. Quibusdam hoc officium negare non potui; tu autem facies quod magis expedire judicabis ad majorem Dei gloriam, & fidei propagationem. Quia autem audivi Patres Societatis Jesu procurare Abbatias, & Prioratus Monachorum pro erigendis Collegiis, cum ego Monachus sim, Fratribus meis deesse non debeo: & propterea, etsi a nemine rogatus, eorum causam pietati, ac prudentiæ tuæ enixe commendo, precorque ne patiaris, quantum in te erit, Cisterciensium, & Benedictinorum loca ab extraneis prætextu majoris boni occupari.

 2. Edidi

2. Edidi Tractatum de Discretione Spirituum, cujus exemplar commodam nactus occasionem ad te mittam. Interim Deum rogo, ut quidquid sancte desideras, largiatur tibi, meque vicissim tuis orationibus commendo. Romæ 10. Novembris 1672.

CCLXXXVI.

JOANNI HUGONI ab Orsbech Coadjutori Trevirensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus virtutum intuitu imminutas dicit expensas pro Bullarum expeditione.

SPlendor virtutum, Natalium nobilitas, & aliæ dotes eximiæ, quæ in Dominatione vestra Illustrissima summopere elucent, illam adeo commendabilem Summo Pontifici, Sacroque Collegio reddiderunt, ut non solum libenter, sed etiam alacriter minuendis expensis, quæ pro Bullarum expeditione necessariæ erant, omnes consenserint; sicut pro parte Dominationis vestræ Illustrissimæ supplicatum fuit. Ego autem sicut præ cæteris gavisus sum eam fuisse in Coadjutorem Trevirensem assumptam, sperans inde fidei Orthodoxæ augmentum, & Ecclesiæ decus obventurum; ità nemini in eodem amore, & officiis Dominationi vestræ Illustrissimæ præstandis, quoties se se occasiones obtulerint, quas opto esse frequentes, secundus ero, ad omnia ejus commoda paratum me dicens, illi ex corde omnem felicitatem precor, ejusque manus sincero cordis affectu exosculor. Romæ 27. Novembris 1672.

CCLXXXVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

STEPHANUS BALUZIUS Tutelensis.

Quod suas lucubrationes laudet, grates Cardinali habet, ad quem etiam mittit editionem Dialogorum Augustini de emendatione Gratiani notis (a) suis illustratum.

1. ONeras, Emin. Domine, verecundiam meam nimia tua modestia, & laudibus, quibus effers meam, qualiscumque est, quam exiguam esse scio, rerum Ecclesiasticarum cognitionem; itaque te oro, obtestorque, ut imposterum verius de me sentias, ac prædices: non quod recusem laudes tuas, cum sciam vetus illud dictum: jucundam debere esse laudem, quæ a Viro laudato proficiscitur. Sed quia, cum vires meas noverim, omnino perspectum habeo eruditionem meam, rerumque Ecclesiasticarum peritiam, quam tu pro singulari bonitate, & humanitate valde commendas, multo infra tuam prædicationem esse. De Liturgicis tuis quod ad te scripsi, Vir eruditissime, non ex adulatione profectum est, sed ex intimo animi mei sensu, quem apud eos in hac Urbe deposui, quoties occasio tulit, inter quos de iisdem sermo mecum incidit. Est enim mihi hic mos, præser-

(a) Quæcunque sit lucubratio hæc, proscripta reperitur in Indice Librorum prohibitorum sub hisce terminis: *Ex Dialogis Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani deleantur Stephani Baluzii Tutelensis Præfatio ad Lectorem; deleantur pariter notæ omnes, & novæ emendationes ad Gratianum adjectæ ab eodem Baluzio; quæ notæ, & additiones cum prædicta Præfatione omnino prohibentur.*

præsertim in rebus literariis, neminem laudare, nisi merentem, nullius amicitiam parare per adulationem, ac cæteras malas artes. Ex hac liberrima animi mei natura factum est, ut ad te, Vir Eminentissime, libere scripserim, quæ tunc adnotaveram in tuis Liturgicis, ratus non posse me tibi testatam meliore modo facere reverentiam meam, eadem porro libertate indicaturus, si quid mihi reprehensione dignum occurrisset. Plurimum autem lætatus sum, cum ex literis tuis intellexi hunc meum agendi modum tibi non displicuisse Viro, quem ego plurimi feci semper, non ob dignitatem, quam alioqui summam, & plurima veneratione dignam esse cognosco, sed propter eximias animi dotes, & eruditionem non vulgarem.

2. Absoluta tandem est editio Dialogorum Antonii Augustini de emendatione Gratiani, quibus additæ sunt nonnullæ meæ notæ, tum etiam novæ emendationes ad Gratianum. Spero autem te reperturum illic nonnulla, Doctissime, & Eminentissime Cardinalis, quæ poterunt lucem adferre aliquot locis tuorum Liturgicorum; sane quod alicubi ais de Missa Hispanica ex duobus Canonibus Concilii primi Braccarensis, illustrari valde poterit ex observatione mea de Epistola Vigilii Papæ ad Profuturum Episcopum Braccarensem, quem in Canonibus illis reperio Epistolam de eo argumento suscepisse ab Apostolica Sede. Latuerat illa hactenus sub ementito nomine Epistolæ Vigilii ad Eutherium, sive Eleutherium, quem Hispani divinaverunt fuisse Episcopum Braccarensem; sed is homo nullus fuit, & Epistola, ut dixi, data est ad Profuturum. Tu, Vir Doctissime, de toto isto negotio postea censebis. Explicavi etiam, data occasione, quid per *Dominicale* fœminarum ad Eucharistiæ Communionem accedentium intellexerint veteres, eadem Codicis antiqui auctoritate usus, quam ad te rescripseram, Eminentissime Cardinalis. Amplexus sum sententiam tuam, & aliorum doctorum Virorum de Epistola Pelagii II. in qua agitur de Præfationibus ab Ecclesia Romana receptis: falsam autem esse ostendi, ac supposititiam etiam ex titulo Epistolæ, quæ data dicitur ad Episcopos Germaniarum, atque Galliarum, quod scribendi genus in usu esse non potuit, nisi sub finem seculi octavi, ut illic ostendo. Reliqua non prosequor: accipies enim, cum primum occasio se obtulerit, unum libri illius Exemplar, quod valde te oro, Eminentissime Cardinalis, ut in Bibliotheca tua collocare velis ob memoriam magni viri Antonii Augustini, cui tantum hæc studia debent, quantum nemini alteri. Vale, Vir optime, & eruditissime; remque publicam literariam ornare perge. Lutetiæ Parisiorum postridie Kalend. Decembris 1672.

CCLXXXVIII.

JOANNI BAPTISTÆ COTELERIO Soc. Sorbonicæ Theol.

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus lucubrationes commendat, Græcorumque Codicum ineditorum MSS. Catalogum pollicetur.

Literæ tuæ mihi gratissimæ fuerunt; neque enim hominis ignoti, ut tu modeste scribis, sed viri eruditissimi sunt, quem celeberrimum apud omnes faciunt editi nuper Patres Græci, qui temporibus Apostolicis floruerunt. Legi notas, quibus eorum scripta summo judicio,

dicio, & varia recondita eruditione illustrasti; statimque cognovi prolixi laboris opus illud fuisse, & scriptoris diligentissimi, & ecclesiasticæ antiquitatis peritissimi. Quod si alia Græcorum opuscula inedita simili modo adornata in lucem proferes, rem procul dubio facies Ecclesiæ Orthodoxæ utilem, & Reipublicæ literariæ jucundissimam. Ego autem, si quid prodesse in studiis tuis potero, operam meam libenter impendam; & jam mandavi uni ex familiaribus meis, Viro erudito, ut insigniores Urbis Bibliothecas perlustret, & Codices græcos MSS. quotquot reperiet, notet, & ad me perferat, quorum Catalogum communi amico D. Lucæ Dacherio mittam; sed negotia in Urbe in longum eunt; nec semper patet accessus ad Bibliothecas. Deus tibi vires, & valetudinem conatibus tuis parem tribuat, & ipsum pro me exora. Romæ die 6. Decembris 1672.

CCLXXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Ejus opem implorat pro exscribendis nonnullis opusculis Bibliotheca Reginæ Sueciæ; statumque suorum, & Dacherii studiorum exponit.

UT E. T. hodie interpellem duas habeo causas: unam, ut observantiæ in te meæ professionem instantis anni principio renovem, quam tibi acceptam esse velim: alteram, ut in rem nostram literariam subsidium a te postulem, quod spero tibi molestum non fore. Cum enim literatis omnibus facilem te exhibeas, ego etiam aditum ad te quemdam videor mihi quasi quodam pristino benevolentiæ jure vindicare. Causa, quæ me huc adduxit, hæc est: In Bibliotheca Reginæ Sueciæ quædam extant opuscula mihi necessaria; ea de re ante aliquot menses scripsi D. Antonio nostro, qui mihi omnem operam pollicitus est suam. At vereor haud facile possit obtinere copiam librorum MSS. quibus opus habeo, nisi authoritatem tuam ipse adhibeas. Ad verbum tuum omnia reserata ipsi patebunt, si modo vel unum pro me proferre digneris. Exigis forsam rationem studiorum nostrorum, quæ tibi nota, & approbata semper esse cupio? Dacherius noster, qui plurimam salutem dicit E. T. jam molitur Tomum XII. Spicilegii: ego quoque IV. seculi nostri editionem brevi aggrediar. Animus erat prius condere libellum de rebus Eucharisticis, de quibus multa luce, ut puto, non indigna in itinere meo Belgico mihi occurrerunt. Sed consilium meum retardant quædam rationes: timeo enim, ne libellus iste meus immutet in nonnullis statum controversiarum, qualis a viris sapientissimis nuper constitutus est: neve hoc tempore minus utilis sit Reipublicæ Christianæ, quam optarem. Deinde ne, si semel in controversiarum campum descenderim, diutius in illo retinear: sicque a perficiendis inceptis revocer; utrique incommodo forsan occurrere potero, si in Præfatione IV. seculi exponendo statum controversiarum, quæ in Radbertum nostrum seculo IX. exortæ sunt, aliquas pro more meo proponam observationes de hoc argumento, quæ, quia incident in propositum meum, non studio quæsita, sed ipsa rei intercurrentis necessitate, aut occasione tractatæ videbuntur, nec me in certaminis partem traducent. Quamquam commodius videretur, si opuscula illa, quæ habeo, in parvum libellum colligeren-

rentur. Quid his de rebus sentiat E. T. si non graveris, scire percupio. Felicem annum. Lutetiæ Parisiorum e Monasterio Pratensi VIII. Idus Decembris 1672.

„ Hanc Epistolam referre omisit D. Vincentius Thuillier in Operibus posthumis „ Joannis Mabillonii.

CCXC.

FRANCISCO COMBEFISIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro acceptis libris gratias rependens, se ad ejus studia promovenda promptum asserit.

ATtulit mihi P. Socius Reverend. vestri Generalis Acta S. Maximi, & novum Auctarium Bibliothecæ PP. a te editum, cum exemplaribus libri D. Abbatis Camberonensis, pro quibus gratias tibi medullitus ago. Opera S. Maximi a te dudum promissa expectant mecum omnes, qui sacris studiis delectantur; *Spes autem, quæ differtur, affligit animam.* Ideo tibi a Deo, bonorum omnium largitore, vires, & incolumitatem tuis laboribus parem deprecor, meque ad tua studia juvanda, in quibus potero, semper paratum offero. Romæ 13. Decembris 1672. Proverb. 13. 12.

CCXCI.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Correctionem Libri de discretione spirituum ejus curæ, diligentiæque commendat.

QUandoquidem vestro favore Liber meus de discretione spirituum isthic recudendus est, maximopere desidero, ut, quantum fieri poterit, emendatissimus in hac nova editione in lucem exeat. Exemplar, quod ad te misit D. Antonius d'Urban, a mendis typographicis ipse correxi: sed quædam rursus observavi, quæ meam, & correctoris diligentiam subterfugerunt. Hæc infra notabo, additis etiam nonnullis, de quibus ab amico rerum mysticarum peritissimo monitus fui. Te igitur obsecro, ut ista diligenter emendes, priusquam librum typographo tradas; & si jam dedisti, recuperes, ut ea omnino corrigantur. Precor tibi, & fratribus tuis amicis nostris in proximis festis natalitiis abundantiam Cœlestium gratiarum; meque vicissim precibus vestris commendo. Romæ 20. Decembris 1672.

CCXCII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

MICHAEL HERKIUS Ordinis Eremitani S. Augustini.

Ut Cardinali morem gerat, continuum Azymorum usum in Eucharistia conficienda probare contendit.

JUssus non parere tantæ dignitati, merito arrogantiæ mihi tribui posset, aut incapacitati. Proinde ex mandato E. T. paucis perstringam, quæ de pane Azymo latius particulari scripto deduxi ad

ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum ex institutione Christi Domini nostri.

1. In primis autem certum est, Christum D. N. hoc Sacramentum cum Apostolis suis in pane azymo celebrasse: sive, ut pretius loquar ad scholam, ex pane azymo confecisse Sacramentum Corporis sui in ultima Cœna. Hoc habetur ex Matthæo cap. 26. ex Marco cap. 14. & ex Luca 22. *Erat autem Pascha, & Azyma*. Unde Joannes Chrysostomus Homilia 1. in Matthæum: *Post esum legalis Paschæ, ac proinde*, quando ex lege tantum azyma reperiebantur apud Judæos, *mysterium tradit, dicens: Accipite, & comedite &c.* quoniam imposterum *legalia cessare oportebat, & legalium festivitatum caput, & ad aliam transit Mensam formidabilissimam novæ Legis*. Cum igitur Christus post esum legalis Paschatis instituerit hoc mysterium, certum jam esse debet ex hoc S. Patre Græco instituisse in azymo, quali tantum tempore Paschæ vesci licebat; unde idem Homilia 31. in Matthæum: *In omnibus usque ad extremum diem ostendit legi se non esse contrarium: Ne autem legi contrarius esset, legem peragebat*; & in eo cum S. Joanne Chrysostomo omnes Latini Patres conveniunt.

2. Certum est quod si Christus post Resurrectionem aliquando consecravit, ut S. Augustinus primus in Ecclesia docuit, quod tantum in azymo consecerit mysterium, nunquam in fermentato. Hoc manifeste convincitur ex sacris literis, quæ referunt expresse decem apparitiones Christi, ut pulchre concentum format illarum S. Augustinus lib. de consensu Evangelistarum cap. 25. dicens: *Invenimus apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post Resurrectionem*; nempe usque ad Ascensionem; ex illis autem decem tantum quater cum Discipulis suis comedisse refertur, ut patet ex Evangelica lectione.

3 Certum est non constare, immo nec levi argumento apparere ex sacris literis, quod Christus post Resurrectionem unquam consecravit in fermentato; e contra certum est, quod si aliquando consecravit, nonnisi in Azymo confecit mysterium Corporis sui; & hoc ex decem apparitionibus per Evangelistas commemoratis, & quatuor comestionibus manifestum evadit legenti, & intelligenti textum.

4. Certum est ex Actis Apostolorum, quod Apostoli confecerint mysterium in Azymo.

5. Certum est non posse probari ex Scriptura, vel Traditione, quod aliquando confecerint in fermentato.

6. Quod si in hoc mysterio conjecturis utendum, certior, & firmior conjectura est, quod semper confecerint in azymo: si enim cum aliqua ratione fundata adstruitur, quod pro hoc Sacrificio habuerint in certis domibus Christianorum certas, & deputatas vestes, quibus inter sacrificandum utebantur; quanto magis in certis domibus istis certum, & selectum azymum panem præparatum ad hoc mysterium, quo viderant, & sciebant Dominum Jesum Christum in ultima Cœna usum fuisse.

I. ad Corinth. 11. 23. 7. Et inde bona conjectura est, quod Apostolo Paulo: *Qui accepit a Domino quod & tradidit nobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* a Domino traditum fuit, quod ipse in pane azymo hoc mysterium confecerit in ultima Cœna; quod si verum est, uti verisimile prorsus apparet, evadit etiam certum, quod Apostolus tradidit nobis in eo pane conficiendum, quem ipse a Domino acceperat.

rat. Unde his verbis ad Corinthios subsumit S. Cyprianus Epist. 63. *De Sacramento Calicis Domini*, quam Cypriani esse patet ex S. Augustini Lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 4.: *Quod si & a Domino præcipitur, & ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur, & traditur, ut quotiescumque biberimus, in commemorationem Domini faciamus, quod fecit & Dominus: invenimus non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, & nos faciamus; & Calicem Domini pari ratione miscentes, a divino magistro non recedamus. Ab Evangelicis autem præceptis omnino recedendum non esse, & eadem, quæ Magister docuit, & fecit, discipulos quoque observare, & facere debere, constantius, & fortius alio in loco Apostolus docet &c.* Quæ si sumantur in suo rigore, manifestius important, quod sicut Dominus docuit, & fecit, hoc est accepit Calicem, & vino aquam miscuit, quod sanguinem suum dixit, & fecit: ita similiter accepit panem, hoc est ex farina, & aqua compactum, & adunatum, quem in Corpus suum substantialiter convertit; ita & nos magisterio, & exemplo tanti Domini edocti accipere debemus panem azymum, hoc est ex farina, & sola aqua solidatum, quem in verbo Christi convertamus in Corpus ejus; sicut ejusdem magisterio accipimus calicem, & vinum aqua mixtum, & mysticis verbis convertimus in ejus sanguinem.

8. Certum est hoc voluisse S. Cyprianum, quando in eadem Epistola dogmatice subjungit: *Si vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum; & panis unius compage solidatum: quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus; ut quemadmodum multa grana in unum collecta, & commolita, & commixta &c.* Ecce quam distincte recenset omnia: Primum, *in unum collecta*, nempe in acervum: Secundum, *commolita*, nempe in farinam: Tertium, *commixta*, nempe per aquam, quia videlicet nec *farina sola*, nec *aqua sola* facit panem; *sed utrumque adunatum, & copulatum unum panem faciunt. Sic in Christo, qui est panis Cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus adunatus.* Quod autem hic panis Sacramentalis ex sola farina, & aqua adunandus sit, neutiquam fermento commiscendus, ex intento S. Cypriani clarissime patet, qui uti docet esse sequendum exemplum, & magisterium Christi, qui nec *vinum solum*, nec *aquam solam* obtulit in calice, sed *vinum aqua mixtum*: ita eodem exemplo, & magisterio docemur nec *farinam solam*, nec *aquam solam*, sed *farinam aqua copulatam* esse offerendam, qualem panem dumtaxat obtulit Dominus. Unde subdit ad Cœcilium Episcopum, cui scribit: *Non est ergo, Frater carissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem........ quærendum est enim ipsi quem sint sequuti: nam si in Sacrificio, quod Christus obtulerit, nonnisi Christus sequendus est*, qui utique panem ex farina, & aqua sine fermento coagulatum obtulit, *id nos obaudire, & facere oportet*.

9. Certum proinde mihi videtur Ecclesiam Romanam exemplo, & magisterio Christi per Petrum, & Paulum edoctam obtulisse in solo azymo, a Clemente I. in varias Ecclesias usum, & ritum derivando, & usque ad Clementem X. rectissime conservatum, quod per omnia secula facile ostendi potest.

10. Certum puto Tertullianum, Cyprianum, & Augustinum, & alios quosdam in contrariam opinionem adductos facile posse vindicari ab impositione, & pro azymis magis stare, uti ex Cypriano patuit: sed

 non

non urgente controversia parcius hac de re, utpote usu, & consuetudine satis nota, locutos fuisse.

11. Certum habeo proinde hunc Azymi usum descendere a traditione Apostolica juxta regulam Augustini de iis, quorum usus, & consuetudo scitur, & tamen origo, ac principium non agnoscitur ab Apostolis fuisse traditum.

12. Tandem Græcos ab hoc sancto usu descivisse, quando se a Romana Ecclesia cœperunt separare; & dum sciderunt Ecclesiæ unitatem, permittente Deo, etiam discesserunt ab unius selecti panis puritate. Atqui hæc raptim perstricta habeo latius deducta cum aliis multis eo pertinentibus, quæ videre poterunt publicam lucem, si quando E. V. pacifico calculo fuerint comprobata. Dabam apud S. Augustinum ipso S. Thomæ Apostoli die 1672.

CCXCIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES NEERCASSEL Episcopus Castoriensis.

Suam pro Benedictinis operam spondet; Catholicorum statum in Hollandia sub Galliarum Rege, & quid pro miseris egerit, exponit.

1. Quia vobis D. Benedicti filiis, nostris Apostolis Willibrordo, ac Bonifacio cultus debetur; is nobis imperat, ut, quantum possumus, elaboremus, ut sua ipsis Monasteria reddantur; nec obtentu majoris boni aliis addicantur. Id ergo a me exigit E. V. ad quod mea sponte sum propensissimus: nolim itaque meum ista in re studium existimes, perinde ac si foret meæ erga te observantiæ nonnullum argumentum. In rebus magis arduis mea tentanda obedientia, & erga E. V. devotio maxima, quæ, si crescere potuisset, novis fuisset aucta incrementis, dum adverti in Galliis quanto te amore colant quotquot in Galliis colunt virtutem, & amant sapientiam.

2. Quæ ad miserorum solamen a Rege Christianissimo postulavi, non quidem impetravi omnia: verum non pœnitendus ex meo itinere fructus exisset, præsertim si pax ineatur; nam repetitis vicibus mihi Rex promittere dignatus est, quod Religionis Christianæ summam curam ageret, sesque nostris Catholicis præberet Protectorem. A Condæo, qui sexto, aut septimo Aprilis die in Hollandiam proficiscetur, ut acquisitis Provinciis, & exercitui imperet, hæc promissa retuli; nempe, quod populis se se clementem exhiberet, illorum studeret solatio, & ita suum moderaretur imperium, ut potius patrocinium, quam gravamen plebi afferret. Princeps Longavillana ingenti pietate pro nostris populis Condæo supplicavit: unde spero etiam Acatholicos esse agnituros, quam libenter etiam illi pro ipsis intercedant, quos ipsi persequi, & proscribere solebant. Porro me profiteor. Bruxellis 29. Decembris 1672.

CCXCIV.

CCXCIV.

JOANNI MABILLONIO M. B.

JOANNES Cardinalis BONA.

Exscribendi Opuscula facultatem se petiturum spondet, & quid de Opusculis Eucharisticis agendum judicat, innuit.

HOC semel inter nos statutum volo ut, si quid tibi, tuisque studiis prodesse possum, opera mea libere utaris, nulla præmissa excusatione, aut præfatione. Serenissimam Reginam Sueciæ hodie visitabo officii gratia, petamque ab illa facultatem exscribendi Opuscula, quæ desideras, quæ certe pro sua erga me benignitate non negabit; sed quia mihi non indicas qui sunt libri, quibus indiges, oro, ut illos exprimas, nisi forte de his jam scripseris D. Antonio. D. Lucæ Dacherio plurimam ex me salutem dicas. Gaudeo, quod ejus Spicilegia in messem plurimam crescant: atque ita fere in hoc genere contingit: ex paucis granis in unum congestis horrea implentur: gaudeo etiam, quod IV. tui Seculi editionem brevi aggressurus sis: satius erit meo judicio hoc opus prosequi, quam ad alia divertere. De Opusculis Eucharisticis, quæ in itinere Belgico a te reperta sunt, nescio quid dicam; cum de his, eorumque argumento nihil specialim scribas. Si in præfatione IV. Seculi occasio orta fuerit de his tractandi, non erit alienum ab instituto tuo controversiæ statum breviter indicare, facta de prædictis Opusculis mentione, quo veluti libamento studiosorum aviditatem excitabis, teque urgebunt ad ea edenda. Si in præfatione, vel notis Seculi IV. rursum contingat de Azymis agere, oro, ut me mature admoneas, nam de his aliquid mittam, quod forte non displicebit. Deus te diu incolumem servet. Romæ die 3. Januarii 1673.

CCXCV.

D. BERNARDO AUDEBERT

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro felicis anni apprecatione gratum se dicens, ejus orationibus se commendat, & gratias agit, quod sui in illis memoriam faciat.

FElicem mihi hunc annum spero; neque enim preces, quas pro me effundis, irritas faciet Deus, qui pios ad se clamantium affectus non spernit. Qua de causa ex corde tibi gratias ago, quod mei non obliviscaris in orationibus tuis, quibus summopere indigeo. Dum enim tu ab omnibus curis, & negotiis liber dudum optata Monastici otii pace perfrueris, ego vice versa a Monasterii quiete avulsus, mare magnum, & spatiosum ingressus sum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, & turbines, ac procellæ, quibus fere demergor. Precor igitur, ne cesses clamare pro me ad Dominum, ut liberet me de profundis aquarum, & illud unum consequi præstet, quod est necessarium; quod utinam & mihi, & tibi ipso opitulante contingat. Romæ 3. Januarii 1673.

CCXCVI.

Patri MICHAELI a S. Augustino

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro mysticis institutionibus ad se missis gratias refert.

NE mihi ignotus esses, virtus tua, & pietas a P. Seraphino communi amico mihi sæpius commendata fuit: tum pleniorem tui notitiam ipsemet hausi ex lectione præclari tui Operis mysticarum institutionum, quod tuo nomine ab eodem Patre mihi oblatum avide perlegi, & ex ejus lectione didici, quam procul absim a fastigio Christianæ, ac Religiosæ perfectionis. Cum igitur Tractatum de Discretione Spirituum a me nuper editum tibi transmitti curavi, benevolentiæ tuæ mutuam vicem reddidi a te præventus, & provocatus. Ceterum Ordinem vestrum amo, & de illo benemereri studeo, ut consors esse merear orationum vestrarum, quibus me enixe commendo, tuisque præsertim, nam his maxime indigeo. Romæ 19. Januarii 1673.

CCXCVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

Fr. LEO BACORAS Regul. Observ. S. Francisci Commissarius Apostolicus.

Cardinalis authoritatem implorat pro Bullarum gratuita expeditione Glandatensis Episcopatus sibi nuper delati.

CUM celebris sit in tota Ecclesia humanitas, & protectio, qua dignatur E. V. omnes Sacrarum Musarum cultores; tum etiam singularis benevolentia erga omnes Sanctissimæ memoriæ Clementis IX. quondam clientes, eorumque fuerim in numero non ultimus: nec tantum ejus cliens, sed & Panegyrista non improbatus, cujus etiam jussu Poematium, cui titulus *Delphinus*, seu de prima Principis institutione sex libris composui, suæ Sanctitati quoque dedicandum ex acceptatione sua, nisi sub finem Operis e vivis excessisset, ad E. V. audacter recurro, ut tanti memor Pontificis E. V. quoque quondam Mæcenatis, id mihi beneficii sua intercessione præstet apud Ss. Clementem X. Prædecessoris sui non immemorem, quod ab eo, si adhuc in terris esset, facili negotio consequerer, scilicet gratuitam Bullarum expeditionem pro Episcopatu Glandatensi (*a*), quem mihi concessit Rex Christianissimus in testimonium suæ singularis erga tantum Pontificem venerationis. Hoc ut suadeam, neque paupertatem meam Minoriticam affero, neque redditus Episcopatus tenuissimos, neque provectam ad annos sexaginta quinque ætatem authoritate omni apud quoscumque creditores destitutam, sed Clementis IX. memoriam, quam scilicet unam spero E. V. præsidium mihi conciliaturam. Conservet Deus in multos annos E. V ad majorem nominis sui gloriam, suæque Ecclesiæ utilitatem. Parisiis 26. Januarii 1678.

(*a*) Urbs Glandatensis, seu Glandata, Glandèves, Galliæ Narbonensis in Provincia excisa, cujus tamen manet Episcopatus in Alpibus maritimis inter Sanicium, ac Diniam.

CCXCVIII.

CCXCVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Quæstionem de Azymis se retractaturum ait, postulatque, ut, si quid hac de re Cardinalis habet, transmittere non gravetur.

QUod mihi favorem, operamque tuam polliceri dignaris, rem facis moribus tuis, ac spei meæ convenientem; quod vero citra ullum meritum facis meum, gratias habeo quam maximas. Indicem Opusculorum, quæ petebam ex Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sueciæ, jam dudum transmisi non semel D. Antonio d' Urban, cui etiam nonnulla scripseram de libris a me repertis in Belgio, ut tecum de illis communicaret; jam animo destinaveram id, quod mihi persuadet E. T. nempe, ut in Præfatione Seculi IV. statum controversiæ Eucharisticæ, quæ in illud tempus incurrit, breviter exponam, facta mentione Opusculorum, & novarum observationum, quæ mihi quasi aliud agenti occurrerunt. Specimen totius Præfationis meæ faciam quamprimum, trasmittamque ad nostrum D. Antonium, ut, quidquid illud erit, judicio tuo discutias, & si quid hujusmodi habeat in adversariis, mecum pro tua benevolentia communicare digneris. Interim moneo fore ut argumentum de Azymo (nisi mentem mutare contingat) in ipsa Præfatione, aut forsitan Dissertatione singulari retractare cogar, id suadentibus amicis, & occasione favente; si quid ea de re submittere, aut suggerere dignabitur E. V., Reipublicæ literariæ ex te offeram, plurimam ex hoc habiturus gratiam, & authoritatem. Christo Domino te, tuamque salutem obnixe commendo. Vale. Lutetiæ Parisiorum VI. Kalendas Februarii 1673.

CCXCIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

LUCAS DACHERIUS.

Prima folia Tractatus de Discretione Spirituum Parisiis recusi transmittens, Opuscula Tomo XII. Spicilegii inserenda enumerat.

1. IN dies opperiebar Ludovici Billaine sæpius repetita promissa, ut E.T. de Operis tui editione iterata certiorem facere possem: tandem primum folium dedit Typographus, quod accurate correctum mitto ad E. T., si quid nihilominus nævi subrepserit, quod oculos nostros fugerit, rogo moneas: foliis frequentius eamdem diligentiam me adhibiturum polliceor. Porro librum ad minorem formam reduximus, quo ejus facilior sit usus, & Bibliopola lucri spe facilius vendere queat.

2. Incumbo nunc ordinando Spicilegii Tomo XII. Priores, qui occurrent Tractatus, erunt de Corpore, & Sanguine Domini in Sacramento, præter Opusculum de partu Virginis, nempe liber Paschasii Rathberti. Epistola Haymonis Halberstatensis, & Ratherii Veronensis; Adrevaldus contra ineptias Joannis Scoti; Anonymus Cellotii suo authori Assertus; alias Anonymus a Cellotio citatus; item Anonymus in Eucharistia. Hæc sunt, quæ tibi, Eminentissime Cardinalis, utpote erudi-

eruditissimo , atque amico patefacere volui , quo mihi hac in re tuo consilio , tuaque opera adjuvare digneris. Vale quam optime , ac pietate , doctrina , & scriptis , quod soles , Ecclesiam illustrare perge.

3 Ideo edendum existimavimus librum Paschasii , quod multa prætermisit Sirmondus , quæ nos ex MSS. supplebimus Forsan & dabibimus Ratramnum de Corpore , & Sanguine Domini ex pervetusto MS. emendatum . Parisiis in Monasterio S. Germani 3. Februarii 1673.

C C C.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro suo Tractatu ejus Opera Parisiis recuso gratum se dicens , Monachumque substitui hortatur , qui Spicilegii continuationi adlaborandæ incumbat.

1. GRatias tibi uberes ago , quod manu tua obstetricante libellus meus de Discretione Spirituum typis Parisiensibus renascatur: Placet quod ad minorem formam redactus sit ; nam & commodior erit , & facilius distrahetur. Si quæ menda typographica occurrerint, quæ diligentiam vestram subterfugerint , adnotabo ; ac propterea rogo te , ut folia , quæ singulis hebdomadis imprimuntur , mihi mittere pergas .

2. Quandoquidem in Tomo XII. Spicilegii tui subsistere , tuisque laboribus , jam exhaustis viribus , finem imponere decrevisti , non improbo consilium tuum ; hac tamen conditione , ut aliquem ex sodalibus tuis , qui ætate , & valetudine firmior sit , substituas , qui huic incumbat curæ , ut fiat , quod ait Poeta : *Uno avulso non deficit alter*. Adhuc multa latitant veterum Scriptorum monumenta , quæ operæ pretium foret in lucem proferre : nec desunt in vestra Congregatione Viri ad hoc opus idonei . Ceterum huic postremo Tomo optabam ego aliquid conferre : sed nihil hactenus occurrit , quod dignum videatur. Nuper vidi copiosum Indicem MS. Bibliothecæ Ducis Altempsii, & notavi inter historicos librum Ruperti Abbatis de expeditione Hierosolymitana sub Urbano II. , si non fallit inscriptio : & si reperiri poterit ; nam multos Codices ex hac Bibliotheca sublatos fuisse audivi, forsitan poterit in hoc Tomo locum habere. Non credo editum esse: & si extabit , tibique placeat , transcribi curabo . Interim gaudeo , quod aliquos tractatus de Sacramento Eucharistico paratos habeas, qui & propter Authorum famam, & ob excitatas ab Heterodoxis controversias grati , & acceptabiles erunt . Vale , & Deum pro me exora . Romæ die ultima Februarii 1673.

C C C I.

JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

De facultate sibi data exscribendi e Bibliotheca Reginæ Sueciæ quoscumque Codices certiorem facit.

DE libris a te repertis in Belgio dudum me certiorem fecit D. Antonius d'Urban, & gavisus sum, quod peregrinatio tua inutilis non fuerit .

fuerit. Ex Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sueciæ habebis quidquid volueris; suo enim Bibliothecario mandavit, ut det mihi quoscunque Codices postulavero. Catalogum, quem misisti, eidem Bibliothecario dedi: sed quia numeri a te notati discrepant ab inscriptis eisdem Codicibus, non statim potuit eos invenire omnes, cum præsertim nondum sit absolutus index Manuscriptorum. Si quem tamen nominatim desideras, scribe mihi, aut D. Antonio D'Urban, & curabimus transcribi. Quamprimum per occupationes licuerit, quæ his diebus plurimæ sunt, nonnulla ad re de azymis scribam a me observata post editum librum Liturgicorum. Interim a Deo tibi vires necessarias precor, ut opus incœptum perficias, meque tuis precibus enixe commendo. Romæ die ultima Februarii 1673.

CCCII.

JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Aperit qua ratione in quæstione de Azymis procedendum esse judicet.

1. CUM animadvertissem displicuisse nonnullis, quæ de azymo, & fermentato scripseram lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 23. decreveram hoc argumentum accuratius pertractare, meamque sententiam clarius, & distinctius explicare: sed novis quotidie supervenientibus negotiis, quæ nec differre, nec prætermittere possum, a proposito recedere compellor; ac tibi, qui de hac re in Præfatione III. seculi Benedictini copiose, & erudite scripsisti; & sicut ex literis tuis didici, de eadem re in Prolegomenis IV. iterum acturus es, hanc spartam exornandam relinquere, & exornandam. Tua enim multiplici eruditione efficies, ut e ruderibus antiquitatis veritas emergat, & elucescat; meque tibi arctius adstringes, si errores meos benigne correxeris. Hoc nimirum semper optavi scire, & cognoscere veritatem: nec unquam erubescam, si quid forte ab ea alienum incaute scribenti exciderit, expungere, & emendare. Ut autem petitioni tuæ morem geram, breviter indicabo, qua methodo putabam in hac disquisitione procedendum esse.

2. Et primo quidem mens erat certa ab incertis, & dogmata fidei a ritibus Ecclesiæ secernere. Certum enim est, Christum Redemptorem in ultima Cœna panem azymum comedisse, & in eo Eucharistiam instituisse: idque stabiliendum adversus Græcos Schismaticos, & aliquot etiam Latinos. Verum ex hoc facto Christi non licet inferre, quod in solis azymis conficere oporteat: nam si hoc necessarium foret, nunquam Ecclesia usum fermentati permisisset; certum est item, tam azymum, quam fermentatum verum panem esse; & in utroque validam consecrationem esse: certum denique est, convenientius esse Christi exemplum sequi, & in azymis conficere.

3. An vero Latina Ecclesia aliquando fermentato usa sit, res facti est, ad historiam, & ritum pertinens, qui mutationi, & novitati subjectus est; non ad fidem, quæ inconcussa, & immutabilis semper manet. Id vero tamquam indubitatum probari debet adversus quosdam, qui rem natura sua indifferentem in fidei dogma convertunt. Optime Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini cap. 10.

Utrum

Utrum ex azymo, an ex fermentato pane Corpus Christi confici debeat, inter Latinos, & Græcos magna concertatio est: cum tamen non sit contra fidem Christianam seu azymum, seu fermentatum sacrificetur. Tum quia utrumque panis est; tum etiam quia quamvis Christus de azymo pane Corpus suum fecerit, forsitan non quia res, quæ fiebat, ita exigebat; sed quia Cœna, in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat; panem tamen fermentatum non prohibuit.

4. Hoc posito velut fundamento indagandum est, quo pane in Sacrificio usi sint Apostoli, & eorum Successores per aliquot secula; azymo ne, an fermentato: an utroque indiscriminatim; & ego sane utroque indifferenter usos, sive fermentato, qui communior, magisque obvius erat; sive azymo, qui nitidiore farina facile parari, & sub cinere, vel in parvis clibanis statim coqui poterat, non improbabiliter opinatus sum. Etenim sæviente persecutione, quando in Carceribus, in privatis domibus, & in cryptis, aut speluncis terræ clam celebrabant, eo pane uti oportebat, qui tum fortuito occurrebat. Pro usu fermentati multa ego congessi, nunquam tamen, ut monui post Præfationem, usum azymi negavi. Dixi enim Apostolos panem consecrasse, qualem in domibus fidelium reperiebant sive azymum, sive fermentatum: tu vero pro azymis multa profers in tua Præfatione, de quibus quid sentiam, non contradicendi, sed inveniendæ veritatis studio breviter indicabo.

5. Num. 65. A facto Christi argumentaris, sed hæc ratio nimis probat, ut supra dixi.

6. Num. 66. Testem producis Isidorum, qui agens de compositione panis Eucharistici non meminit fermenti. Porro Isidorus illam sententiam transcripsit ex Epistola 63. Cypriani ad Cœcilium: sed nihil ex ea certi concluditur; nam non excludit fermentum: & fortasse intelligitur illa voce *copulatum*: cum ait Corpus Domini esse non posse similam solam, aut aquam solam, *nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*. Quod autem copulat, adunat, & solidat, fermentum est. Epistola vero Isidori ad Redemptorem suppostitia est, ut ipse agnoscis; Authoritatem Concilii Toletani tu pro azymo affers, qua ego pro fermentato usus sum. Quis autem mentem illorum Patrum melius perceperit, non est meum judicare.

7. Num. 67. Testimonium profers Hildefonsi Toletani ex relatione V. C. Emerici Bigotii; sed quidquid de eo sentiendum sit, ipse, cum legeris, pronunciabis. Integrum enim tractatum ad te mitto ex Codice Vaticano, quem laudabat Holstenius, accurate transcriptum.

8. Num. 68. Bedæ, & Paschasii testimonia usum universalem azymorum non probant, neque etiam Rhabanus Maurus id evincit. Ex eo tamen constat, si non ubique, saltem in aliquibus Ecclesiis Occidentalibus azymorum usum viguisse tempore Photii. Clare enim loquitur, & suspicio interpolationis tollitur, quandoquidem asseris antiquissimos Codices MSS. cum editis consentire; nimis tamen probat, cum ait oportere panem infermentatum esse.

9 Num. 69. Ex oblatis ferro characterato impressis infers, quod sine fermento fuerint; & hoc etiam magni momenti est ad probandum, quod seculo nono azymi panes in usu essent in Occidente. An vero hic mos ubique viguerit, non liquet.

10. Num. 70. Leonem IX. testem adhibes perpetuum in Ecclesia Romana azymorum usum astruentem. At ego Sanctissimum Pontificem sic interpretabar: ut non de ritu, sed de dogmate intelligendus sit.

sit. Declamat enim adversus Hæreticos, & agit de fide Petri, quæ nunquam deficiet. Tum Græcos perstringit, qui dicebant azymum non esse verum panem; & Christum consecrasse in fermentato, facta ultima Cœna ante diem azymorum; non igitur ad ritum, qui mutationem admittit, sed ad fidei dogma spectare mihi videntur verba S. Leonis, si serio perpendantur. Humbertus autem, Rupertus Abbas, & alii testes sunt suorum temporum: nec est improbabile, quod perpetuam fuisse crediderint eam consuetudinem, quæ ipsis viventibus in usu erat. Tu vero nosti, quæ fides illis præstanda sit, qui a Christo ad sua tempora morem aliquem viguisse testantur, nullo teste adhibito, qui seculis præcedentibus vixerit; certe Jurisperiti hujusmodi testimonia prorsus rejiciunt.

11. Num. 71. Primum Sitmondi argumentum pro fermento diluis ex vetusto Fidelium more, qui panem offerebant: panem utique consecrandum pro communione Sacerdotis, & Fidelium. Quamvis enim, si quid supererat, pauperibus distribui soleret, prima tamen intentio offerentium Sacrificium respiciebat. Hunc vero panem fuisse communem, & usitatum, ac de more fermentatum, qualis in domibus reperiebatur, ego post Sitmondum asserui, testem advocans Ambrosium, qui de pane consecrando loquens vocat eum *usitatum*. Addo nunc Justinum Martyrem, qui prope finem secundæ Apologiæ de Sacrificio Missæ sermonem habens: *Non enim*, ait, *ita sumimus, ut communem panem, & communem potum*: sive ut alius interpres vertit, *ut vulgarem panem, & vulgare poculum*. Similiter Irenæus lib. 4. cap. 34. *Jam*, inquit, *non communis panis est, sed Eucharistia*. *Panis* autem *usitati*, *communis*, *& vulgaris* nomine intelligi fermentatum certe mihi videtur. Scio quidem utrumque panem Romanis, & aliis gentibus in usu fuisse: nam Cornelius Celsus lib. 2. cap. 24. inter ea, quæ stomacho idonea sunt, recenset panem sine fermento: & cap. 25. panem fermentatum stomacho nocere ait: utriusque etiam meminit cap. 28. Nihilominus communem, atque, ut ita dicam, quotidianum, fermentatum fuisse manifestum est. Hunc siquidem præ ceteris laudat Plinius lib. 22. cap. ultimo: & Galenus de pane agens lib. 1. de alimentorum facult. cap. 2. eum, qui fermento caret, nemini esse accommodatum docet. Idem pro certo ponit Ambrosius serm. 22. explicans Parabolam fermenti. Si ergo panem communem offerebant Fideles, & hic fermentatus erat; hinc non leve argumentum desumitur ad probandum fermenti usum in Sacrificio.

12. Num. 72. Non constare dicis utrum Latini, aut Græci variaverint panis materiam. Hoc utique verissimum est; & inde caligo oritur, qua obvolvimur; nescientes utrum initio omnes Ecclesiæ unius moris fuerint, an utroque pane indifferenter, an solo azymo, vel fermentato determinate uterentur; & quis primum veterem usum mutaverit, quo tempore, qua occasione; quando mordicus cœperint Græci fermentato, Latini azymo adhærere: an diversarum Ecclesiarum mores fuerint; sicut olim erant in celebratione Paschatis; cur per annos mille inter Græcos, & Latinos nulla de hac panis diversitate mota sit controversia: cur Photius Græcanici Schismatis parens, qui multo minora, & etiam falsa Latinis objecit, de hac re siluerit, quæ postea tanta contentione inter partes agitata est. Cur inter Orientales soli Armeni, & Maronitæ azymo utantur: quando, & qua occasione uti cœperint; hæc omnia discutienda dubia diligentissime forent, & dissolvenda.

13. Veteres Scholastici ab hujus quæstionis difficultate se facile expediunt, asserentes utramque Ecclesiam Græcam, & Latinam ab initio, & deinceps in azymis consecrasse, donec Hæresis Ebionæorum exorta est, docentium legem Moysis simul cum Evangelio servandam esse; & azymum panem necessario consecrandum, in quorum detestationem Orthodoxa Ecclesia ubique gentium fermentatum adhibuit: illa autem hæresi extincta, Orientales fermentatum retinuerunt, Occidentales ad pristinum morem azymorum reversi sunt. Sed huic historiæ nullam fidem adhibendam esse ego in Liturgicis ostendo. Armenos azymum recepisse, cum recesserunt a Græcis, quo etiam tempore vinum aqua miscendum non esse decreverunt, ibidem narravi: idemque constanter illarum gentium historici affirmant; & hanc esse veterem illius Ecclesiæ traditionem aliquot Armeni Episcopi, & Sacerdotes a me interrogati; & aliqui etiam ex nostris rituum, & linguæ eorum periti confirmarunt. Ideo inter errores, quos abjurabant Armeni, cum redibant ad fidem Orthodoxam, hic legitur in veteri formula, quam D. Cotelerius edidit in notis eruditissimis ad lib. 5. Constitutionum Apostolicarum pag. 237. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum, & sal; nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit.* Maronitas credibile est usum azymorum recepisse, cum abjurata hæresi ad fidem Catholicam conversi sunt; quod Guillelmus Tyri Archiepiscopus suo tempore, & se præsente contigisse scribit lib. 22. suæ historiæ cap. 8. Ipsi tamen hoc negant, & Scriptores proferunt antiquissimos, asserentes Gentem illam semper Romanæ Ecclesiæ adhæsisse (a).

14. Vidi nuper librum de expositione Liturgiæ e Syro sermone in latinum translatum a D. Fausto e Monte Libano, Abrahami Ecchellensis Cognato, & S. Maronio adscriptum, quem vixisse ajunt sæculo V. vel VI. in cujus cap. 1. vel 16. hæc leguntur: *Ad illud, quod petistis, an conveniens sit offerri de pane azymo, vel fermentato, respondemus: quod de hoc non habemus præceptum Dominicum, vel Apostolicum, quod hoc jubeat, & illud vetet. Quapropter hi hoc, & illi in illo conficiunt, juxta morem detentum. Nam qui in fermento offerunt, arguunt nos simul cum Occidentalibus, atque Armenis, dicentes, quod azymus non est panis.* Tum ex scriptura probat vere azymum esse panem, quod Christus in azymo confecit. Verum hic liber post exortum Græcorum schisma, & post excitatas Græcorum turbas scriptus videtur, quod eruditioni tuæ examinandum relinquo.

15. Num. 73. Aliud argumentum solvis, notatos scilicet Ebionæos, quod pane azymo præter morem aliorum uterentur; & authoritatem Epiphanii adfers ad probandum usum azymorum tempore Ebionæorum, ac si illi ad imitationem Ecclesiæ in azymis Sacrificium offerrent. Sed ego sub tua, & aliorum eruditorum censura verba Epiphanii aliter intellexi: & ni fallor, ipsemet Epiphanius se ipsum explicavit hæresi 46., dicens: *Tatianum mysteria quædam instituisse ad Ecclesiæ sanctæ imitationem, sed ad ea nihil præter aquam adhibuisse.* Ubi vides *Ecclesiæ imitationem* non rem oblatam respicere, sed ipsam oblationem.

16. Num. 74. Ex silentio Photii nihil certi concludi ostendis, quod & ipse cognosco tum propter rationes, & conjecturas a te allatas, tum propter ea, quæ Leo Allatius notavit initio Exercitat. 28. adversus Creygtonum pro Concilio Florentino. Scire tamen optarem, qua de causa post duo fere secula a morte Photii acerrima de azymis contro-

(a) In horum, quæ dicit Card. noster, confirmationem: vide Asseman Tom. I. Bibliotecæ Orientalis pag. 409. 489.

troversia orta sit. Vellem quoque, ut ea dilueres, quæ pro usu fermentati a me allata sunt ex decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum; nihil enim gratius mihi contingere potest, quam ab amico corrigi, & emendari.

17. Ne quid autem prætermittam, quod ad præsentem causam facere possit, moneo extare Mediolani Chronicon MS., & ineditum S. Datio (*b*) Mediolanensi adscriptum, in quo leguntur hæc verba: *Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in pluribus officiis venerabiliter imitatus est; qui & Sacrificium, scilicet fermentatum, cum nostro Azymo in celeberrimis festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedicebat*. At Chronicon illud supposititium esse, & recentioris ævi jam multi notarunt. Nullius quoque momenti est Simeonis Thessalonicensis testimonium, utpote recentioris, & schismatici, qui libro de Templo, & Missa apud Goar in Euchologio pag. 214. ait: *Sanctus Gregorius author ille Dialogorum cum fermentato pane Sacrificium offerri testatur*; similiter Fehlavius Scriptor heterodoxus pag. 366. comment. ad librum Christophori Angeli de statu Ecclesiæ Græcæ asserit Apollinarem primum Azymorum inventorem fuisse; sed hæc Græcorum schismaticorum adversus Latinos scribentium fabula est, quemdam scilicet Apollinaris Discipulum, nomine Leucium, sive Felicem, Romam migrasse, & simulata vitæ sanctimonia ad Summum Pontificatum evectum, Azymum apud Latinos introduxisse. Scriptor etiam Anonymus, quem vidi in Bibliotheca Barberina inter Codices Græcos MSS. num. 75. ait: Carolum Magnum, cum Romam profectus esset tempore Leonis III. viæ comites habuisse aliquot Monachos Arii, & Apollinaris erroribus infectos, qui Urbem ingressi perverterunt * populum, docentes Spiritum Sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere ✠, & oportere in Azymis sacrificare, ita ut Azyma e Francia prodierint. Hæc ille, cui consonant alia apud Leonem Allatium libro citato pag. 571. & sequentibus, ubi etiam prædicti Felicis fabellam ex quodam Simeone Hierosolymitano recenset. Omitto alia Græcorum recentiorum figmenta, ne tempus in nugis inutiliter prodigam.

18. Hæc autem scripsi, ut studium tuum, & diligentiam excitarem, sicut scriptum est, *da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia*. Prov. 9.9. Ceterum Deum oro, ut *incerta, & occulta sapientiæ suæ* manifestet nobis; detque idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut, sicut hortatur Apostolus: *expurgato veteri fermento epulemur in Azymis sinceritatis, & veritatis*. Romæ die 4. Martii 1673.

(*b*) De hoc Datii Chronico inter alios legendus idem Mabillonius Tom. I. veterum Analectorum in §. *Judicium de Chronico Datii Archiepiscopi Mediolanensis*. Vide Epistolam sub num. CCXXXVII.

* Ita etiam legitur in lib. I. Rer. Liturg. cap. 23. §. 6. edit. Parif. in 8., & Antuerpiæ in fol., sicut & etiam in Epistola hac impressa ante Differt. de Azymo, ac fermentato Joannis Mabilbilonii edit. Ven. in fol.

✠ At mihi sensus, fateor, videtur, licet fabula sit, nonnihil obscurius, ac propterea clarius aliquid desiderari; & *præverterunt* legendum loco *perverterunt*, fortassis existimarem.

CCCIII.

D. JOANNI S.R.E. Presb. Card. BONA.

LUCAS DACHERIUS.

Cardinalem certiorem reddit, ejus librum de Discretione Spirituum ab Abbate Le-Roy gallice verti.

1. GAudio me perfudere maximo literæ tuæ die ultima Februarii datæ, quod Operis tui de Discretione Spirituum editionem Parisiensem a nobis accuratam placere videam E. T.. Folia, quæ singulis hebdomadis edita sunt, jam transmisi, mitto nunc reliqua.

2. De subsidiis, quæ singulari benevolentia polliceris ad augendum Spicilegium nostrum, gratias ago immortales. Proposueram equidem in Tomo XII. metam figere: at Superiores nostri, e quorum nutu totus pendeo, & amici reluctantur. Quam autem offero Ruperti historiam, prodiisse in lucem probe scio; haud itaque opus est, ut describatur.

3. Porro Librum de Discretione Spirituum Gallica lingua donat Illustrissimus Abbas Le-Roy hac in parte peritissimus, quippe qui feliciter libros complures e latino transtulit in gallicum. Ludovicus Billaine fascem parat librorum, præsertim Conciliorum ab E. T. petitorum, quæ brevi Romam transvehi curabit. Ego vero faustos dies Paschales tibi peropto, ut Salvatoris de morte triumphum ducentis particeps fias: ac vitæ hujus beato cursu peracto ad præmia convoles æterna, quod animitus optat. E Monasterio S. Germani die 24. Martii 1673.

CCCIV.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES MABILLONIUS.

De Azymis iterum se tractaturum spondet, cum id oneris sibi Cardinalis imponat.

1. STatueram equidem in IV. nostro Seculo de Azymo aliquid iterum scribere, sed modo meo, non modo illo sublimi, quem mihi præscribit E. T.. Longe quippe distat observationum forma (ubi quid occurrerit profers in medium) a legibus Dissertationum, in quibus argumenti alicujus tota ratio pro dignitate explicanda est. Illud vero in Azymi negotio difficultatem auget, quod secundum Viros eruditione, & authoritate summos dicendum est; idest secundum te ipsum, qui quantum dignitate, tantum doctrina, & sapientia mihi, meique similibus antecellis. Verum quoniam id operis mihi imponis, aggredior, Deo dante, non tam perficiendi spe, quam tibi obsequendi voluntate. Absit tamen, ut eo animo id suscipiam, quasi in eruditissimis tuis Rerum Liturgicarum Libris errores carpere, aut explorare velim: ita enim sapienter, & modeste ubique, maxime in controversia de Azymo temperasti sententiam tuam, ut mirum sit, nonnullos, quemadmodum scribis, in eam fuisse commotos. Ego vero ita sentio, totam hanc meri facti esse quæstionem; nec reum violatæ Religionis censendum, qui Azymorum usum in Ecclesia Latina perpetuum

fuisse

fuisse negaverit. Quinimmo eos contra Religionem pugnare, qui quod Ecclesia Romana tolerat in Græcis, citra injuriam Latinis adscribi non posse existimant: verum hæc alias; quamprimum patientur alia studia, quibus occupatus sum. Si quibus indignum videbitur, quod ego tantillus post Sirmondum, Holstenium, ac demum post te ipsum, Eminentissime Cardinalis, utrique parem hac de re scribere ausim, factum præstabit jubentis authoritas. Tibi vero jubenti, si res non cedat ad votum, reponam quod Theodosio vestro noster Ausonius quondam accinuit:

Te modo, te jussisse, Pater Romane, memento:
Inque meis culpis da tibi tu veniam.

2. Curabo certe, ut in Azymis nostris sinceritatis, & veritatis amorem non desideres. Vale, & æternum vive. Lutetiæ Parisiorum e Monasterio S. Germani de Pratis, Nonis Aprilis 1673.

3. In fine quam maximas ago gratias de Eldefonsi Episcopi libello (*a*), deque animadversionibus abs te factis in observationes meas, quod utrumque magnifacio.

(*a*) Hoc est Opusculum Eldefonsi Episcopi, sed cujus Sedis, ignoratur, quod Mabillonius suæ Dissertationi de Azymo annexuit ad calcem libri. Epistolam hanc quoque refert Thuillier Tom. I. Operum posthumorum pag. 96.

CCCV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

DANIEL PAPEBROCHIUS.

Paschate felici apprecato, Aprilis impressionem jam inceptam dicit.

VOlentem E. T. precari felix Pascha, spes remorata est proximæ conclusionis circa imprimendum Aprilem; hac tandem firmata, defungor grati Clientis officio, atque significo, datum esse impressioni initium apud Michaelem Cnobbarum Antuerpiensem Typographum nostræ huic domui vicinissimum, ea conditione, ut intra biennium absolvi debeat. Speramus felicem successum a Deo, si fausta E. T. apprecatio, & auxiliaris accedat oratio, quam post humile Sacræ Purpuræ osculum pro me, proque optimo Magistro meo P. Godefrido Henschenio supplex peto; etiamque ab Emin. Brancaccio, qui pro suo erga nostrum opus affectu gaudebit, se hujus nuncii participem fieri. Quod superest offero obsequia mea. Antuerpiæ 19. Aprilis 1673.

CCCVI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES BAPTISTA COTELERIUS.

Pro transmissis Indicibus grates dicens, suarum Lucubrationum statum exponit.

PAtere, Cardinalis sapientia, pietate, eruditione, juxta ac dignitate Emin. ut de acceptis literis tuis plenis benevolentiæ, & benignitatis, deque transmisso duplici MSS. librorum Indice gratias tibi agam quam maximas, habiturus immortales. Jam satis Opusculorum sacrorum e Codicibus Græcis collegi ad conficiendum primum meorum voluminum; ea quippe tantum forma edentur, quam *in quarto* appellant.

pellant. Mox interpretationi navabo operam, deinde & notis. Interim ubi opus facto fuerit, in lacunis, in locis suspectis Romanorum Exemplarium implorabitur fides; cumque me e primo Volumine expediero, de secuturis cura erit. Non paucis sufficit Christianissimi Regis Bibliotheca, qua hactenus usus sum; sed quid ego nugis meis aures tuas occupo? Deus te servet Purpuratorum decus, Literatorum præsidium. Pietatis tuæ est de me immerenti benemereri. Parisiis Pridie Kalendas Majas 1673.

CCCVII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

LUCAS DACHERIUS.

De absoluta editione Tractatus de Discretione Spirituum, deque brevi perficienda versione ejus Gallica certiorem reddit.

1. NON antea volui scribere ad E. T., quam libri tui de Discretione Spirituum editio Parisiensis perfecta esset; nunc absoluta publice venit liber, & D. Billaine nonnulla mittet Exemplaria ad E. T. una cum novis Conciliis apte, & eleganter more nostro compactis, quæ spero tibi grata fore. Errata quoque peracta editione idem curavit imprimi, ubi advertendum non plus adjecisse, quam notaveras: correximus enim menda quædam in exemplo tuo omissa; correxit & alia Illustrissimus Abbas Le-Roy. Porro verba ista pag 320. linea 8. *Scholastici certant, & adhuc sub Judice lis est* expunximus, quia voluerunt Doctores libri approbatores (nimirum in Gallia respuuntur hujuscemodi revelationes), quibus refragari ausus non sum; alioquin Judex Politiæ Civilis, ut ajunt, facultatem imprimendi non tribuisset, nisi Doctorum approbatio exhibita fuisset. Eam autem approbationem inserere Libro tanti Cardinalis, cujus doctrina approbatione haud indiget, quippe superat cujuscumque eruditissimi Doctoris judicium, indignum esse existimavi, uti & Doctores illi, qui mire opus tuum laudant, censentque utilissimum omnibus solidæ pietatis amantibus, curam præsertim gerentibus animarum.

2. Versionem Gallicam prosequetur Illustrissimus Abbas Le-Roy, jamque folia ad me complura transmisit, ac se brevi absoluturum spondet. Dom. etiam Billaine cudere primum folium simili forma, atque latinum, nunc accurat. Folium istud cito mittam ad E. T., quo videris quanti in Gallia Viri eruditi faciant lucubrationes tuas, dum ut celebriores sint, & manibus eorum terantur, etiam qui linguæ latinæ inscii sunt, has in suam traducunt. Ego vero, quæ ad te pertinere arbitrabor, libentissime faciam; quæque, si monueris, omni studio, curaque omni præstiturum me, velim, tibi persuadeas. Alieno calamo hac vice usus sum, quod inchoatam Epistolam manus tremula perficere non potuit. Vale quam optime, & diutissime. Parisiis die 12. Maii 1673.

CCCVIII.

CCCVIII.

DANIELI PAPEBROCHIO
JOANNES Cardinalis BONA.

De Aprili proxime edendo gaudet.

REM facis amori, quo te prosequor, consentaneam, cum mihi felix Pascha precaris: amo enim te, & optimum P. Henschenium; vestrosque labores pro gloria Dei, & Sanctorum præ ceteris æstimo, & admiror. Gaudeo quod de Aprili edendo cum Typographo conveneris, Deumque oro, ut feliciter absolvatur. Multam vobis salutem reddit Emin. Cardinalis Brancaccius (a): ipse tamen ab aliquot mensibus ægrotat annis gravis, utpote annum agens octogesimum secundum, & molesta vexatus infirmitate. Ipsum, & me orationibus tuis enixe commendo; meque ad omne officium tibi exhibendum semper paratum offero. Romæ die 20. Maii 1673.

(a) Hic est Franciscus Maria Brancaccius Neapolitanus, die 28. Novembris 1633. ab Urbano VIII. Cardinalis renuntiatus, cujus vicissitudines describit Palatius in Cardinalium Fastis.

CCCIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA
LUCAS DACHERIUS.

Specimen versionis Gallicæ Tractatus de Discretione Spirituum mittens, Exemplar Viæ Compendii ad Deum, similiter Gallice vertendum, postulat.

1. UT stem promissis, ecce primum folium, seu Specimen Gallicæ versionis de Discretione Spirituum mitto ad E T.; omnia mihi videntur elegantissima; characteres, charta, atramentum: versio vero disertissima, ac perpolita; quæ si tibi grata fuerint, nobis erit perjucundum cognoscere. Hac equidem in re nihil aliud intendimus, quam animarum spiritualem profectum, & nonnihil erga E. T. observantiæ, & amoris, quum majoris momenti occasio se offert nulla. Porro fronti illius folii ponetur urticula, *Vignette* appellamus, in ære incisa.

2. Venit & in mentem curare, ut traductio in linguam nostram fiat Operis tui, cui titulus *Via Compendii ad Deum*: spes enim est fore utilissimum iis potissimum, qui mysticæ Theologiæ studio incumbentes, terrenis abdicatis, cœlestia, ac superna appetunt. Operæ igitur pretium esset, ut ad nos E.T. citius trasmitteret Exemplar Libri Romæ editi, accurate emendati, cujus editio Parisiensis, ut scias, desiit jampridem. Vale quam diutissime ad Ecclesiæ decus, & solatium nostrum. Parisiis e Monasterio S. Germani 2. Junii 1673.

CCCX.

CCCX.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

De sui libri approbatione gaudens, sibi displicere ait, quod nonnulla ab eo Tractatu de Discretione spirituum fuerint expuncta: quid autem servandum sit in Gallica versione, exponit, & Abbati le-Roy ejusdem Traductori grates refert.

1. Gaudeo, quod meus libellus de Discretione approbationem Doctorum vestrorum pro illorum benevolentia meruerit; maluissem censuram: multa enim fateor in illo esse, me quoque, qui feci, Judice, digna lini. Quod verba illa pag. 320. *Scholastici certant, & adhuc sub Judice lis est*, deleri mandaverint, ideo displicet, quia sensus remaner imperfectus: quare satius fuisset totam clausulam expungere ab illis verbis: *an vero private*, quod in Gallica versione servandum erit; ceterum non video qua de causa respuantur in Gallia, ut ipse scribis, privatæ revelationes, cum nihil frequentius occurrat in gestis, & scriptis Sanctorum. Aliud est differere de fide, quæ illis adhibenda est; aliud eas omnino respuere.

2. D. Abbati le-Roy plurimum debeo, quod libellum meum in Gallicam linguam eleganter transferat, quem ego Latine malum feci: oro, ut illi meo nomine gratias agas. Concilia expecto a D. Billaine, a quo etiam curabis mitti tria vel quatuor Exemplaria prædictæ versionis Gallicæ, cum fuerint absoluta. Commendo me tuis orationibus, ac tibi perennem precor felicitatem. Romæ 6. Junii 1673.

CCCXI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

BENEDICTUS Abbas Cæsareæ (a) Ordinis Cisterciensis.

Cardinalis patrocinium implorat pro obtinenda facultate celebrandi Officium, & Missam in Festo S. Richildis Ordinis S. Benedicti, & consecrandi Altaria Basilicæ sui Cœnobii.

1. Assilio ad palatii fores E. T. ea fiducia, qua causa pia, piorumque vota me animant, semper nanciscentia clementissimum patrocinium apud E. T. cum igitur in propinquo templo sydus beatum miraculis ab immemorabili tempore jam fulgeat, B. nimirum Richildis (b) in Sacrarum Virginum Cœnobio Hochenevvart Ordinis S. Benedicti, sicut ex attestatione Reverendissimi, ac Celsissimi Principis Episcopi Augustani, quam E. T. exhibebit in Originali P. Benedictus Jannen ob hoc a me Romam specialiter directus, constat: ideo ad

hoc

(a) Cæsarea vulgo *Kaisbaim*, seu *Kaisersbaim* in Moguntina Diœcesi, Ducatu Neuburgensi, magnificum, ac pulcherrimum Monasterium fundatum anno 1133. ab Henrico Comite de Lechsmund, & ejus Conjuge Loicarde inibi in eodem tumulo sepultis. De eodem fusius Manrique Tom. 1. Annal. Cisterc. ad annum 1134. c. 8. num. 4. Videndus etiam Erusius in Augustana Diœcesi circa Danovverdam Urbem Imperialem, sicut & Jongelinus in suo Tractatu Notitiæ Abbatiarum Ordinis Cisterciensis per universum Orbem.

(b) Hujus admirabilis Virginis meminit Bucellinus in Menologio Benedictino, Annales Ordinis; Arturus in Gineceo ad diem 23. Augusti; Raderus in Par. 2. Bavariæ; vivebàt autem circa annum 1100.

hoc plurimorum precibus requisitus, supplicare Emin. T. volui demisse, quatenus negotium tam sanctum suscipere, & ad effectum bonum, saluti peregrinantium animarum multo altius profuturum, apud suam Sanctitatem promovere clementissime dignaretur; ut nimirum de B. Virgine Richilde deinceps in illius Festo, & per octavam in Ecclesia memorati Monasterii Officium Divinum Canonicarum horarum, & sacrosanctæ Missæ cantare, & recitare, & votivas itidem Missas ad peregrinantium vota, petitionesque celebrare liceat.

2. Præterea quoniam Basilicam Cœnobii mei Altaribus exornare instituo, allubeat, rogo, E. T. impetrare tenuitati meæ potestatem eadem Altaria consecrandi ad parcendum multis sumptibus, quos Episcopales solemnitates consumunt, suffocaturæ vetusta Ordinis nostri privilegia, si semel admitterentur in his partibus. Pro tantis gratiis adlaborabo cum meis omnibus, in quos ab E. T. derivabuntur, precibus, ac votis apud superos esse gratus, jugiter, instanterque eos rogaturus, ut E. T. conferant in seram ætatem dies videre bonos in florentissima sospitate, tandemque bona in terra viventium. Ita vovens me totum, meosque clementiæ E. T. devoveo, demisseque commendo. Cæsareæ 12. Junii 1673.

CCCXII.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Ratam habet versionem Gallicam libri de Discretione spirituum.

1. VIcit omnem spem, & expectationem meam versio libelli de Discretione spirituum in linguam Gallicam, cujus ad me specimen misisti. Quidquid enim spectat ad optimum interpretandi genus, in ea mirabiliter relucet: styli elegantia, verborum proprietas, & sensus Authoris fidelissime expressus. Accedit typi venustas, quæ vel invitos cogit ad legendum; interim precor, ut D. Abbati le-Roy plurimas meo nomine gratias agas.

2. Viam compendii ad Deum Gallice item verti gratissimum mihi erit. Utinam prosit multis, sed mihi præcipue: ne qui viam aliis indicavi, ipse a semita aberrem. Unum ejus Exemplar a mendis typographicis expurgatum D. Antonio dabo, qui ad te mitti curabit. Deus te diu incolumem servet. Romæ 26. Junii 1673.

CCCXIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

PETRUS DE GOUSSAINVILLE.

Observationes in Rerum Liturgicarum Librum spondet, & Tractatum de Discretione spirituum summopere extollit.

1. CUR tamdiu nullas ad E. V. literas dederim, hæc causa fuit: Librum Rerum Liturgicarum legendum susceperam, & observationes ex eo quasdam, juxta E. V. mandatum, facere statueram; jamque in eo labore multum progressus fueram, ut quamprimum eas ad E. V. mitterem; nempe quia D. Billaine distractis cito primæ editionis Exemplaribus, secundam se meditari editionem mihi renuntia-

verat. Sed ecce illum alterius E. V. libri editionem, scilicet de Discretione spirituum, aggredientem vidi; unde & laborem meum intermittere statui, donec rescíverim, an E. V. de altera illa editione cogitet; tuncque, si ipsi gratum fuerit, observationes illas qualescumque missurus sum.

2. Interim immensas E. V. refero gratias de libro illo novo de Discretione Spirituum, qui mihi ex benevolentia vestra datus est; quemque legi summa cum animi voluptate; de quo quid aliud dicam, non habeo, nisi quod ceteris ingenii vestri fœtibus quam simillimum reperi: idest summa eruditione, sapientia, & spiritu refertissimum. Gratias D. O. M. qui mihi ex operibus E. V. tamquam ex amœnissimo horto omnimodas florum species ad concinnandum nostrarum in Epistolas Gregorii Magni notarum sertum colligendi materiam præbuit. Et hæc mihi non levis est consolatio in mora, & tarditate librariorum, quod tanto bono frui meruerim. Incolumem E. V. Deus servet ad multos annos. Parisiis 14. Julii 1673.

CCCXIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA
STEPHANUS BALUZIUS.

Totus est in commendatione Libri de Discretione spirituum.

1. LEgi his diebus, Em. Domine, Librum de Discretione Spirituum a te compositum, quem mihi tuo nomine nuper obtulit vir optimus Lucas Dacherius. Librum sane aureum, & quo maxime indigere videbatur Ecclesia Dei his infelicissimis, & depravatissimis temporibus, quibus nemo fere est, qui sapere sciat ad sobrietatem. Haud enim ulla alia est pars, in qua se lubentius, & frequentius exerceat Satanas, quam in ista, deludens nos sub specie boni, bellumque atrocissimum inferens mentibus humanis blanda sub imagine pacis. Itaque qui salutem animarum concupiscunt, ii se plurimum tibi debere profiteantur necesse est; qui modum demonstrasti, quo verum a falso discerni possit: hoc est rationem repellendi artes, & fallacias antiqui hostis generis humani, qui transfigurat se aliquando in Angelum lucis, ut facilius nos decipiat. Quot enim, exempli gratia, boni Monachi, quot sanctimoniales, quot denique mulierculæ sibi interdum blandiuntur, quasi familiariter colloquantur cum Deo, & Sanctis ejus; tum mysteriorum secretorum, & doni prophetiæ participes fiant; revelationum porro immensos, abditissimosque recessus facili per Dei gratiam ingrediantur via. Et tamen iidem, si discernere spiritus nossent, hoc est, si sequerentur regulas a te præscriptas in hoc libro, abjicerent profecto cogitationes illas, agnoscerentque cogitationes esse spirituum malignorum. Valde enim tecum sentio, Eminentissime Domine, non omnia somnia a Deo esse, aut prophetica; revelationes porro, & exstases esse dijudicandas. Non quod negare velim, quin Deus interdum gratificetur Sanctis suis, eos prophetiæ, aliarumque gratiarum dono cumulans; sed quod hæc rarissima esse oporteat; ne, si tam frequenter evenirent, ac plerique putant, non gratia jam Dei peculiaris videri possit, sed mos, & consuetudo, a qua Deum liberare nollent, qui se Sanctos esse sibi semel persuasissent: jam quid dicemus de iis, quos multæ literæ ad insaniam pertrahunt, & horrenda præcipitia, ut tua verba

verba ponam, dum sibi putantur sapere, ac spirituum directionem sibi temere arrogant? Quam tentationem esse periculosissimam duobus magnis exemplis ostendisti ex commonitorio Vincentii Lirinensis; itaque, ut ad id redeam, unde digressus sum, ago tibi gratias, Eminentissime Domine, pro hoc tuo munere, quod æternum servabo, velut testimonium tuæ in me benevolentiæ, & ut ope ejus cavere possim a fraudibus, dolis, ac periculis, quæ tua summa pietas, ac eruditio cavenda monet in ipso Operis ingressu.

2. Joannes Mabillonius Monachus Benedictinus Vir, ut recte scis, Eminentissime Domine, plurimæ, & reconditæ eruditionis, tum haud vulgari pietate, ac modestia præditus, cum ad me his diebus venisset, admonuit me, pervenisse tandem in manus tuas Dialogos Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani, novissima luce a me donatos. Gaudeo sane quod vel sero Librum illum accepisti. Utinam autem opera a me huic Operi præstita tibi probetur, Viro harum rerum peritissimo. Vale, vir optime, & Em. Cardinalis, & me semper ama virtutum tuarum ingentium cultorem eximium, Parisiis XII. Kalendas Augusti 1673.

CCCXV.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES NEERCASSEL Vic. Apost. & Castoriensis Episcopus.

Cardinalem orat, ut Epistolas Fratris Ultrajectini Gubernatoris laudare velit, ut hoc incitamento facilius ad ejurandum Calvinismum permoveatur.

ETsi hic aliud vix audias, nisi bella, & opiniones bellorum, subinde tamen, quasi Bellona Musarum foret amica, ipsi milites inter armorum stridorem hic quædam edunt opuscula, quorum si elegantiam spectes, in pacis otio nata, & expolita videbuntur. Ea inter eminere mihi videntur quædam Epistolæ, quas Frater Gubernatoris nostri ad Helveticum Ministrum scripsit; unde etiam non indignas existimo, quæ ad E. V. mittantur. Si vestram laudem mereantur, eamque aliquo verbo suis ad me literis exprimere digneris, magnum momentum adferes, ut Vir doctissimus, nec minus in militia strenuus Castris Gebennensibus eripiatur, & Ecclesiæ Catholicæ, cui jam ejus frater ejurato Calvinismo nomen dedit, velit adscribi. Antequam vir ille armatæ serviret militiæ tum Basilææ, tum Londini, aliisque in locis Calvinianum egit Ministrum; crediderim, quod nunc quærat occasionem Calvinismo renunciandi, quod etiam ejus Frater Ultrajectinæ Civitatis Gubernator vehementer optat. Aliquo ergo incitamento E. V. forsan cum vacillet, permovebitur, ut Catholicam fidem profiteatur. In colloquio, quod nudius tertius cum ipso habui, V. E. perhonorificam fecit mentionem: unde audeo rogare, pro vestro animarum zelo, ut vestræ approbationis titulo hærentem digneris incitare. Porro me profiteor Ultrajecti 28. Julii 1673.

CCCXVI.

PETRO DE GOUSSAINVILLE
JOANNES Cardinalis BONA.

Promissas, acceptas sibi fore asserit, in Liturgica observationes.

QUamvis me ab adolescentia, insanabile scribendi cacoethes corripuerit, nunquam tamen lucubrationibus meis ita affectus sum, quin libentius earum censuras audierim, quam laudes: scio enim quam mihi sit curta supellex; illudque animo infixum hæret, quia *in multis delinquimus omnes*. Tibi igitur gratias ago, quod Librum Rerum Liturgicarum perlegeris; & quædam, ut scribis, in eo observaveris; quæ quidem notæ, & observationes eo gratiores mihi erunt, quo plures, & acriores fuerint. Oro, ut quamprimum eas ad me mittas, ut ex labore tuo proficere, & errata corrigere valeam. Quod si hoc opus D. Billaine recudere cogitat, opto ne me inconsulto manum editioni admoveat; de qua re, obsecro, ut illum admoneas. Gregorius tuus avide expectatur: verum hic locum habet vetus parœmia: sat cito, si sat bene. Deus te diu incolumem servet. Romæ 8. Augusti 1673.

Jacob. 3.

CCCXVII.

STEPHANO BALUZIO
JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus in Antonii Augustini Dialogos notas laudat, gratias agens, quod honorificam sui mentionem fecerit.

DUM variis occupationibus implicatus, & molesta per aliquot dies vexatus ægritudine tibi debitam gratiarum actionem differo ob librum a te nuper editum de emendatione Gratiani, quo me honorare voluisti, prævenerunt me humanissimæ literæ tuæ, quæ dormientem excitarunt, & prætermissi officii admonuerunt. Oro igitur, ut ignoscas, si serius quam par erat, hoc munus expleo. Revixit plane opera tua Antonius Augustinus doctissimis tuis, atque eruditissimis additionibus, ac notis locupletatus, in quibus ostendisti te nihil eorum latere, quæ ad rerum Ecclesiasticarum, veterisque disciplinæ, & canonum exactam cognitionem spectant, nonnullis exceptis, de quibus te amice moneo. Sed & in his elucet acre judicium, & mirabile criterion, quo antiquorum scripta, & acta recenses, & expendis. Gratias autem ago, quod mei honorificam mentionem non semel feceris (*a*), meosque conatus in rebus Liturgicis elucidandis non improbaveris. Quod vero attinet ad Tractatum meum de Discretione spirituum, quem pro tua erga me benignitate prolixe commendas, maluissem a te censuram ejus audire, quam laudes: neque enim dubito, quin multa offenderis, quæ tibi merito displicuerint. Communi amico Joanni Mabillonio viro optimo, & eruditissimo oro, ut plurimam ex me salutem dicas. Deus te diu bono rei literariæ incolumem servet. Romæ 8. Augusti 1673.

CCCXVIII.

(*a*) Cardinalis honorifice meminit pag. 560. & 563. Quæ autem sint illa, quæ excipienda judicat Bona, in privatis ejus schædis leguntur: unde officiosam hanc literam apparenter dedisse fatendum est; inclusis in ea, quæ correctione indigebant, & amicabiliter amico communicatis.

CCCXVIII.

JOANNI NEERCASSEL Episcopo Castoriensi, ac Vicario Apostolico
JOANNES Cardinalis BONA.

Transmissas Epistolas, de quibus supra num. CCCXV. *a se volupe lectas asserit, easque commendat.*

Literæ tuæ semper mihi gratissimæ, nunc solito gratiores extiterunt; ubertimum enim tuæ erga me benevolentiæ fructum ex his percepi, doctam scilicet, & accuratam Dissertationem de Religione Batavorum sex viri illustris; & quod mirabile est, militaribus exercitiis occupati, ad Theologum Helveticum Epistolis expositam, quarum lectione mirifice delectatus sum. Nihil his elegantius, nihil acutius: quotque in illis periodi, tot sunt de adversariis victoriæ. Quod si hæreses ad sua principia reduxisse, confutasse est, ut nos docent Patres Sancti; vicit plane errorum omnium monstra vir eximius, ostendens evidenter tam in Hollandia, quam in aliis Regionibus Sectas omnes initium, & augumentum accepisse, cum perfidia discordans ab avitæ Religionis unitate discessit. Hoc lumen in mente hominis Calvini hæresi adhuc addicti e fonte supernæ lucis eluxit; adeo ut non dubitem, quin ejurato Calvino fidem Orthodoxam protinus amplectatur, quæ a Christo, & ab Apostolis per legitimam Pontificum successionem ad nostra usque tempora propagata, totque Virorum sanctitate, & doctrina illustrium, tot Regum & Principum, totque nationum consensu, judicio, & authoritate comprobata est. Id namque verum, id Apostolicum est, quod a majoribus nostris acceptum semper, ubique, & ab omnibus creditum est: id vero falsum, quod a Novatoribus inventum est. Cum igitur hanc veritatem ille agnoscat, & de ea luculentum testimonium perhibeat, jam ipsum ut filium Romanæ Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, cum gaudio amplector. Hæc est spes mea, hoc votum, in quo Epistolam claudo, tibique, & illi gratiæ divinæ plenitudinem ex animo precor. Romæ 6. Augusti 1673.

CCCXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA
LUCAS DACHERIUS.

Emendatos dicit errores Gallicæ editionis Tractatus de Discretione spirituum.

EAdem plane hora, qua literulas tuas accepi, me invisit D. Floriot, qui curam egit Gallicæ editionis libri tui de Discretione spirituum. Ipsi mendum ab E. T. notatum ostendi, quo cum illud emendavi, & unguiculum (*unglet* vocant) idest binas paginas recte correctas typographis tradendas curavi, ut recudant. Non enim necessarium judicavi ea de re monendum esse Interpretem; quippe facili negotio erratum istud quivis castigare; atque ut alios possis nævos advertere, si qui in toto Opere irrepserint, cetera folia ad E.T. mitto, cujus responsum præstolabor. Interim D. Billaine agit, ut Regis privilegium, & Doctorum approbationes obtineat. Quod vero scire cupit E. T. valetudinis meæ sta-

ftatum , fingulari amicitiæ erga me tuæ adfcribo . Gravius multo a duobus menfibus infirmitates quotidianæ me vexaverunt , adeo ut folita ftudia coactus fim fæpius intermittere. Enixe igitur oro, ut dum ad Altare Dei facra facis, mei digneris meminiffe, quo valeam hifce infirmitatibus uti ductus fpiritu pœnitentiæ . Vale quam optime , & diutiffime. Parifiis ex Monafterio S. Germani 28. Augufti 1673.

CCCXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES BAPTISTA THIERSIUS.

Tractatum de Expofitione Sanctiffimi Sacramenti ad eumdem mittens, Rogatque, ut, quid de ipfo fentiat, exponere non dedignetur.

DAtum a me nuper in lucem de Sanctiffimi Altaris Sacramenti expofitione Tractatum mitto tibi , non in teftimonium modo obfervantiæ erga te meæ ; cultufque fingularis, fed ut quid de eo opere fentias, pro ea, quam non femel jam alias expertus fui, fumma humanitate digneris mihi fignificare; quod ut facias, etiam, atque etiam obteftor . Is enim es , cujus judicio nihil non tribuo . Cujus fententiæ claufis, ut ajunt oculis, acquiefco; cujus calculis, fi nudus labor comprobetur, quin ab eruditis, piifque omnibus fit comprobandus non dubito . Cur Gallice, non Latine fcripferim, fecere Galli noftri, qui latine nefciunt: & de argumento tamen, quod tractandum fufcepi, inftituendi erant . Fecere quoque Illuftriffimi Viri Francifcus Rothomagenfis Archiepifcopus, & Gabriel Albafpinæus Aurelianenfis Pontifex, qui de peritioribus Euchariftiæ Arcanis Gallice fcripferunt . Nemini, quod fciam, antea tractata cum fuerit, quam aggreffus fum, materia, fi quid incaute peccatum fit, facile condonabit æquus quique rerum æftimator . Condonabis, fpero, & tu in primis; eaque fpe fretus tuorum beneficiorum memor vivam, moriarque. In Campo rotundo prid. Kal. Januarii 1672.

Licet hæc Epiftola fuperius fcribenda foret, eam tamen hic collocare fatius vifum eft, cum vicinior fit refponfivæ Cardinalis Epiftolæ ferius datæ , quia & hæc tardius reddita.

CCCXXI.

JOANNI BAPTISTÆ THIERSIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Tranfmiffum Tractatum approbat , & commendat.

LIbrum tuum de Expofitione Sanctiffimi Sacramenti ante aliquot hebdomadas accepi , fed gratias tibi reddere diftuli partim occupationibus, partim ægritudinibus impeditus. Hodie autem literæ tuæ die poftrema Decembris anni præteriti fcriptæ, redditæ mihi funt a Tabellario Gallico , hac hebdomada Romam allatæ, in quibus meam de illo fententiam amice exquiris . Exiftimo autem quod ipfam dudum audieris a communi amico D. Luca Dacherio : Librum videlicet optimum effe , & pium , & ab omnibus Viris doctis, ac eruditis approbatum . Omnes autem mirantur , quod argumentum per fe fterile, & hactenus intentatum tanta ubertate tractaveris, ut nihil ei defit , nihil

ultra

ultra desiderari possit. Audivi rumorem propter illum a quibusdam Parisiis excitatum fuisse, sed protinus sedatum, cum nihil in eo censuræ obnoxium repertum sit. Gratias tibi plurimas ago, quod Bibliothecam meam ipso augere, & ornare volueris: & interim alium expecto a te promissum de institutione Festorum. Deus tibi vitam longam, & incolumem tribuat, ut possis Ecclesiæ suæ tuis scriptis prodesse. Romæ 29. Augusti 1673.

CCCXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Filium D. Du-Cange Cardinali commendans, adturumque se spondet, ut, quid de Tractatu Liturgico sentit, per literas, & censuram proferat.

1. LAtor præsentis Epistolæ Filius est V. Cl. & de Republica literaria quam optime meriti D. Du-Cange (*a*), cujus nomen haud ignotum erit E. T. Is Filium suum Romam missurus tamquam ad Academiam præstantium ingeniorum optavit eum per me accessum aliquem habere ad te, Eminentissime Domine, propterea quod rescivisset me plurimum dignationis abs te hactenus suscepisse. Non potui id negare optimo viro, & quidem mihi amicissimo; tametsi persuasum mihi erat literarum studiosos non egere commendatione apud E. T. Erunt ergo hæ non tam commendationis, quam testimonii loco, quod a me exigunt amicitiæ leges. Non dubito, quin probaturus sis, si non commendantis ausum, saltem amici officium.

2. Cum nuper sermonem haberem cum V. C. Henrico Valesio, incidimus in mentionem, quod certe fit sæpissime, Operis tui de Rebus Liturgicis; & postquam ille multa de te dixit quam honorificentissime, significavit mihi se in animo habere scribendi E. T. quid ipse sentiat tum de libro tuo, tum de usu Symboli Constantinopolitani præ Nicæno, quo aliquando in rebus sacris usa est Latina Ecclesia. Laudavi statim ejus consilium, daturus operam, ut illud exequatur. Describam ego propediem Dissertationem meam de azymo, quam judicio tuo, meaque omnia subjecta esse volo. Servet te D. O. M. Reipublicæ Christianæ, & nobis in multos annos. Lutetiæ Parisiorum IV. Idus Septembris 1673.

(*a*) Is est Carolus Du-Fresne, Dominus Du-Cange Auctor Glossarii ad mediæ, & infimæ latinitatis scriptores &c.

CCCXXIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Postrema folia Tractatus de Pane Eucharistico mittit, una cum responsione ad Libellum P. Francisci Macedonis.

1. ANte hos octo dies misi E. T. primos quaterniones Libelli mei de Pane Encharistico; nunc tertium mitto, & ultimum, una cum responsione ad Libellum P. Macedonis, quæ omnia tibi in

manus

manus tradentur per nostrum D. Antonium D'Urban, cui ea direxi. Promiseram me etiam missurum hac vice specimen Epistolæ dedicatoriæ, qua Opusculum hoc meum tuo nomini dedicare statui. Verum quo minus hoc facerem prohibuit status valetudinis tantisper affectæ, quæ res etiam impedimento fuit ne manu mea descriptum haberes libelli mei exemplum, quod ab Amanuensi non satis accurate exaratum est. Interest non solum mea, sed etiam tua, Eminentissime Domine, qui mihi hujus Operis suasor extitisti, ut errata mea severe animadvertas, mihique per nostrum Antonium significes, ne judicium tuum, quod hactenus suspiciunt omnes, aliquod per me existimationis suæ detrimentum patiatur. Erit etiam prudentiæ tuæ æstimare, num Dignitati tuæ conveniat, ut hunc libellum tibi voveam, quod magnopere cupio, si modo tibi non displiceat. Interim dum resciam, precor E. T. ut solita obsequii mei testimonia non dedignetur. Lutetiæ Parisiorum VII. Kal. Octobris 1673.

Licet Eminentissimus Cardinalis, ut Epistola num. CCCXXVII. ad Mabillonium data die 23. Octobris, eumdem obnixe roget, ut caput XII. sive Appendicem ad prædictum Tractatum omnino expungat, quæ Appendix nihil aliud continet, quam responsionem ad libellum P. Macedonis; & idem Mabillonius Cardinali morem gerens, eam omiserit; cum tamen citatum Caput illum XII. seu Appendicem nuper ediderit inter Opera posthuma Mabillonii D. Vincentius Thuillier Tom. 1. pag. 167. existimans novæ editioni impune addi potuisse, cum Cardinali Bona, Franciscanoque emortuis; nec ille jam aliquo indigeat, per quem se experiatur; nec ille gloriari possit se a Mabillonio confutatum fuisse, prædictam Appendicem hic exscribere opportunum duxi. Ea autem ex ejus Autographo desumpta hujusmodi tenoris est.

JOANNIS MABILLONII

De Libello P. FRANCISCI MACEDONIS, cui titulus *Azymus Eucharisticus*, judicium.

2. POsteaquam hæc (de Dissertatione est sermo) de Pane Eucharistico absolveram, incidit in manus meas Libellus, cui titulus est *Azymus Eucharisticus*, scriptus contra sententiam Emin. Cardinalis Bona, & Jacobi Sirmondi de Azymo. Author est R. P. Franciscus Macedo Minorita Observans; Lector publicus Patavii, ubi Libellus creditur editus, non Ingolstadii, vir aliis lucubrationibus suis haud ignotus. Statim hunc Libellum legi eo animo, ut si rem pro azymo conficeret, meum supprimerem, aut certe ex eo quod e re publica esset, cum Authoris Præfatione in usus meos transferrem. Eo lecto probavi Authoris conatum, ac dicendi libertatem, qui nulla personarum Dignitate perterritus est a propugnanda sententia, quam veritati magis consentaneam judicavit. Sed ut ingenue dicam quod sentio, Orator mihi visus est vehementior, quam causa postularet: nam rejectis in marginem argumentis, quæ pro causa erant, rem pene totam conficit exclamationibus, falsis, & amarulentis verbis; eoque modo cum adversariis agit, quasi rei sint violatæ Religionis. Quod magnopere vereor, ne æquis rerum æstimatoribus parum probatum sit, nedum Ecclesiæ, ac Summo Pontifici, cæterisque Episcopis acceptum, qui azymorum usum inter adiaphora esse reponendum cum Majoribus suis censent. Non quod cuivis pro libito uti fermentato, vel azymo pane licitum sit; sed quod id pendeat ab Ecclesiæ arbitrio, & potestate. Certe si Emin. Cardinalis, aut Jacobi Sirmondi ea esset sententia,

non

non licere uti azymo, vel convenientius Euchariſtiam confici in fermentato, laudarem impugnantis fervorem: at cum in hac materia contrarium afferat Eminentiſſimus Cardinalis, non video cur in illum tam acerbe fuerit invehendum. Verum his relictis conſideremus in primis Libelli titulum; tum contextum eum notis marginalibus conferamus.

3. Libellus hunc titulum præfert: *Reverendiſſimi Patris Fratris Joannis Bona Abbatis Generalis Ciſtercienſis ex Congregatione Fulienſium Doctrina de uſu Fermentati in Sacrificio Miſſæ per mille, & amplius annos a Latina Eccleſia obſervato, dum eſſet Abbas, antequam Romanæ Eccleſiæ Cardinalis* (qualis nunc eſt) *crearetur, examinata, expenſa, refutata a P. Fr. Franciſco a S. Auguſtino Macedo Min. Obſerv. Lectore publico Patavino, producto textu Authoris, & adhibita reſponſione in libro* (ſupple primo) *inſcripto Rerum Liturgicarum Cap.* XXIII.

4. Hic Libelli exigui titulus ampliſſimus, in quo fingit Author eam Doctrinam non eſſe Bona Cardinalis, ſed Bona Abbatis: ſed tamen a Bona Cardinali abſolutum eſt Opus Rerum Liturgicarum, editumque in lucem, ut conſtat tum ex anno editi libri, tum ex dedicatione prævia, & Præfatione ad Lectorem. At Macedoni commodior viſa eſt hæc rhetorica figura, ſive quod doctrinam hanc Cardinale indignam putaret, ſive potius quod indigna de Cardinale ſcribere vereretur.

5. Libellus conſtat reſponſionibus viginti & octo ad totidem loca Operis Liturgici. In prima reſponſione Author maxime improbat ſtudium inquirentis de antiquo uſu Azymorum. Inquiſitioni opponit traditionem, *quam demonſtrat*, inquit, *Diatriba per quatuor capita*. Hæſi hoc loco, ignorans quæ eſſet illa Diatriba, cujuſve Authoris. Statimque ejus habendæ cupido mihi injecta eſt; crevitque magis ac magis, quatenus legendo progrediebar. Nam de hac Diatriba Macedo paſſim loquitur magnificentiſſime, reticens initio, & in progreſſu nomen Authoris. *Viginti Patres* Leone Papa IX. antiquiores in ea pro azymo afferri identidem repetit. Authoris *ſummam eruditionem* identidem prædicat in reſponſione &c. & in vigeſima prima: *Prodeat*, inquit, *in lucem Diatriba: omnia patebunt. Cur abſconditur? Liber apud te eminet Sirmondus, & luce fruitur; jacet in tenebris Diatriba luce digniſſima; ſervit arbitrio tuo, qui Chriſtiana libertate traditionem aſſerit: patitur miſeram ſervitutem vinctus compedibus liber, qui per omnium manus volitare debuerat*. Ænigmata ſunt hæc, quæ obſcuris verbis animum legentis accendunt. At tandem in reſponſione 27. & aliis conſequentibus deprehendi ipſummet Macedonem eſſe Diatribæ Authorem; quod certe non crederem, niſi ipſemet dixiſſet.

6. Ad demonſtrandam azymi traditionem refert ad marginem Leonis Papæ IX. teſtimonium, non levis quidem momenti ad id probandum. Verum quod azymum Chriſti exemplo convenientem, ac legitimum definit Pontifex, aſſentit Eminentiſſimus Cardinalis. An autem uſus iſte perpetuus, conſtans, & univerſalis apud Latinos fuerit, quæſtiò hiſtorica eſt, nequaquam pertinens ad fidem, a Pontifice non ſatis explicata; quæ veterum cujuſque ſæculi Authorum monumentis probanda eſt, ut certa conſtet de azymorum uſu hiſtorica traditio. Magnopere proinde optandum eſt, ut prodeat in lucem Diatriba illa, quæ viginti Patrum Leone antiquiorum teſtimoniis afferat azymi traditionem.

7. In ſecundo articulo R. P Macedo propoſito ſibi loco Eminentiſſimi Cardinalis, ubi Sirmondi diſquiſitionem de azymo laudat, & probat,

censuram plane iniquiorem profert adversus Sirmondum, virum, si quis alius, de Republica literaria, & Christiana bene meritum; eamdemque reflectit in Eminentissimum Cardinalem: *Hic antiquarius*, inquit, *novitatem induxit, & novus in antiquis fuit. Antiquum non servavit Sirmondus exclusio azymo: nec ex eo profecit Author Liturgicus, sed cum eo defecit*. Non bene quadrant grammaticales isti ludi in tantos viros, quibuscum ratione, non verborum inani conflictu agendum erat. Antiquarius fuit Sirmondus, non veternosæ, sed purioris, sanctioris, reconditiorisque antiquitatis scientia instructus: idemque Author studiosis nostri temporis, ut transcensis Scholasticorum scholis ad SS. PP. & Ecclesiæ traditionis studium pene abjectum progrederentur. Hanc viam quisquis tenet, Sirmondo Authore, & adjutore proficit: errat quisquis aliam viam, aut adversum sequitur ducem. At sequentia videamus: *Antiquius esset consulere Leonem IX. Gregorium VII. Innocentium III. Umbertum Cardinalem, Algerum, Anselmum, Tostatum, Bellarminum, Baronium, & integram scholam*. Et hos certe Authores consuluere viri eruditissimi, & ex eorum libris intellexerunt ratam esse traditionem azymi ab annis amplius sexcentis, non ab annis mille, & sexcentis, quod Macedoni probandum, & explicandum erat. *Huic se nubi testium*, ait Macedo, *Sirmondus opposuit, cui tamen uni maluit Liturgicus adhærere, quod ille jactabat antiquitatem, ex qua nihil præter situm, & pulverem collegit non Antiquarius, sed antiquandus. Venditabat fumos, lucem credidit Liturgicus; Fumos emat, qui fumos vendit*. Fumos venderet Sirmondus, si vera pro falsis, aut verborum sonos pro veris argumentis venditaret: si vel immodice de suis, vel indigne de alienis sentiret. At longe ab hoc fumo aberat viri integritas, ac modestia quam loquitur Eminentissimus Cardinalis.

8. In responsione quarta R. P. Macedo ex silentio Photii sequi negat Ecclesiam Latinam tum in fermentato consecrasse; imo ex eo colligit eo tempore in Ecclesia Græca usum azymi, non fermentati viguisse. Verum contrarium constat maxime authoritate Joannis Philoponi, cujus ætate, idest seculo 6. vigebat apud Græcos panis fermentatus, & S. Niconis Græcis addicti, qui vix annis post Photium quinquaginta usum azymorum in Armeniis reprehendit. Accedit, quod nusquam Leo IX. aut alii ejus temporis authores fermentum Græcorum arguunt novitatis.

9. Sexto loco adducit P. Macedo hunc locum ex Liturgico Libro: *Precor etiam eruditos viros, ut me doceant, an post Christum, & deinceps per mille annos unquam de azymis, eorumque usu in Sacrificio mentio habita reperiatur, nisi occasione Sectariorum, qui illis usi sunt, ut a consuetudine Catholicæ Ecclesiæ se alienos ostenderent, sicut de Armeniis diximus supra, & de Ebionæis mox videbimus*. Ad hæc exclamat R. P. Macedo: *Non sine horrore lego, quæ Author scribit*. Ubi hæc legi, suspicatus sum in præmissis aliquam latere hæresim, quam advertere non poteram. At videamus, quænam sit illa hæresis: *Deum immortalem! Nunquamne azymi consecrati mentio in Ecclesia? An in Evangelio, quod legimus, audimusque assidue, non est mentio azymorum innocentium? Nonne in iis Christus consecravit? Et in suo vero corpore Ecclesiæ suæ Corpus significavit, ut Fideles eo symbolo afficeret, & notaret? Qui ergo illa azymorum consecratio poterit trahi ad significandos alienos, idest hæreticos?* Hæc illa hæresis, quæ R. P. Macedoni horrorem injecit; at non negat Eminentissimus Cardinalis azymum frequenter in sacris literis commendari, Christum, ejusque Discipulos

azy-

azymis usos fuisse, & Eucharistiam in azymis ab eo institutam: negat vero inde impositam Ecclesiæ necessitatem consecrandi in azymis; nam si quidquid egit Christus, continuo a Christianis faciendum esset, antiquæ Legis observatio, quam Christus servavit, revocari deberet; & tamen hæretici ab Ecclesia notati sunt Ebionæi, quod legalia servari oportere docerent. Multa improbavit Ecclesia ob hæreses ingruentes, aliasque rationes, quæ postea probavit cessante causa. Et ne vagemur extra propositum, hæreseos notam Ebionæorum tempore fuisse azymorum usum existimarunt veteres Scholastici Alexander Alensis, SS. Bonaventura, & Thomas, aliique, a quorum tamen sententia non abhorret Ecclesia.

10. Septimo loco ad hoc, quod Eminentissimus Cardinalis dixerat, argumentum, quod a Christi exemplo plerique Scholastici petunt, non magni esse roboris, reponit R. P. Macedo persuasum omnibus esse quo pane Christus consecravit, in eo esse consecrandum. Non quod id sit a lege præceptum, quod Christi exemplo commendatum: neque tamen inde necessitatem importari vult consecrandi in azymis, sed tantum convenientiam. At convenientiam illam vertit in necessitatem; cum ex ea inferat negari non posse Ecclesiam per mille annos in azymo consecrasse: *Alias fecit ergo*, inquit, *hoc quod erat minus conveniens*. Verum convenientia rerum ex multis rebus pendet, quibus mutatis aliquando mutari necesse est, quæ convenientia prius videbantur. Et azymorum convenientia tanta non est, ut etiam similes, si non pares, convenientiæ rationes pro tempore, & loco fermentatum obtinere non possit.

11. In responsione nona usque ad decimam quartam multa dicit in gratiam, & laudem Scholasticorum, quos ut nemo non laudat, si debitum modum teneant; ita nemo est in sacris rebus versatus, qui concedat ex eorum placitis quamlibet controversiam esse dirimendam, maxime ubi de Eucharistica Historia, & traditione agitur. Multa dicta sunt in scholis sine delectu, quibus exoccupatus esse debet quisquis bono, ac integro animo in arcana traditionis penetrare cupit. Hæc præjudicia sunt, a quibus vacare necesse est veritatis studiosos cultores. Verum magnopere cavendum est, ne inter hæc præjudicia reponantur prænotiones, quas pueri de fide, atque de Deo a teneris annis imbibunt, quod certe nollem a R. P. Macedone commissum.

12. Quæ in responsione decima quinta usque ad decimam nonam dicuntur ad Epiphanii locum de Ebionæis, probabilia sunt, si quædam duriuscula verba excipias. Summa est: Ebionæos fuisse notatos hæreseos, non quod in azymis consecrarent, cum potius id fecerint ex imitatione Ecclesiæ; sed quod aqua sola in Calice utebantur; & quod assererent legalia servari oportere. Ebionæos habuisse errores cum veritate commixtos; itaque discernendos esse, ac separandos: bonum apud eos fuisse Baptismum; malam Rebaptizationem: bonum fuisse panem azymum; malam solam aquam. Neque penitus improbanda videntur, quæ subdit de Armeniis: *Qui cœperunt*, inquit, *offerre panem azymum, & vinum legitime, ex quo Romam venit eorum Patriarcha magnus ille illuminator Gregorius tempore Silvestri, idque a Romana Ecclesia didicerunt*. Cujus rei Authorem laudat Clementem Galanum Tom. II. de Eucharistia sect. 1. qui Metaphrasten allegat; tametsi id rejicit Demetrius Cyzicenus in Tractatu de hæresi Jacobitarum Chatzitzariorum, qui Armenii

funt. Illud autem certum mihi videtur azymum panem non fuiffe oblatum in fignum feceffionis ab Ecclefia : fiquidem Joannes Philoponus, ut fuperius oftendi cap. 3. & ipfe Sectæ Eutychianæ, ficut Armenii, fermenti ufum probat.

13. In refponfione vigefima prima ad id, quod fcripferat Eminentiffimus Cardinalis Athanafium, Bafilium, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chryfoftomum, Cyrillum, & quotquot fuerunt fanctitate, & doctrina confpicui Sacerdotes in Ecclefiis Orientalibus non alio, quam fermentato pane ufos; ad id, inquam, reponit Macedo veteres PP. Græcos cum Latinis omnes in azymis confecraffe. Hæc teftimonia produci in Diatriba ex Cypriano, Hieronymo, Ambrofio, Auguftino, & Gregorio Magno; tum fubdit: *Prodeat in lucem Diatriba omnia patebunt : cur abfconditur ? Liber apud te eminet Sirmondus, & luce fruitur; jacet in tenebris Diatriba luce digniffima: fervit arbitria tua, qui Chriftiana libertate traditionem afferit. Patitur miferam fervitutem vinctus compedibus liber, qui per omnium manus volitare debuit*. Nefcio apud quem miferam fervitutem patiatur vinctus compedibus liber. Unum fcio, non ftare penes Cardinalem, quo minus in lucem prodeat, cum ipfæ propriæ fententiæ longe præferat veritatem, ac veritatis libertatem. Et tamen id fignificare videtur R. P. Macedo in refponfione vigefima feptima, ubi actum Diatribæ fuæ rurfum deplorat his verbis: *Illa infelix in carceres, & caffes nata indicaffe nufquam apparet. O injuriam! Mifi eam ad Patres, tradita eft Patri, & parti judicanda, & opprimenda. Quanta lux ea producta caufæ oborietur*. At fierine poteft, ut ne unum quidem exemplar fuperfuerit penes Authorem? Itane vero tot Patrum teftimonia, quæ in ea producuntur, etiam amiffa Diatriba excidere, ut ne unum quidem ex præmiffis Patribus in medium afferre liceat?

14. Omiffa refponfione vigefima fecunda, & tribus fequentibus, in quibus verborum antithetis ludit Author, venio ad articulum 26. ubi hæc verba ex opere Liturgico referuntur: *Hinc etiam confirmatur quod fuperius dictum eft, orto jam fchifmate Græcorum adhuc in Latina Ecclefia ufum fermenti perfeveraffe*. Ad hæc R. P Macedo: *Erga tempore Leonis IX., & Michaelis Cerularii azymus nondum incœperat*. Imo vero incœperat, ut diferte docet Eminentiffimus Cardinalis, qui in hoc loco non agit de fchifmate Michaelis, fed de Photiano, ut ex toto eapite manifeftum eft.

15. In articulo vigefimo feptimo adducit verba Eminentiffimi Cardinalis dicentis omnes Patres a tempore Apoftolorum, & deinceps ufque ad Photium de Pane Euchariftico ita loqui, ut nonnifi de communi, & fermentato commode intelligi, & explicari poffint. Ad quod R.P. Macedo: *Bafilice, inquit, quafi omnes illi veteres Patres perfpecti ei fint, & omnis antiquitas explorata*. An vero *omnium literatorum antiquitatem perfpectam, & Patres exploratos non habuit R. P. Macedo*, cum fubdat: *Libuit mihi omnium literatorum omnino fcrutari antiquitatem, & Patres confulere: inveni plufquam viginti, qui de azymis mentionem faciunt ante Leonem*. Proferat aliquot ex illis: ecce tibi ad marginem adducit Cyprianum, five Authorem de Cœna Domini. Optimus Author Cyprianus; aft malum Author ille nongentis annis pofterior eft Cypriano, Leone centum. Iftius quippe operis, quod de Cardinalibus Chrifti Operibus infcribitur. Author eft Arnoldus Bonæ-Vallis in agro Carnotenfi Abbas, ut jam eruditis viris notum eft: is eft, ad quem S. Bernardus morti proximus extremam Epiftolam fcripfit.

16.

16. Quod R. P. Macedo in responsione trigesima scribit pro testimonio Rabani dicentis: *Panem Sacrificii sine fermento esse oportere*, non improbo; at quod sequitur in responsione trigesima prima intolerabilem contumeliam sapit. Rabani locum pro azymo interpolatum esse suspicatus fuerat Eminentissimus Cardinalis; propterea consuluit MS. Codicem Bibliothecæ Vaticanæ, in quo hoc Rabani opus multum ab editis diversum esse deprehendit; suamque suspicionem haud temerariam fuisse cognovit.

17. Quid ad hæc R. P. Macedo? *Suspicione affectus MS. quæsivit, & legit: non tamen declarat quid invenerit in eo, quem recognoscebat libro MS. nam si justum testimonium, uti suspicor, reperit, cur dissimulavit? Si non reperit, cur non expressit? Deinde ut non invenisset, tanti est unum exemplar, ut ex eo reliqua omnia debeant æstimari?* Hactenus arguit. At verba sequentia putidam calumniam continent: *Illud constat*, inquit, *Rabanum ita sensisse, & in MS. illo sic prorsus haberi*. Credo Rabanum ita sensisse, & idipsum jam confitetur Eminentissimus Cardinalis in Epistola huic libello præfixa. At vero in Vaticano Codice sic prorsus haberi nemo asserere potest, quin turpe mendacium integerrimo viro impingat. Quod facinus quantum sit æstimandum relinquo æquis hominibus, quibus tanti viri mores ab omni labe, & fuco immunes perspecti sunt. At vide qualem tantæ calumniæ probationem: *Nam si secus esset, Author*, idest Eminentissimus Cardinalis, *in rem suam traxisset, & triumphasset*. Triumphum nempe non quærit Eminentissimus Cardinalis; sed veritatem, quæ modesto, ac puto animo quærenda est, ac defendenda. Triumphum permittit R. P. Macedoni, qui in fine libelli sui *O Triumphe* ingeminat: fateturque se victum Eminentissimus Cardinalis, ubi res non ratione, & argumentis, sed argutiis, & conviciis agitur.

PRIMA APPENDIX.

Reverendum P. Macedonem a Mabillonio docte, erudite, & abunde confutatum, in uno, alteroque iterum convenire mihi liceat, ut cunctis perspicuum sit legentibus quotus, qualisve fuerit ille, cui soli datum est quadraginta Tomos scribere, atque omnium omnino literatorum antiquitatem scrutari. Quæro ab hoc, qui Christiana libertate, ut ait (nimis dicam libertate, ac mordendi cacohete) tam acriter in Cardinalem Bona invehitur, ubinam in omnibus lucubrationibus a Bona editis legerit unquam eum se *Abbatem Generalem Cisterciensem ex Congregatione Fuliensium* dixisse? *Abbatem* quidem se nominavit *Congregationis Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis*, quam quidem a Fuliensi dudum discretam novisse debuerat Macedo Literatorum omnium scrutator. Mirum haud tamen; fumo enim, quem emerat, & vendere aliis conabatur, obcœcatus, sicut nec ritum a dogmate, nec Abbatem a Cardinali distinguere, ita nec unam ab alia Congregationem disgregare valuit. Literatorum hic omnino omnium perscrutator nonne fumos emit, dum Arnoldum Bonæ-Vallis Abbatem pro Cypriano Carthaginensi Episcopo, & Martyre vendere tentat: quique alios tamquam emptores, & venditores fumi pessime sugillaverat, nunc noctilucas pro lucernis venditare non erubescit. Christianam libertatem, sed non fumosam, mire effert Eminentissimus Cardinalis, eaque passim usus fuit in hisce Epistolis, ut luce clarius innotescit, nunquam tamen oblitus charitatis a Christo præceptæ, nec debitæ majoribus (quin & minoribus) reverentiæ, qua permotus Thiersium de Caramuele Episcopo adhuc in vivis agente duriuscule loquentem corrigit; quo exemplo quanto magis increpandus foret Macedo in Cardinalem viventem, piissimum, doctissimum, & inter primos sui temporis eruditos a literatis omnibus computatum, sic contumeliose insurgens. Antiquandus ergo, meritoque antiquatus amandetur Macedonis Libellus, non autem Eminentissimus Bona de Rebus Liturgicis toties recusus, totque linguis prælo consignatus, & ab omnibus Literatis commendatus. Indubie si suo tempore lucubrationes suas publici fecissent juris & Natalis Alexander, & Gaspar Ivenin, eos Macedo inter antiquandos, & emptores, ac venditores fumi uno calami ductu computasset. Primus enim de azymo sermonem habens in Dissertatione XI. seculi XI. art. 3. propositis Lite-

rato-

ratorum placitis circa azymi usum, & Bona, quem doctissimum appellat, in medium profert, sicut & Mabillonii, Christiani Lupi, Sirmondi, aliorumque Patrum, cum quibus asserit, & una cum eo Bona consentit Fermentati usum continuum per sex priora secula apud Græcos perseverasse, ut ex Orientalis Ecclesiæ Patribus colligitur. Secundus autem in Commentariis historicis, & dogmaticis de Sacramentis Differtat. IV. quæst. 2. cap. 1. art. 4. §. IV. concl. 1. ait: Omnes Orientales Ecclesias per sex priora secula panem fermentatum consecrasse; & §. 5. concl. 1. probat Ecclesiam Latinam per sex priora secula pane azymo, & fermentato indiscriminatim, & promiscue usam fuisse.

SECUNDA APPENDIX.

Quoniam autem P. Macedo mirifice extollit Diatribam, quam verboso, & ænigmatico gemitu in compedibus vinctam teneri ingemiscit; quæ, qualisque ea sit, ex Epistola Viri Clarissimi Henrici de Noris Augustiniani, postea S. R. E. Cardinalis, deducitur. Porro ea latine fideliter facta hujusmodi est.

Eminentissime, ac Reverendissime Domine.

18. Nonnisi prævio discessu Serenissimæ Celsitudinis suæ præ manibus habere potui P. Macedonis librum, utpote qui ejus supra abacum custodiretur. Serenissimo tamen Principe ad Ambrosianam profecto illum obtinui; hunc in facie præsefert titulum: *Disquisitio Theologica de ritu azymi; & fermentati S. D. N. Clementi Papæ X. dicata, Authore P. Francisco a S. Augustino Macedo &c.* subsequuntur deinde versus, seu lineæ undecim duodecim Authoris honorarios titulos comprehendentes, quorum novissimus est *Veneto Cive*. Quod tamen magis ridiculum est inter illos & hunc adnumerat: *ex Lectore Regio Matriti*; cum in Societate Jesu degens ibi Rethoricam doceret. Sexdecim in Capita subdividitur, & Veronæ typis editus est. Omnes Patrum textus ab eo adducti mystice, & allegorice loquuntur; Caput XVI. hunc habet titulum: *Novum, & proprium ab Authore inventum argumentum proponitur*. Hoc contra azymum tam convincens esse gloriatur, ut multi eum sint adhortati, ne illud evulgaret: cum tamen nullum aliud sit, quam factum celebrationis Missæ nonnullorum puerorum a Moscho relatum lib. X. cap. 196. Vit. PP. Hoc in Capite vere se *Horatianum sponsorem* Author ostendit. Porro emendaturus in isto impudentiam Opusculi nuper suspensi, E. V. semper *cum laudis Præfatione* nominat. Hoc scribo, ut meo munere plene fungar, non quod judicem E. V. de hoc vel minimum curare. Magni Leones canum latratus non pertimescunt: latrare siquidem possunt, non sic autem mordere......... Florentiæ 17. Novembris 1673.

TERTIA APPENDIX.

Porro prædictam ante Epistolam alteram dederat Norisius sub die 4. ejusdem mensis, cujus fragmentum latine redditum est:

19. D. Magliabeccus Serenissimæ celsitudinis suæ Bibliothecarius, vir eruditissimus, certiorem me fecit, quod reliqua inter volumina celsissimo Principi oblata nuper a P. Macedone continetur quoque Diatriba de azymo, quam usque adhuc legere non potui. Certiorem tamen me reddit idem Magliabeccus, quod citat Patres mystice tantum de azymo loquentes.

Quar-

QUARTA APPENDIX.

Duabus præcedentibus consonat, & tertia data quoque Florentiæ a citato Norisio sub die 17. Julii 1674. cujus partem, idest initium, hic accipe.

20. Dignata est mihi jubere E. T. ut si quid observatione dignum circa azymorum usum animadvertissem, id rescriberem; ad quod respondeo me nihil prorsus nota speciali dignum adinvenisse. In Tractatu P. Lupi nihil aliud agnosco, nisi argumenta ex convenientiis, & conjecturis deducta. In Patre Macedone nihil aliud legitur præter allegorias, in quibus a SS. PP. azymus accipitur in diversa prorsus significatione a materia Eucharistiæ.

QUINTA APPENDIX.

Relatis hisce Epistolis, superest illam solum dare, quam citatus P. Macedo Min. Observ. ad Cardinalem Bona misit, qua eidem supplicat, ut apud Rever. Patrem Inquisitorem instet pro Permissione edendi Tractatum circa materiam azymi, quæ Epistola Italice quidem scripta, sed Latine reddita ad unguem ita sonat.

21. Debito E. V. obsequio, totoque affectu, quo illam prosequutus sum, E. V. expono, quod cum ego Tractatum elaboraverim circa materiam azymi, velimque illum publici juris facere, hoc mihi denegatum fuit ab hoc P. Inquisitore, eo tantum titulo, quod contra Cardinalem viventem illum edebam. Exiit verbum hoc, voxque ista ubique est diffusa, sed non a me: meum esse debitum judicavi de hoc certiorem facere E. V. ad quam spectat P. Inquisitorem ab hoc timore liberare, illique ostendere E. V. nihil prorsus curare de hujusmodi Tractatus editione, allaturi semper majorem gloriam E. V. cujus doctrina adeo solida, fundataque est. E. V. igitur supplex oro, ut hunc timorem tollere dignetur a P. Inquisitore, aut saltem eidem prohibeat hanc adducere rationem, quæ nullum decus affert E. V. viro doctissimo, & temporum nostrorum Oraculo: testor enim in humilis servi verbo, quod fundamenta E. V. adeo sunt solida, ut ad ea quisquam vix pertingere valeat: & ego potius ad ingenii exercitium, quam alio ductus motivo de hac materia agere volui. Postquam autem novi, quod isti Superiores meum legere Tractatum volunt, quem illis consignare nequeo, cum sit Authographus, & Originalis, denuo E. V. supplico, ut mihi facultatem obtineat hic eum imprimendi pro meo libito, & commodo, ut ex hoc magis eluceat heroica virtus E. V. cujus purpuram humillime deosculor. Patavii 18. Novembris 1673.

Hanc Epistolam confer cum azymo Eucharistico, sive cum Diatriba, si illam respicit, & nota: quam astute hic Cardinalem nominet Bona, quem Abbatem Generalem in azymi Diatriba dicit.

CCCXXIV.

D. BENEDICTO Abbati Cæsareæ Ordinis Cistereiensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Difficultates exponit pro obtinenda die B. Richildis Missa, nullaque dicit opus esse facultate pro Altarium consecratione.

1. Literas tuas a Religioso viro D. Benedicto cum summa animi jucunditate accepi; nihil enim mihi gratius contingere potest, quam

quam cum aliquam occafionem habeo operam pro perfonis, & Monafteriis Ordinis noftri impendendi. Preces tuas Sacræ Rituum Congregationi, quæ hefterna die habita eft, ipfemet propofui; fed cum negotium arduum fit, non potuit ftatim expediri. Nam cum B. Richildis non fuerit in numero Beatarum Virginum folemniter adfcripta, nec nomen ejus infcriptum fit Martyrologio Romano: conceffio autem officii fit quædam tacita Canonifatio, non folet Apoftolica Sedes hujufmodi indultum largiri, nifi re mature difcuffa, & plene probato cultu immemorabili non folum authoritate ordinaria, fed etiam Summi Pontificis mandato, auditis etiam Promotoris fidei oppofitionibus. Quid vero hac in re actum fit, & quis exitus negotii fperandus erit, fufius audies a D. Benedicto.

2. Quod attinet ad Altarium confecrationem, non puto te indigere nova, & fpeciali facultate. Dudum hoc privilegium conceffum fuit Ordini noftro ab Innocentio VIII. (*a*), & ab aliis Pontificibus confirmatum, & ampliatum: & ego cum effem Abbas in mea Congregatione eo fæpe ufus fum. Extant de hoc Virorum Doctorum fententiæ (*b*). Tuis, & tuorum precibus me enixe commendo. Romæ 27. Septembris 1673.

(*a*) Anno fcilicet 1489. IV. Idus Aprilis, Pontificatus vero V.

(*b*) De hac re fufe Privilegia Ordinis Ciftercienfis, videndi etiam Afcanius Tamburinus de jure Abbatum difp. 23. quæft. 4. & 5. Diana Par. 3. tract. 2. Pelizzarius in Manuali Tract. 8. cap. 5. n. 102. 103. 104. aliique complures.

CCCXXV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

CLAUDIUS FRANCISCUS MILLIET DECHALES Soc. Jefu.

Curfum Mathematicum a fe editum Cardinali offert.

Significavit mihi jam pridem Abbas de Carrail E. V. aliquod infpiciendi curfus mei mathematici defiderium præfetuliffe; quod fane ut perhonorificum mihi duco, quod tantus Præful de me cogitare dignatus fit; ita totum fingulari, qua familiam noftram complectitur, benevolentiæ tribuo; quam quidem P. Jacobus Dechales frater meus, dum Romæ fuit, & Abbas de Carrail quotidie experitur. Ego, qui in partem beneficii venio, nec aliter grati animi notas exhibere poffum, lubens hoc primum Exemplum E. V. offero, duo fequentia volumina, ubi primum excufa erunt, intra duos, aut tres menfes miffurus: maturius non potui, quod aliqua deeffent folia. Rogo E. V. ne multis hunc librum oftendat, eo quod nullum hactenus Suæ Regiæ Celfitudini, cui tamen dicatus eft, obtulerim, tria fimul volumina oblaturus, ubi perfecta fuerint. Videbit E. V. in Præfatione rationes, quæ me ad id opus aggrediendum impulerint. An vero id fatis confecutus fim, quod propofui, magnitudo operis, & imbecillitas mea facit, ut afferere non audeam. Multum tamen me feciffe exiftimabo, fi aliquam E. V. Operi meo approbationem dignetur impendere, fuaque protectione, ac benevolentia Abbatem de Carrail, quem impenfe ipfi commendo, utpote quem non cognatio tantum, fed boni mores mihi carum reddiderunt, & me etiam complecti, qui &c. Parifiis 6. Octobris 1673.

CCCXXVI.

CCCXXVI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA JOANNES MABILLONIUS.

Suam de Azymis Cardinali offert Dissertationem.

EO me adduxit, Eminentissime Ecclesiæ Princeps, modestia tua, ut si libellum hunc meum tibi non obtulero, ingrati animi vitium incursurus sim si; obtulero, imprudentis. Cum enim hic libellus te monente, ac præcipiente conceptus sit, te materiam suppeditante, ac delineante formatus, te etiam procurante editus in lucem, indignum est, ut sub alieno prodeat nomine, qui te primarium Authorem agnovit. At vero cum modum tractandi argumentum de azymo ita præscripserit E. T. ut non quod tute sentias, sed quod e rei veritate magis esse intellexero, sincere exponam, fit, ut a tua sententia tantisper discedere cogar, reluctante observantia in te mea: eoque minus acceptum fore libellum merito subverear, quoad judicium tuum minus accesserit. Et id quidem jure timerem, si esses ex eo genere hominum, quibus id unum sapit, quod sentiunt. Verum tanta est animi tui magnitudo, & æquitas, Eminentissime Cardinalis, ut cum in scriptis tuis uni studeas veritati; in alienis unam maxime quærendæ veritatis sinceram voluntatem probes: plusque de te meriturus sit, qui a sententia tua veri studio recesserit, quam qui tibi subscripserit fallaci assentationis obsequio. Quapropter in hoc elaborando opusculo id in primis mihi curæ fuit, ut illud componerem non tam ad tuæ sententiæ, quam ad animi tui imitationem; ratus in hoc magis splendere Dignitatem, moresque tuos, si etiam contra sentientes benigne accipias, quam si omnes tibi ambitiose applauderent. Quamquam in tota hac disputatione nihil contradicendi studio, nihil definiendi pertinacia assertum: sed id totum, quantulumcunque est, perfeci animo tibi obsequendi, consecrandique opellam meam; ut, si aliquando permittente otio idem argumentum secundis curis pertractare tibi placuerit, habeas præ manibus hoc officii mei monumentum. Nihil enim mihi felicius, gloriosiusve contingere potest, quam si quidpiam momenti contulero in subsidium studiorum tuorum, quibus Catholicam Ecclesiam, atque Rempublicam literariam mirifice illustras. Hæc sunt consilii, atque operis mei rationes, vir Eminentissime, quas si probaveris, spero etiam munusculum hoc non ingratum fore E. T., quod etiam atque etiam opto. Vale, & æternum vive. Lutetiæ Parisiorum in Suburbano S. Germani Monasterio VI. Idus Octobris 1673.

Hæc Epistola ex ejus Autographo exscripta, præfixa est Mabillonii Libro de Pane Azymo, & Fermentato.

CCCXXVII.

JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Observationes a se factas in Librum de Pane Eucharistico mittens, eumque rogat, ut Caput XII. sive Appendicem, in qua de P. Macedone agitur, omnino expungat.

1. COgnoscendæ veritatis amore diligentiam tuam excitavi ad controversiam de azymis uberius pertractandam; nec sum defraudatus a desiderio meo: tua enim multiplici eruditione, ac doctrina rei satis obscuræ multam lucem attulisti. Quia vero corrigi potius quam laudari a me optas, ne in hac parte modestiæ obsequar tuæ, obstitit sedulitas, & accuratio a te in scribendo adhibita, quæ nullum animadversioni locum esse sinit. Quædam tamen notabo, ut ab omni suspicione adulationis me alienum esse ostendam.

2. Armenios uti azymis, uti ipse refers Cap. 4. certissimum est: sed æque certum puto eos azymum recepisse, cum a Græcis defecerunt, ut notavi initio Cap. 23. idque constanter asseverant Sacerdotes, & Monachi Armenii, qui Romæ, & Liburni degunt a me requisiti: & hanc esse ajunt Nationis suæ traditionem, cui consentiunt veteres rerum Armeniarum Scriptores.

3. Nullo modo dubitandum est, quin Chronicon Datii, de quo agis Cap. 6. suppositium sit, ut Menardus vester ait a me citatus in Tractatu de Divina Psalmodia pag. 376. editionis Parisiensis. Vidit ille vir doctus Mediolani, & asseruit mihi nihil in eo reperiri, quod redoleat antiquitatem.

4. Quod attinet ad Canonem Concilii XVI. Toletani probabilia sunt argumenta tua; sed panem illum nitidum azymum fuisse, mea sententia, non evincis. Christianus Lupus in Dissertatione de Actis Leonis IX. Cap. 8. non negat panem illum fuisse fermentatum: sed ait errorem illum fuisse solius Hispaniæ, quæ tunc Græcizabat.

5. Cum ostenderis Cap. 3. semper Græcos fermentatum adhibuisse, oro ut expendas, an tibi ipsi contradicas Cap. 10. ex Epiphanio Græco testimonium proferens pro azymis.

6. Hæc obiter. Serio autem, & enixe rogo, ut Cap. 12. seu Appendicem omnino expungas. Si nosses hominem (a), abstinuisses ab ejus censura: satius est eum non curare, quam confutare. Iterum igitur, atque iterum obtestor, ut nullo modo ejus memineris; adeo ut nec ejus invectivam te legisse significes; hoc enim exigit & tua, & mea existimatio. Plura de illo audies a D. Antonio D' Urban. Ego autem multum illi debeo, nam per eum licuit me experiri. De Diatriba, quam tantopere jactat, ne sollicitus sis; nihil continet præter injurias, quibus me indigne afficit, ac veluti violatæ fidei reum insectatur. Multa Patrum loca collegit, in quibus de azymis tropologice, seu allegorice agunt; eaque inepte de azymo Eucharistico interpretatur. Parcat illi Deus, sicut ego ex toto corde peperci.

7. Tan-

(a) Loquitur de P. Macedone, quem Mabillonius impugnandum, confutandumque susceperat in illo Cap. XII. sive Appendice, quam supra dedimus post Epistolam Mabillonii ad Eminentissimum Bona sub num. CCCXXIII.

7. Tandem quod tuum Opusculum mihi dedicare statuisti, gratias ago; & interim ipsam Epistolam nuncupatoriam (*a*), quam te missurum scribis, expecto: qua lecta decernam, quid facto opus sit. Valetudinem tuam cura, & cave, ne plus æquo studiis incumbens, ad ipsa studia te inhabilem reddas. Romæ 23. Octobris 1673.

(*a*) Ea nempe, quæ superius relata fuit sub num. cccxxvi.

CCCXXVIII.

PETRO a S. Francisco, Abbati Fuliensi, & Congregationis Sup. Gen.

JOANNES Cardinalis BONA.

Nullas sibi ait deberi gratias pro conservatis Asceterii Pineroliensis juribus.

Singularis animi tui bonitas me prolixa gratiarum actione gravat potius, quam honoret; si quid enim pro conservandis juribus Monasterii Pineroliensis operæ tuæ contuli, id a me exigebat justi officii necessitas, cui si defuissem, ingrati animi notam incurrissem. In illo siquidem Monasterio vota mea Domino nuncupavi, & primos juventutis meæ annos summa cum tranquillitate transegi. Sicut autem professionis meæ oblivisci nec possum, nec debeo; ita me semper meminisse par est Congregationis, & loci, in quo illam emisi. Precor itaque, ut, si qua in re vobis prodesse possum, id mihi libere suggeras: spondeo enim me nunquam negotiis vestris defuturum; tuis interim, tuorumque precibus me enixe commendo. Romæ 6. Decembris 1673.

CCCXXIX.

CLAUDIO FRANCISCO MILLIET Soc. Jesu.

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro sibi cursus Mathematici destinato Exemplari gratias refert.

Optimus Juvenis mihi carissimus D. Abbas de Carrail Reverentiæ tuæ dignissimus Nepos me sibi arctiori vinculo devinxit, cum mutuam inter nos amicitiam conciliavit. Ab ipso pridem intellexi te habere sub prælo aliquot Tomos rerum Mathematicarum: atque ideo expectatam, ut aliquot ejus exemplaria, ut fieri solet, ad urbem mitterent Bibliopolæ. Sed tua summa benignitas prævenit desiderium meum, primumque volumen ad me deferri curavit: munus certe gratissimum, quo meam Bibliothecam locupletabo. Cum ipsum accepero, libentissime legam; & interim gratias uberes ago, re ipsa ostensurus quanti benevolentiam tuam æstimem, quoties occasio se obtulerit. D. Abbatem omnibus commendabilem reddunt præclara indoles, moresque suavissimi summæ probitati conjuncti; mihi vero vel tui causa acceptissimus erit. Deus te diu incolumem servet. Romæ 6. Decembris 1673.

CCCXXX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

D. LUCAS DACHERIUS.

Felicem apprecans annum; Libros ab Abbate le-Roy Cardinali oblatos jam transmissos esse ait, & de Mabillonii invaletudine certiorem reddens, studiorumque suorum statum exponit.

LIteræ Illustrissimi Abbatis le-Roy mihi ad E. T. scribendi ansam tribuerunt, tum ut ipsas mitterem, tum etiam ut initio anni Ecclesiastici memorem me exhibeam amicitiæ, imo & familiaritatis, qua continuo jam a tot annis incredibili voluptate tenuitatem meam prosequi, ac favere dignaris; & præterea rationem studiorum qualiumcumque meorum reddam. Misi ad D. Antonium D'Urban libellos, quos Abbas ille offert E. T. tamquam Symbolum observantiæ erga te suæ. Proposuerat quidem cum hisce libellis dare & literas, sed remoram injecit ægra valetudo. Ast ego dolore affectus permaximo ob carissimi Socii mei Joannis Mabillonii infirmitatem diuturnam (paululum tamen solatus, quod tantisper melius se habeat) coactus sum, etsi libentissime, in editione ejus Dissertationis de pane azymo operam impendere meam; quam, simul atque peracta fuerit, ad E. T. transmittemus. Typis quoque exprimendam curo Praxim S. Benedicti Gallico idiomate, Novitiis, ac Junioribus Monachis potissimum præscriptam, cui hac hebdomada finis imponetur. Et hæc sunt, Eminentissime Cardinalis, quibus pene quotidie inter conflictus infirmitatum mearum jussus incumbo. Interim divinam bonitatem enixe rogo, ut tibi fausta sint Christi Natalitia ad plures annos. Parisiis e Monasterio S. Germani die 8. Decembris 1673.

CCCXXXI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

SEBASTIANUS KNAB Ordinis Prædicatorum.

Aliquas difficultates ab Armeniis, nuper Liburni degentibus, suscitatas exponit.

1. FUit a Sacra Congregatione de Propaganda Fide a pauco tempore concessa licentia cuidam Sacerdoti Armeno Garabiet celebrandi Missam, ac divinum Officium hic juxta ritum Armenum, cum Liturgia a S. E. correcta, & approbata; atque ut hæc Missa, ac divinum Officium juxta mentem, ac intentionem istius sacræ Congregationis, Catholice fiat. Ego tamquam Missionarius huc Liburnum pro Natione Armena destinatus, ratione hujus mei officii invigilo semper, ac superintendo. Natæ sunt tamen circa hoc Officium, ac ritum aliquæ difficultates, quas E. V. proponere volui, sacræ Congregationis determinationem desuper expectaturus.

2. Prima est circa celebrationem Festorum tam mobilium, quam immobilium. Cum enim sacra Congregatio concesserit licentiam officiandi juxta ritum Armenum, ex hoc prætendit Natio Armena etiam celebrare Pascha, ac alia Festa tam mobilia, quam immobilia juxta eumdem ritum suum, idest secundum calculationem antiquam, quæ

erat

erat ante correctionem Calendarii. Ego hoc Paschate huic me prætensioni opposi, volendo ut uniformiter cum Ecclesia Romana eodem tempore celebrarent Pascha, sicut etiam hic fecit Natio Græca; ac propter hoc etiam recurri ad Illustrissimum D. Archiepiscopum Pisanum, qui ejusdem mecum opinionis fuit, ut quoad tempus celebrandi Pascha, sese conforment Ecclesiæ Latinæ; nedum nos Latini cantamus: *Resurrexit*, ipsi adhuc clament: *Crucifigatur*. Cum vero casualiter aliquot abhinc diebus huic disceptationi supervenerit Reverendissimus Pater Inquisitor Pisanus, videnſque super hoc puncto Nationem Armenam tumultuantem, rem ita composuit: ut Armeni relicta omni publica functione Passionis, solum illa Dominica, qua juxta eorum ritum volebant celebrare Pascha, quæ juxta ritum Latinum hoc anno erat Dominica in Albis, cantent Missam solemnem de Resurrectione, celebrando domi conviviis, ac lætitia privata hoc suum Pascha, quantum velint. Et quidem hoc anno sic factum fuit. Ne autem cum Paschate annuatim eadem renascatur difficultas, sacræ Congregationis declaratione determinari supplico.

3. Secunda difficultas est, (vel potius prætensio Nationis Armenæ) utrum in Missa Armena possit nominare hic Liburni Sacerdos Patriarcham Armenorum, pro ipso orando. Ego hoc non permisi; tum quia locus non est Diœcesis Patriarchæ, tum quia ipse Schismaticus habetur; ad satisfaciendum tamen Nationi, etiam hoc proponere volui, quæ instanter sibi hoc concedi petit, ut per hoc Natio magis erga Latinos afficiatur affectu.

4. Tertia difficultas est, an Armeni illi, qui non permanenter, sed transeuntes degunt hic Liburni, post aliquod tempus in Patriam reversuri, dum hic fiunt Catholici, possint observare jejunia sua juxta ritum suum, relictis jejuniis juxta ritum Latinum: ac dum isti in Patriam reversi fuerint, possint confiteri suis Sacerdotibus Schismaticis, dum alios Catholicos Sacerdotes habere non possunt, ac longo tempore sine scandalo a communione se se absentare non possunt. Hoc, quantum ex P. Verricellio in Libro de Missionibus Apostolicis colligo, permitti posse opinor, dummodo tales Sacerdotes Shismatici non sint nominatim excommunicati.

5. Hæc sunt, quæ E. V. proponere ausus sum, de suo fidei zelo, ac sancto fervore præsumeos; ac desuper pro sacræ Congregationis declaratione, ac determinatione humiliter supplicans. Ceterum adverto, omnipotentis clementiam huic Missioni in hac civitate utcuoque prosperitatem impertiri; dum non desunt, qui peculatim ex hac Natione se se ad gremium S. Matris Ecclesiæ recipiunt. Cum quibus E. V. adgeniculatus humiliter purpuratam devotus deosculor oram. Liburni 10. Decembris 1673.

CCCXXXII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES MABILLONIUS.

Gratias rependit, quod Dissertationem de Pane Eucharistico, quam mittit, suo nomine exornari sit passus.

QUod libellum meum de Azymo tuo nomine exornari, tibique dedicari passus sis, gratias ago immortales: id enim operi meo

meo ornamentum simul & patrocinium futurum est. Jam editam mitto Dissertationem, quam noster Antonius E. T. ex me offeret, ceu fructum crescentis arboris, qualem scilicet producere potuit hyems, idest conatus hominis ægrotantis. Fortassis aliquid absolutius facere potuissem, si licuisset integrum me præstare editioni, cui vix dimidiatam operam conferre licuit. Tu vero, Eminentissime Cardinalis, excusabis, ut spero, duritiem, & acrimoniam fructus, cujus prægustum jam tibi non displicuisse testatus es. De aliis secus timerem, nisi condimentum præstaret succus nominis tui, tuæque Epistolæ latens sub primo cortice. Si quid tamen boni succi respergere potuit veri, ac sinceri studium, fateor me nonnihil etiam de meo respersisse. Sic fere securus de gustu æquorum hominum non verebor invidorum morsus, qui, si quid in me carpendum invenerint, certe nihil a me detrahere poterunt. Parce homini serio ludenti, Eminentissime Domine, & benignis, ut soles, oculis accipe, quod integro animo tibi offero in xenium redeuntis anni, & in perpetuum observantiæ erga te meæ monumentum. Quod superest, felicia tibi Natalia ex corde apprecor, felicemque totius novi anni decursum. Vale Lutetiæ Parisiorum XVII. Kalendas Januarii 1673.

CCCXXXIII.

JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Abunde suis dotibus commendatum asserit D. Du-Cange, & Valesii observationes in Liturgica præstolatur.

1. Literas tuas IV. Idus Septembris scriptas nudius tertius reddidit mihi optimus Juvenis D. Du-Cange, quem libenter vidi ob præclara Parentis merita, & propter tuam erga illum benevolentiam. Et ipse quidem nulla eget commendatione; satis enim propria virtus, & ingenua indoles, amorque literarum eum commendant. Maximi tamen æstimo testimonium, quod de illo perhibuisti; omnemque operam meam illi exhibui, & re ipsa libenter impendam, quamdiu Romæ commorabitur.

2. Liber meus de rebus Liturgicis carior mihi erit deinceps, quandoquidem meos conatus in eo scribendo benigne probavit Vir Clarissimus, & de Ecclesiastica antiquitate optime meritus Henricus Valesius. Non dubito, quin plura in eo repererit correctione digna, de quibus moneri summopere desidero, ut corrigi possit, si forte recudatur. Te ex gravi infirmitate convaluisse multum gaudeo, Deumque precor, ut te diu incolumem servet ad Ecclesiæ suæ utilitatem, & Monastici Ordinis ornamentum. Romæ die 26. Decembris 1673.

CCCXXXIV.

LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

De Mabillonii valetudine sollicitum se ostendit.

1. Redditæ mihi sunt a D. Antonio D'Urban literæ D. Abbatis Le-Roy simul cum tuis, pro quibus maximas ago gratias, Libri,

Libri, quos idem Abbas mittit, nondum ad Urbem pervenerunt; non enim est tuta hoc tempore navigatio.

2. De infirma valetudine præclari Viri D. Joannis Mabillonii dolui, ipsumque etiam ante aliquot dies admonui, ut parcius studiis incumbat, ne nimio labore fatigatus succumbat. audeo & tibi suggerere: scis enim in lege olim præceptum, ut *in omni Sacrificio sit sal*. Dissertationem de azymo expecto: & interim tibi novum felicissimum annum precor, ac omni benedictione Cœlesti refertum. Reverendissimo P. Generali plurimam ex me salutem dices. Romæ 2. Januarii 1674.

CCCXXXV.

D. ABBATI LE-ROY

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro Tractatu de Discretione spirituum Gallice translato gratias habens, destinatos sibi libros acceptos asserit.

CArior deinceps mihi erit Tractatus meus de Discretione spirituum, postquam tu, cujus doctrinam, & pietatem dudum ad me fama detulerat, non solum ipsum approbare, sed etiam in linguam Gallicam elegantissime transferre voluisti. Pro qua re gratias uberrimas ago, Deum exorans, ut qui hoc menti tuæ inspiravit, ipse pro tuo labore præmium, quod mereris, copiose largiatur. Libros quos misisti, nondum accepi, nam per Mare Mediterraneum non est tuta hoc tempore navigatio, nec audent Nautæ se periculo exponere. Avide illos expecto: nihil enim gratius mihi contingere potest, quam hujusmodi lucubrationes percurrere, quibus solide vitæ Christianæ documenta explicantur; quod certe hoc infelici seculo necessarium est, ut falsis quorumdam opinationibus, omnem fere licentiam depravatæ naturæ permittentibus, inconcussa, & immutabilis Evangelii veritas opponatur. Ceterum in me nihil horum agnosco, quæ pro tua erga me benignitate ipse commendas: nisi quod summopere exopto videre in Ecclesia Dei, extirpatis erroribus, veram, & Apostolicam doctrinam vigere, & omnes idipsum sapere in Christo Jesu. Deus te Diu incolumem servet, & gratiæ suæ largitate locupletet. Romæ 2. Januarii 1674.

CCCXXXVI.

D. JOANNI MABILLONIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Dissertationem de Azymo sibi inscriptam commendat.

REnascentem annum felici auspicio inchoavi tuam de azymo Dissertationem typis editam recipiens, quæ grata mihi multis de causis extitit; tum quia eam nomini meo inscribere, & Epistolam (*a*), quam tibi hac de re scripseram, ei præfigere voluisti: tum quia quæstioni satis obscuræ tua multiplici eruditione, & acerrimo judicio multam lucem attulisti. Gratulor, & gratias ago; nec dubito, quin a viris literatis conatus tuus approbandus sit; nam, ut soles, utile dulci miscuisti, & fructum non acerbum, ut modeste scribis, sed maturum, & succi ple-

(*a*) Loquitur de Epistola 14. Martii 1673. posita sub num. CCCII. incipiente: Cum animadverterem &c.

plenum protulisti, Atque utinam arbor tua fœcunda plures hujusmodi fructus quotannis parturiat. Quod ut fiat, vires tibi, & valetudinem tuis laboribus pares a Deo exoro. Romæ 9. Januarii 1674.

CCCXXXVII.

D. VINCENTIO MARSOLLE
Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti Superiori Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro renascentis anni fausta apprecatione, & Mabillonii Dissertatione sibi nuncupata gratias refert.

NOn poteram felicioribus auspiciis novum annum inchoare: quod tuæ benevolentiæ gratissima exhibitione, tuarumque orationum, quibus maxime indigeo, opitulatione factum existimo. Reliquum est, atque id instanter a te postulo, ne patiaris hujus anni decursu me tibi, tuæque Congregationi inutilem esse: nam si quid hactenus feci, id valde exiguum est, & nullius pretii, si meritis vestris, & meo desiderio comparetur. Quod vero vir eximius D Joannes Mabillonius Dissertationem suam de azymis nomini meo inscribere, te annuente, voluerit, & tibi, & illi gratias ago: hoc enim munus mihi gratissimum, & honorificum fuit, ut dudum meis ad illum literis (*a*) testatus sum. Deum precor, ut Congregatio vestra & merito, & numero augeatur ad salutem animarum, & Ordinis Monastici, ac totius Ecclesiæ ornamentum. Romæ 16. Januarii 1674.

(*a*) Idest Litera posita sub numero cccxxvii. & cccxxxvi. superius relata.

CCCXXXVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

JOANNES NEERCASSEL Episcopus Castoriensis &c.

Orthodoxæ Religionis statum in Hollandia exponit.

1. SCriptor libelli, cui titulus *Religio Hollandorum* vestras ad me literas cum gaudio legit, quod ex illis disceret suam lucubrationem E. V. judicio probari. A me petenti sibi eas dono dari, duxi annuendum, sperans quod in cubiculi secreto identidem relegens, ad ejurandum Calvinismum, fideique nostræ professionem magis magisque incitetur. Certe non omnino me spes fefellit: nam exinde illum adverti Catholicis propensius favere, cum illis libentius congredi, & frequentius miscere sermones.

2. Quia autem Gallis Ultrajecto discedentibus, & ipse cum illis discedere debuit; hinc factum est, ut abrupto, quod inter nos erat, commercio, quid sentiat, & credat scire non possum. Ultimis literis, quas misi ad Urbem, indicavi Eminentissimis Patribus, quid rabies Calvinistica, Gallis vix Ultrajecto egressis, peccaverit in tremenda mysteria, Altaria, & Imagines Divorum: & quomodo Fariau Miles Catholicus pro Auriaco Ultrajectensium Gubernator, ut Catholicos securos redderet, a sacrilegiis cohibuerit Iconoclastas.

3. Hanc Orthodoxorum securitatem sub Orthodoxi Gubernatoris præsidio ægerrime ferunt Calvinistarum Mystæ: quare etiam oblatis libellis Au-

Auriaco supplicarunt denuo vitaret Papisticas superstitiones, quibus infensus Deus Belgas Fœderatos Gallis tradiderat castigandos; ne si eadem mala grassari sinerentur, in easdem pœnas reinciderent. Verum surdas illi aures præbuit Auriacus, plus sperans a Catholicis sibi auxiliantibus, quam timens a minitantibus Ministris. En, Eminentissime Patrone, quo loco sit apud nos Religio Catholica. Illa si evadat felicior, fortunarum damna æque ferent Catholici, quos uti & me ipsum vestro commendans patrocinio, me profiteor cum devotione maxima. Antuerpiæ die 2. Februarii 1674.

CCCXXXIX.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

JOANNES ROUCOURT

In Ecclesia SS. Michaelis, & Gudilæ Plebanus.

Libellum a se editum prænotatum: Manuductio ad seriam pœnitentiam Eminentissimi Bona censuræ submittit.

IGnotus quidem, tamen nominis tui fama, ac zelo, quem pro Dei geris Ecclesia, permotus, E. T. me sisto, & ea, qua par est, reverentia Purpuram tuam exosculor. Gregis mihi commissi salutis percupidus, quod ejus sanguinem de manu mea scirem requirendum, non satis habui publicis concionibus fidei, ac morum ei præcepta tradere, sed & parvulis, & popularibus libellis id ipsum curavi perficere. Inter ceteros sesqui abhinc anno Flandrico nostro Idiomate edidi brevem *Manuductionem ad seriam pænitentiam*, quam statim gelosus quispiam Gallico idiomate, ut hic habet, est interpretatus. Tutiorem in describenda debita dispositione secutus sum doctrinam; tum quod eamdem fundamentis nixam solidis veram arbitrarer; tum quod inter dubias DD. disputationes hanc securiorem salutis viam populo proponendam Ordinarii nostri Superiores nobis semel ac iterum, & tertio injunxissent, memores illius Augustini: *Graviter quis peccat in rebus ad salutem pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta præponat*. Adjunxi deinde quædam praxim pœnitentialem concernentia ex Pastorali instructione S. Caroli, quam similiter hac in re nobis sequendam Ordinarius noster proposuit. Hanc ejus praxim plures una mecum Confessarii tum Regulares, tum Seculares jam pridem est, quod exequimur, Deo incrementum dante non exiguo fructu, quo plures illecti numerus in dies crescit. Verum quidam laxiori doctrinæ, & praxi consueti quandoque submurmurant, ac si doctrina tutior, praxisque in libello descripta in Urbe non probaretur, quinimo Sedi Apostolicæ displiceret. Et inde nonnulli de plebe a tutiori via arcentur; & veremur. Hac itaque de causa libellum nostrum conspectui, ac judicio tuo, Eminentissime Cardinalis, subjicio. Doce nos, Pater Eminentissime (ignosce sic præsidenter loquenti: charitas enim Christi, ac commissi gregis salus urget nos) doce, qui probe Romanæ Ecclesiæ doctrinam tenes, si quid in hoc libello eidem adversetur, ut prompte corrigamus. Si vero documenta, & regulæ in eodem traditæ salutares probentur, salubriter confirmentur: ceterisque, qui vano metu Catholicam plebem a via tutiore avertere conantur, etiam authoritate tua freti in charitate Christiana va-

lidius nos opponamus. Rogo Deum omnipotentem, ut E. T. diu Ecclesiæ suæ servet incolumem. Bruxellis 11. Februarii 1674.

Præfatam Manuductionem acriter impugnavit nescio quis sub ementito nomine *Francisci Caroli Reymakers*, edito ea de re opusculo. Valide tamen illam propugnavit, & adversus prædictum Reymakers tutatus est R. D. Antonius le-Felon Antuerpiensis, Presbyter S. T. B. F. ut videre est in Epistola Apologetica ad eumdem Franciscum Carolum, & in Præfatione ad Lectorem præfixa libello inscripto: *Conversio peccatoris &c.* edito Bruxellis anno 1675.

CCCXL.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

FRANCISCUS BUYRETTE
Ordinis Præmonstratensis Procurator Generalis.

Cardinali supplicat pro obtinenda facultate celebrandi Officium S. Gilberti ejusdem Ordinis Abbatis.

QUod ad E. T. folium per Epistolas accedere præsumam, facit singularis illa tua humanitas, quæ me, dum Romæ agerem, ad suam audientiam non semel admittere, ac multis in rebus sua me, ac candidum Ordinem potentissima protectione donare dignata est. Anno præterito, cum sacræ Rituum Congregationi pro decernendo per eundem nostrum Ordinem S. Gilberto (*a*) Abbati cultu solemni supplicassem, placuit Eminentissimis Patribus, Eminentia tua hoc negotium referente, ac promovente, D. Claromontensi Episcopo ea de re pro informatione rescribere, ex cujus ad S. Congregationis Epistolas responso quam sincere, imo quam parce de cultu solemni ab immemorabili Sancto nostro Confessori per totam Diœcesim Claromontensem exhibito in meo supplici libello, seu memoriali differuerim, Eminentia tua cum Sacra Congregatione facile dijudicabit. Et licet ipse Reverendissimus D. Claromontensis Sanctum nostrum Gilbertum eum esse asserere non audeat, cujus nomen ad diem 4. Februarii in Martyrologio Romano connotatum reperitur, ea forte ratione, quod in Breviario Claromontensi nonnisi ad diem 6. Junii Officium suum habeat: nihilominus cum ipsemet Reverendissimus Claromontensis Episcopus subjungat, se probe scite ejusdem S. nostri Festum die 4. Februarii quibusdam in locis solemniter celebrari, quod & ab Officiali D. Eduensis Episcopi in Urbe Molinensi Patribus Carmelitis ejusdem urbis, duobusque Bituricensis Archi-Diœcesis Pastoribus, quorum testimonia authentica hic annecto, confirmatur. Hinc est, quod facile mihi persuasum habeam ob antedictas, & alias rationes ab E. T. pro eo, quem erga Sanctorum cultum gerit, affectu, dextre supplendas, Sacram Congregationem haud difficulter consensuram, ac permissuram, ut in omnibus, ac singulis nostri Ordinis Præmonstratensis Ecclesiis die 4. Februarii quotannis nostri Sancti festum sub ritu duplici celebretur. Quam quidem gratiam Ordo noster E. T. jueremerito acceptam referet; necnon pro ipsius salute, & incolumitate preces ad D. O. M. fun-

(*a*) Die 4. Februarii juxta Bollandum occurrit Festum S. Gilberti Fundatoris Ordinis Sempringhamensis in Anglia, cujus vita habetur in Tomo 1. Februarii. Inter prætermissos quoque, & in alios dies directos fit quoque mentio S. Gilberti Episcopi, & Confessoris die 13. Februarii; sexta autem Junii agitur Natalis dies S. Gilberti Abbatis, & Fundatoris Monasterii Novem fontium Ordinis Præmonstratensis, cujus vita, actaque, nec non S. Petronillæ ejus conjugis, ac Pontiæ Filiæ cultus ibidem a Bollandi continuatoribus referuntur.

fundere non cessabit. Quod etsi Præmonstratensium minimus, omnium tamen nomine E. T. spondeo, cujus sacræ Purpuræ limbum humillime deosculor: manens. Subjungo S. nostri Confessoris officium a Sacra Congregatione, si ipsi ita videbitur, approbandum. Parisiis ex Collegio Præmonstratensi. Die 9. Martii 1674.

CCCXLI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

GUMMARUS HUYGENS S. T. D. in Academia Lovaniensi.

Tractatum a se nuper editum Cardinalis examini subdit.

QUod singularem Eminentissimæ gratiæ vestræ comitatem ab Academia Lovaniensi ad Urbem missus, coram expertus fui, mihi fiduciam fecit absenti hoc literarum transcribendi. Movit me, præter alia quam plurima, Virorum insignium in Belgio authoritas, ut libellum hunc pro virium mearum tenuitate contexerem, cujus exemplar E. V. transmitto eadem fretus humanitate, qua me ad alloquium Eminentissimæ gratiæ vestræ, & ad rerum Theologicarum sermonem admittere non fuit dedignata. Quidquid libellus ille complectitur, honori divino, & proximorum saluti consecratum cupio, & sicut Eminentissimæ vestræ censuræ lubens subjicio: ita, si quid forsan minus recte dictum dedocere dignata fuerit, aliis beneficiis immeritus apponam. Sane pœnitentium saluti pessime consulitur, dum quoscumque tandem peccata etiam iterantes, ac iterum, iterumque recidivos, modo ut placuerit ad Confessarii tribunal accedere, indiscriminatim absolvunt. Quodve magis deplorandum, velut regulam sibi præfigunt nonnulli nihil pœnitentes interrogare, nihilque disquirere ab iis, inter quos crassissimæ (Deus immutet) & intolerabiles grassantur ignorantiæ. Has nimirum deprehendunt illi Confessarii, qui hac remittendi, & retinendi methodo etiamnum usi fuerunt, quorum numerus (laus Deo) in dies non parum crescit. Quod ex P. Herney scribit E. V. D. Van-Vianen accusari, ac si Rosarii usum improbasset, non sine stupore intelleximus: nihil enim minus dictum ab eo, qui oppositum palam docuit. Verum non ita percellit, cum non sit insolens purioris Theologiæ amantibus, atque inter hos Viro isti apertas falsitates imponi. D. O. M. E. V. cœlestibus benedictionibus locupletet, & Ecclesiæ suæ diu servet incolumem. Hoc exoptat. Lovanii 23. Martii 1674.

Libellus, de quo supra, prænotatur Methodus remittendi, & retinendi peccata, hoc anno 1674. secundis, & tertio Tractatu auctior recusus.

CCCXLII.

JOANNI ROUCOURT in Ecclesia SS. Michaelis, & Gudilæ Plebano

JOANNES Cardinalis BONA.

Manuductionem ad seriam pœnitentiam commendat, nonnulla tamen indicans, quæ satius fuisset omisisse.

SI nomine, & facie mihi ignotus fuisti, notissimus deinceps eris meliore tui parte, animo scilicet Christiana pietate, & solidiori doctrina imbuto; in libello enim de pœnitentia, quem mihi misisti, lo-

loquela tua manifestum te facit. Legi illum cum summa aviditate, atque utinam fructu; & zelum tuum pro salute animarum maximopere complexatus sis, rem fecisti tuo muneri consentaneam; nec poterit hoc nomine Tractatus iste alicui displicere, nisi illis, qui a pœnitentia maxime alieni non percipiunt, quæ sunt Spiritus Dei. Sedes Apostolica jam pridem multas laxiores recentiorum opiniones proscripsit, quæ in duobus decretis Alexandri VII. continentur; & quod attinet ad pœnitentiam, illorum dumtaxat nimius rigor damnatur, qui veteris Ecclesiæ erga pœnitentes disciplinam, quæ a multis annis in desuetudinem abiit, nunc in usum revocare conantur; quorum indiscretum zelum tu quoque non approbas. Etiam erit aliquis, qui forsitan reprehendet quæ de differenda, seu suspendenda absolutione scribis *cap.* 12. verum doctrina tua sapientissimorum Theologorum est, nec merito argui potest. Optassem tamen, ut quæ dicis *pag.* 97. & duabus sequentibus omisisses; nam hujusmodi objectiones facile a populo rudi, & simplici intelliguntur, solutiones autem captum eorum excedunt. Ceterum pro hoc pio, & literario munusculo gratias tibi uberrimas ago: etsi quod aliud simile opusculum aut edidisti, aut imposterum edes, rem gratissimam facies, si ad me pervenire curabis. Hanc mihi fiduciam rogandi te benignitas tua præbuit, meque tuis precibus enixe commendo. Si quid vero tibi, tuisque studiis prodesse possum, me semper paratum invenies. Romæ die ultima Martii 1674.

Hæc Epistola præfixa Apologiæ libello inserta est. Libellus prænotatur: *Conversio peccatoris* D. Antonii le-Felon, ubi honorifica fit mentio Cardinalis his verbis „ Erat tum ibi (nempe Romæ) vir „ eruditissimus Ordinis sui, & Italiæ „ decus insigne Cardinalis Joannes Bona, „ scriptis, & fama huc etiam pernotus &c. „ Libellus autem prædictus sic prænotatur: *Conduite à la pénitence, ou à la véritable conversion du Pécheur par J. R. P. A. Bruxelles* 1673.

CCCXLIII.

GUMMARO HUYGENS S. Theologiæ Doctori Lovaniensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Tractatum egregium Authori gratulans, pro transmisso sibi exemplari gratum se dicit.

Multum mihi profuit contracta tecum, cum in Urbe degeres; quandoquidem causa fuit, ut me studiorum tuorum, & strenuæ operæ, quam navas saluti animarum, participem feceris, misso ad me libello, in quo methodum tradis remittendi, & retinendi peccata. Gratias tibi pro munere plurimas ago, & ex corde gratulor, quod Confessariis modum ostenderis, quo se gerere debeant cum pœnitentibus, ut ad veram peccati detestationem, ac vitæ emendationem perducantur, relicta via, quæ videtur hominibus carnalibus recta, novissima autem ipsius ducunt ad mortem. Nondum mihi libuit librum ex integro legere, gravibus distracto occupationibus: sed ex iis, quæ legi, eum maxime utilem futurum conjicio, hoc præsertim seculo, quo plerique conantur persuadere Christianis latam esse viam, quæ ducit ad Cœlum; cum Christus Dominus noster arctam esse, & difficilem docuerit. D. Van Vianen salutem plurimam dico, cui impositum crimen declamationis adversus Rosarium falsissimum esse, mihi jam persuasissimum erat. Scio enim esse Virum gravem, pium, & doctum, in quem hujusmodi levitates cadere non possunt. Opto scire, an prosequatur

tur Tractatum de Ordine amoris, cujus specimen ad me dudum misit; Deumque precor, ut tibi, & illi uberem gratiam, diesque tranquillos largiatur. Romæ 16. Aprilis 1674.

CCCXLIV.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

LUCAS DACHERIUS.

Gratos fuisse dicit D. de Cousin Allatii libros, a quo vicissim transmissam ait Bysantinam historiam Gallice traductam.

CUM libros Leonis Allatii munificentia tua ad me a D. Antonio d'Urban Roma transmissos Cl. Vir D. de Cousin Parisiensis Cameræ computorum Præsidi tuo nomine obtulissem, ipse summo gaudio profusus fuit, atque admiratione pene attonitus, quod tu altissimæ dignitatis, ac tantæ eruditionis eum non modo benevolentia singulari fueris amplexus, sed & munus egregium, libros nimirum, qui vix, ac ne vix quidem reperiri poterant, e Bibliotheca tua ultro subtractos ipsi tam liberaliter commodaveris. Atqui ne ingratus coram E. T. appareat, Byzantinam historiam suo labore in Gallicam linguam e Græco versam orat, ut tamquam Symbolum observantiæ erga te suæ digneris suscipere. Et sane adeo feliciter, & eleganter versionem istam peregit, ut omnium calculo, præsertim peritorum in hac scientia, sit comprobata, ac dilucidata. Ego vero plurimi eam facio, atque instar commentarii historiam Byzantinam elucidantis existimo. Quod porro ad ultimum a me receptum opusculum E. T. attinet, quid de ipso sentiam D. Antonio Procuratori nostro haud pridem significavi. At non mihi visum est illud, quod suis literis indicavit, ac summopere extulit idem Procurator, utpote summam eruditionem complectens, redolensque solidam pietatem: unde statim atque accepero, omnem curam, atque diligentiam me lubentissime ac volupe impensurum spondeo, ut cudatur, atque in publicum prodeat. Te diutissime ad commune Ecclesiæ bonum spiritus, qui eam regit, incolumem servet, suisque muneribus ditet, quod animitus exoro. Parisiis 27. Aprilis 1674.

CCCXLV.

CLAUDIO FRANCISCO MILLIET Soc. Jesu

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro Mathematico cursu sibi transmisso, quem & commendat, gratias agit.

GRatias tibi medullitus ago, quod per Nepotem tuum in Urbe commorantem laborum tuorum me participem feceris, misso mihi primo Tomo Cursus Mathematici a te summo studio elucubrati. Multa ex eo legi maxima animi jucunditate: neque enim a Mathesi alienus fui, cum ætas, & otium Monasticum me huic scientiæ incumbere permiserunt. Atque utinam in magistrum tui similem incidissem, multa siquidem didicissem, quæ ignoro, & si quid scio, facilius, & citius didicissem. Neminem adhuc vidi, qui totius Mathematicæ integrum cursum perfecerit, ejusque arcana adeo perspicue, & methodice patefecerit. Tibi hæc laus debetur, quod difficiliora, & obscuriora ita

ex-

explanaveris, ut quisquis mediocri ingenio prædītus est, ex sola tui libri lectione possit Mathematicus fieri. Ostendi librum tuum, ac totius Operis sistema viris in hac facultate eruditis, a quibus summopere laudatur, & omnes avide integrum opus expectant. Ego autem benignitati tuæ multum me debere profiteor, atque iterum gratias ago, paratus referre, si tu modum exercendi meam erga te gratitudinem præbueris. Romæ 1. Maii 1674.

CCCXLVI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

JOANNES BERNARDUS GALESIUS V. J. C.

Orationem in Christi Adscensione ad Clementem X. (a) habitam hac Epistola Cardinali inscribit.

UNI tibi, tuoque & numini, & nomini hanc meam de Christi Adscensione Orationem dico, & consecro, Princeps Eminentissime, non illa dumtaxat animi propensione motus, qua te Virum super eruditissimos sapientissimum doctissimorum laborum, & Operum testimonio quaqua versum præclarissimum, uti Ecclesiasticæ virtutis oraculum veneror; sed ipsomet hujusce meæ suadente orationis argumento tuæ amplitudinis nomine inscripta prodit. Cui etenim in gremium immortalitatis exaltatæ humanitatis mysteria convenientius offerri possunt, ac debent, quam tibi, qui inter candidatas melliflui solitudines humilitatis semitas percalcando a Clemente sanctæ memoriæ IX. sapientum Fautore, ut S. R. E. Purpuratorum Senatus splendorem augeres, ad Purpuram evocatus, Ecclesiasticæ disciplinæ observator religiosissimus, Purpuræ fulgores in maximis humilitatis operibus ostentas, divinæ sapientiæ oracula de humilium exaltatione exemplo tuo efficacissime doces: utque terrena omnia pro cœlesti beneficio commutes nullis aut laboribus, aut vigiliis parcis, iisdemmet vestigiis insistens, quibus in privatæ virtutis, doctrinæque eminentia, sudoribus fatigatus assiduis, divina pene in aliis, una tibi inimica dilectione, nedum tuæ Religionis, sed Catholicæ Ecclesiæ commodis deserviens, morum suavitate, in omni scientiarum genere literatura, Religione, prudentia, justitia, & pietate, omniumque virtutum singulari concentu, & amplitudine ab omnium Ordinum hominibus gratias collegisti; supremorumque Apostolicæ Sedis Antistitum, Laicorumque Principum animos ad te inter Bernardi solitudines eremiticam vitam degentem pertraxisti. A Supremis Ecclesiæ dignitatibus eo magis desideratus, quo magis ipsas vel oblatas abjiciebas, vel collatas prorsus ejurabas. Hoc ergo grati animi mei monumentum, devotæ in te observantiæ testimonium, rei simul sacræ, & literariæ donum, qua soles, benignitate excipias, inclytique nominis tui authoritate faveas: quique in humilitatis operibus libenti animo exerceris, humilem hanc, de re tamen maxima, panegyrim ne despicias; meque certissimum mihi in te præsidium uti virtutum fautore, & altore constituentem in tuum patrocinium benigne suscipias, ac foveas. Vale 3. Maii 1674.

(a) Habita fuit ea Oratio in Basilica Principis Apostolorum die 3. Maii 1674. ipso Dominicæ Adscensionis die, quo publicatum fuit Jubilæum Anni Sancti.

CCCXLVII.

CCCXLVII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

HERUÆUS DU TERTRET. Ordinis Cisterciensis.

Cardinalis patrocinium implorat pro diminutione expensarum in expeditione Bullarum Abbatiæ de Precibus.

DUO sunt inter multa, quæ me licet E. T. ignotum, ad eam nihilominus fiducialiter æque ac humiliter recurrere compellunt: singularis bonitas tua, & specialis paupertas mea. Bonitas tua universali jam Ecclesiæ notissima, & Ordini Cisterciensi, cujus filius ego sum, licet indignus, acquisita, & quasi propria ex una parte: & ex alia paupertas mea non satis cognita omnibus, ut quisquam misertus mei hucusque curaverit succurrere laboranti, ac deficienti mihi. Siquidem ante sexdecim circiter annos ad postulationem Reverendissimi P. Abbatis mei nunc defuncti, & Monachorum ejus, nominatus a Rege Christianissimo Coadjutor Monasterii de Precibus (*a*) strictioris observantiæ Ordinis Cisterciensis, per tot illos annos laboravi sustinens, petens, & expectans Bullas meas a S. Sede: & tamen eas obtinere non potui, quia pecuniæ summam, quæ pro illarum expeditione petebatur, petentibus solvere non valui. Inde factum est, ut mortuo prædicto Abbate meo Colendissimo, Abbatiam ejus, quæ mihi ut Coadjutori ejus, futuro Successori Brevi regio collata erat, Rex ipse ut vacantem consideraverit; jamque undequaque a diversis personis expetitam, ac sæpius, & importunius repetitam mihi denuo concedere noluerit, nisi delibatam, & oneratam pensione annua trium millium librarum Turonensium. Hoc primum paupertatis meæ signum, ac malum; sed ut valde timeo non extremum; dies enim mali sunt, & per injuriam temporum crescente paupertate mea, nec etiam nunc pecuniæ summam, quæ pro expeditione Bullarum Abbatialium modo exigetur, cogere, invenire, & solvere non valeo: quarum tamen defectu deficit gaudium Conventus nostri: Chorus noster versus est in luctum pro timore & expectatione eorum, quæ domui superventura sunt, si me expulso servo tuo defectu Bullarum, quispiam Aulicorum allatrantium, vel observientium, post illam obtineat in commendam. Quod omen, ut avertat Deus, eum cum gemitibus propter fratres nostros quotidie precor, teque, Eminentissime Pater, ac Domine, rogo, atque obsecro in Domino per Deum vivum, cui tua vita consecrasti in Ordine Cisterciensi; per Deum verum, in cujus nomine veritatem doces, & dicis, & non est tibi cura de aliquo: per Deum Sanctum, qui te Sanctissimo D. N. Papæ carissimum effecit; per Deum denique PP. nostrorum, qui te simul cum illis elegit in hæreditatem sibi, ut me indignum famulum tuum, filium eorum qualemcumque adjuves in tuenda parvula hæreditate domus de Precibus, ne transeat ad alienos, qui eam diripiant, & fiant novissima illius pejora prioribus. Poterit autem E. T. his obsistere malis, & obviare periculis, si attentius perspectis rationibus, ob quas Bullas meas cum diminutione pretii petiti peto, petat ipse istam gratiam pro me, pro cujus obtentu si judicaverit deprecatoriam Epistolam meam huic annexam posse aliquid conferre, offerre dignabitur Sanctitati Suæ, & Sacro Collegio suo. Interim vale, & me excusatum habe, si placet: nec me

me dedignare famulum tuum, si non filium, quia sæpius peccavi in Cœlum, & forte etiamnum coram te, saltem in unum de mercenariis tuis agnoscere, ut vivam; & non confundas me ab expectatione mea, quia ego obsequentissimus, & ad omnia paratissimus servus tuus, & filius ancillæ tuæ, quæ est paupercula Congregario nostra. Parisiis die 10. Maii 1674.

(a) Abbatia de Precibus, vulgo des Prieres in Diœcesi Venetensi initium habuit anno 1248. seu ut alii volunt 1280. sub invocatione S. Mariæ, & Marthæ, fundante Joanne Britonum Duce, ad fundendas preces pro naufragis, iis scilicet, qui sæpe perierant in limitibus Oceani Minoris Britanniæ, adscitis Monachis ex Monasterio de Bursayo sub Claravalle.

CCCXLVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

GUMMARUS HUYGENS S. Theologiæ Doctor.

Cardinali gratias agit, quod libellum suum legere, & approbare dignatus fuerit.

INcomparabilis Eminentia Sua me tot aliis nominibus sibi obstrictum maximopere devinxit, quod transmissum a me libellum æqui bonique consuluerit: sed gratias omnes, quas vel habere possem, longe superat, quodeumdem tot occupationibus distenta longe non sit dedignata. Dici non potest quantum affecerit animum meum, quod doctrina, quam *Methodus* complectitur, pro ea quam legit parte, Eminentissimæ suæ gratiæ ingrata non acciderit. Quod illam futuram utilem conjicit E. S. magis adhuc confido fore, si clientelæ E. S. commissa fuerit. Hactenus quidem libellum istum scripto impugnare nemo auditur; neque impugnaturus videtur quispiam: quamquam nonnulli clam mussitare, aut incommoda, ut dicunt, obtendere ferantur. Molestum scilicet ipsis accidit praxim suam quoslibet indiscriminatim absolvendi reprobatum iri; dum alia e diverso & pœnitentibus, & Confessariis in dies magis allubescit. Eximius D. Vanvianen innumeris aliis beneficiis & hoc apponit, quod E. S. pro ea, qua erat erga se opinione, benevole adduci non potuerit, ut iis, quæ temere spargebantur, fidem daret. Quem de ordine amoris tractatum cœperat, etiamnum prosequitur; sumetque fiduciam, ut brevi E. S. de eo scribat. Obtestor una cum eodem D. O. M. ut E. S. Ecclesiæ, & nobis diu servet incolumem. Lovanii die 18. Maii 1674.

CCCXLIX.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro sibi destinata Byzantina Historia Gallice traducta gratum se dicit, & absolutum Opusculum continens Principia vitæ Christianæ *Romæ cudi asserit.*

UT ex literis tuis percipio, didici jam senex mercaturam facere, & non obstante Sacrorum Canonum prohibitione solertissimus negotiator factus sum: sed si aliquod peccatum in hac negotiatione intervenerit, D. Antonius d'Urban reus est, ego vero innocens sum. De-

Dederam illi paucos libros Leonis Allatii, ut eos nomine tuo mitteret Cl. V. D. Cousin, qui eosdem petierat, nec facile poterant venales reperiri: at ille fines mandati transgressus, ipsos a te nomine meo offerri curavit; quod ipse certe propter doni tenuitatem nunquam ausus fuissem. Illi tamen ignoscendum, quia utile pro me negotium gessit, & pro exiguo munusculo magni viri amicitiam nullo pretio æstimabilem mihi conciliavit: etsi quid e mea Bibliotheca demptum est, multiplici fœnore auctum restituit. Dudum audieram hanc Historiæ Byzantinæ Gallicam translationem summa cum laude celebrari; & quandoquidem vir generosus hanc vicem, quam non merebar, bonæ voluntati meæ rependere voluit, ejus libris meam Bibliothecam exornabo. Opusculum a me nuper elucubratum continens *Principia vitæ Christianæ* decreveram typis Parisiensibus in lucem tradere; sed justis de causis propositum meum mutare coactus sum. Itaque dedi illud Romano Typographo excudendum; & hac editione peracta rogabo te, ut manu tua obstetricante isthic recudatur. Cæterum Deum oro, ut omnia tibi prospera in utroque homine largiatur. Romæ 22. Maii 1674.

CCCL.

D. COUSIN Computorum Parisiensis Cameræ Præsidi.

JOANNES Cardinalis BONA.

Pro Byzantina Historia gratias agens, ad ejus studia se paratum asserit.

CUM ab amico meo D. Antonio D' Urban Congregationis S. Mauri Procuratore Generali intellexissem te quædam Opera Leonis Allatii desiderare, quæ apud Bibliopolas nullo modo reperiri poterant; viderемque illum in his quærendis frustra occupati, ne inutiliter fatigaretur, meos illi largitus sum, ut petentis voluntati satisfaceret, nullo tamen studiorum meorum dispendio: possum enim illos e cujusdam amici Bibliotheca habere, quoties voluero. Ille autem præter meam intentionem ipsos tibi meo nomine offerri curavit, quod certe nunquam cogitaveram: neque enim ausus fuissem munus adeo exiguum tali viro mittere. Qua in re etsi limites mandati sit transgressus, negotium tamen pro me utile, & honorificum gessit, tuam mihi concilians amicitiam, quam maximi facio: cum præsertim volueris bonæ voluntati, qua omnes literarum amatores colo, vicem cum multo fœnore rependere, traditis mihi generosa admodum beneficentia libris Historiæ Byzantinæ a te Gallice traductæ. Dudum hanc versionem summa cum laude celebrari audieram; & quandoquidem non possum hoc munus honeste recusare, eo Bibliothecam meam insigniter locupletabo. Rogo autem, ut si aliquando tibi, tuisque studiis prodesse potero, mea opera libere utaris, idque gratissimum mihi erit. Atque interim gratias tibi uberes ago, Deumque precor, ut te diu servet incolumem. Romæ die 22. Maii 1674.

CCCLI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA
JOANNES ROUCOURT.

Iterum agit de libello inscripto : Manuductio ad seriam pœnitentiam; *& de alio Libro Isagogico ad Orthodoxam fidem sermonem habet.*

1. GRato, reverentique animo E. T. literas datas ultima Martii recepi, quæ & peropportune nobis advenerunt. Id enim, quod præ cæteris in transmisso introductionis ad pœnitentiam libello in querelam venit, illud est, quod in ipso de dilatione Sacramentalis absolutionis differitur. Hæc quippe nova, & singularis doctrina aliquibus videtur, & ut talis traducitur. Fecerat ea res fluctuantes, atque hærentes nonnullos, quibus alias eadem non improbabilis videbatur; præcipue quod adversus illam expectandum fulmen Romanum diceretur, quod & adhuc dicitur. Horum plerosque erexit, & confirmavit authoritas tua, ut jam eidem doctrinæ, quam dudum communem, & veterem asseruere Theologi Sapientissimi, magna pœnitentium, ubi a peccati consuetudine liberati fuerint, cum gratiarum actione secure insistunt. Optat E. T. objectiones aliquas, eorumque solutiones omissas: optarem & ego, nisi jam notæ forent, & rudi populo ad nauseam inculcarentur, ut vel sic doctrina nostra apud plebem reddatur odiosa; eas tamen, si adhuc E. T. desiderat deletas, sequens prælum expunget.

2. Quod ad veteris Ecclesiæ pœnitentiales Canones pertinet, eos in usum revocare longe est a proposito meo: neque si quis id in Belgio nostro velit, hactenus cognovi. Aliquam quidem pœnitentiam quibusdam ante absolutionem implendam imponimus, ut ita sufficientem eorum dispositionem exploremus, dum ex aliis illa nobis suspecta est: & ut ipsi pœnitentes discant pravis suis affectibus, quos hactenus secuti sunt, reniti, eosque superare congruis quoque exercitiis nova, & imbecillis illorum voluntas nutriatur, & roboretur; quod, ut testis est Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnit. disput.* 14. *sect.* 10. *n.* 168. communis approbat Theologorum doctrina. Ab hac autem nimium recedunt, qui *omni pœnitenti se se de peccatis* (*a*) *dolere asserenti, quamvis recidivi sint, consuetudine non obstante, volunt esse credendum, neminem de sua consuetudine esse interrogandum : Pœnitentem hujusmodi interrogationi respondere non oportere : posse suam consuetudinem occultare, aut cum interna restrictione*, quam adhuc hodie e suggestu coram plebe licitam prædicant, negare. Hæc nos non parum commovent, quia hoc, ait idem Lugo *num.*172., est contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti. Insuper multos se pauco tempore absolvere posse gloriam ducentes, an fidei, & morum doctrinam, quantum Christianæ vitæ satis est, calleant, a pœnitentibus nolunt inquirere, sed id se supponere asserunt. Est tamen, quod experientia novimus, haud modica in multis salutis, legisque divinæ cognoscendæ incuria; & ut verbis magni, ac Melliflui tui Bernardi loquar *Epist.* 77. *Etiam nunc multa profecto scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia*

(*a*) Propositiones ab Authore relatæ in data Epistola damnatæ sunt ab Innocentio XI. decreto emanato feria v. die 2. Martii 1679. sub num. 26. 58. 60. respective.

cundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.) Qua tamen ignorantia tutos se arbitrantur, dum ipsis etiam e suggestu persuadetur neminem peccare, nisi qui se peccare noscit, & advertit: ut scilicet tanto quique peccet minus, quo peccatorum profundo immersus, amplius a divina Lege oculos habet aversos. His, qui non acquiescunt, velint, nolint, Janseniani sunt, & suspecti de inobedientia erga sanctam sedem traducuntur. Hæc E. T. fidentius dico; cui enim alii! Non enim hæc coram populo ventilanda sunt, quod utilitatis habet perparum, scandali autem plurimum. Propter quod sic ipsis, quantum facultas suppetiit fidei, morumque doctinam hactenus exponere sum conatus, ut non recederem ab eo, quod tam sæpe dicimus: *Pacem, & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens.* *Zach. 8. 19.*

3. Ceterum nunc alterum e libellis meis, quoniam ita mandasti, E. T. sistendum transmisi, quo nutantes Catholicos confirmare, & circumjacentibus, hucusque sæpe adventantibus hæreticis Catholicæ Ecclesiæ authoritatem ostendere sum conatus. Adjunxi, dilucidiusque exposui quædam fidei puncta maxime necessaria, ut eorum mysteriorum etiam rudis populus ideam possit tenere. Hunc si inspicere dignatus fueris, gaudebo de omnibus judicium tuum intelligere; ut in his, quæ recte, sapientia, & authoritate tua valeam confirmari; quæ secus, corrigi. Superest, ut pro benignitate, & humanitate, quam in priori libello persolvendo, mihique rescribendo declarasti, quas pro mea tenuitate possum gratias E. T. referam, Deumque tibi remuneratorem exoptem, qui te Ecclesiæ suæ diu incolumem servet. Sic vovet &c. Bruxellis 26. Maii 1674.

CCCLII.

JOANNI ROUCOURT

JOANNES Cardinalis BONA.

Ejus ad Fidem Catholicam introductionem laudans, non expungenda, sed clarius explicanda esse, ait, quæ populum rudem offendere possunt; iterumque de Manuductione ad pœnitentiam agit.

1. ACcepi literas tuas, & alterum Libellum Isagogicum ad Fidem Orthodoxam, quem statim legi, nihilque in eo animadversione dignum inveni. Laudo autem methodum, qua uteris per interrogationes, & responsiones: aptior est enim ad instruendos Fideles, & ad heterodoxos convincendos. Brevi etiam compendio feliciter perstrinxisti quidquid alii spissis voluminibus comprehendunt. Gratias tibi medullitus ago pro munere, paratus referre, quoties mihi occasionem præbueris.

2. Quod vero attinet (*a*) ad primum librum de Pœnitentia, objectiones illas expungi, de quibus te monui, si liber recudatur, forte non expediet, cum jam ubique divulgatæ sint, ne quis putet ideo omissas, quia sanam doctrinam non continerent: sed ita poteris, si ita tibi videbitur, tam in propositione objectionis, quam in solutione ea moderatione uti, ut quod in illis non arguunt adversarii, clariori explicatione dissolvatur, atque omnis præcidatur occasio, quæ posset do-

(*a*) Hujus Epistolæ pars ab illis verbis incipiens: *Quod vero attinet* edita est inter Epistolam Apologeticam præfixam libello inscripto: *Conversio peccatoris* Antonii le-Felon.

ctrinam tuam plebi odiosam reddere. Ceterum æstimarem non inutilem futurum alium similem Tractatum, quo praxis charitatis erga Deum, & proximum eadem methodo traderetur. Vale, & pro me Deum exora. Romæ 16. Junii 1674.

CCCLIII.

FRANCISCO BUYRETTE
Ordinis Præmonstratensis Procuratori Generali.

JOANNES Cardinalis BONA.

Difficultates exponit pro obtinenda a Sacra Congregatione facultate sub ritu duplici celebrandi Officium in Festo S. Gilberti.

LIteris tuis die 9. Martii scriptis serius quam par est respondeo; causa autem dilationis fuit, quia decretum S. Congregationis rituum expectabam, quo decerneretur posse Ordinem vestrum solemni cultu, & Officio S. Gilbertum in die ejus Festo venerari. Sed res accidit secus quam putabam: audito enim D. Promotore Fidei, qui quædam, prout munus suum exigit, in contrarium opposuit; noluerunt Eminentissimi Patres officium concedere, nisi prius inscribatur Martyrologio Romano: pro qua inscriptione quid agendum sit, D. Superiori hujus vestri Romani Collegii indicavi, & ab ipso audies. Ego autem illi adero toto affectu, & intentione; nec deseram hoc negotium, donec, quantum in me erit, feliciter terminetur; interim tuis orationibus me enixe commendo. Romæ 19. Junii 1674.

CCCLIV.

D. LUCÆ DACHERIO

JOANNES Cardinalis BONA.

Principia Vitæ Christianæ dono mittit, ejus prudentiæ relinquens, an iterum Parisiis recudi debeant.

ABsoluta tandem est editio mei libelli, quo principia Vitæ Christianæ breviter explicantur. Unum pro te exemplar dedi D. Antonio d'Urban, quod cum acceperis, & evolveris, judicabis an debeat hic recudi, & typographo trades, ut diligenter, & sine mendis excudatur. Studia tua, & graviores occupationes obtrudo; sed hanc molestiam mutuæ amicitiæ condonabis; precorque, ut paria mecum facias, & vicem reddas: nihil enim mihi gratius, aut jucundius contingere potest, quam tuis commodis operam impendere meam. Romæ 24. Junii 1674.

CCCLV.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

FRANCISCUS DIERIX Abbas S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis.

Promotis suo in Monasterio studiis, Theologicas Theses in Symbolum beneficiorum Cardinali inscribit.

EX eo, quod ad Clavum Monastici Regiminis, meritis licet impar, assumptus fui, nihil in ipso limine magis cordi habui, quam continuum

tinuum S. Theologiæ studium inter meos indesinenter fovere, ac promovere. Quod eo majori conamine appetii, ut otium, & torpor a Religiosorum cordibus proscriberetur; & vera, ac sincera antiquiorum PP. ac Theologorum scientia religiosæ pietati, ac morum integritati juncta, tamquam Martha a Maria, & Maria a Martha amplecteretur. Amor huic intentioni addidit alas; dum a viginti & amplius annis in annua Melliflui S. Doctoris nostri solemnitate lucubrationes nostras Theologicas ex eodem editas publice coronari feci. Quæ res, Deo teste, in Civitate nostra Antuerpiensi totius Belgii oculo, & omnium scientiarum palæstra grata adeo extitit, ut Religiosorum maxime animi adstipulentur ad ea otia complectenda, quæ sunt vicina saluti. Dignabitur igitur pro solita sua benignitate E. V. me supplice Theses hasce permitti dignissimo suo Nomini inscribi, & omnium beneficiorum Symbolum sacratissimis vestris manibus consecrari, ut inconcussa, & antiqua Melliflui Doctoris nostri doctrina fulgeat in Domo Domini; & ut S. Bernardus quoad mores, pietatem, & doctrinam in persona E. V. redivivum Urbi, & Orbi Bernardum reproducat. Calamum reprimo, ne personam in sua animi demissione offendat, & subscribo me cum sacratissimo manuum osculo. Antuerpiæ 10. Augusti 1674.

CCCLVI.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

ALBERICUS Abbatiæ S. Salvatoris Prior, S.T. Licentiatus, ac Professor.

Eidem Theses Theologicas, suo nomini inscriptas, transmittit.

THeses nostras Theologicas, quas E. T. benignitate fretus nomini tuo inscripsi, transmitto. Majora quidem tibi debentur ab Ordine, Monasterioque nostro amoris Symbola; verum & hæc quamvis exigua, ausim sperare fore grata, tum ob materiam, de qua tractaut, tum ob offerentium affectum re oblata longe majorem. Si quid forte erratum sit, aut minus recte dictum, E. T. & S. Matris Ecclesiæ judicio, ac correctioni profundissime submitto; Deum enixe rogaturus, ut te Ecclesiæ suæ tutelam, ac lumen diu conservet. Dabam Antuerpiæ in Abbatia nostra de S. Salvatore IV. Idus Augusti 1674.

CCCLVII.

FANCISCO DU-MOLINET Canonico Regulari S. Genovefæ

JOANNES Cardinalis BONA.

Acceptam sibi asserit Dissertationem ad se missam de usu Stolæ.

DIscessus P. Asseline ab Urbe displicuit omnibus doctis, ac probis viris amicis ejus, mihi autem præcipue, qui arctam cum eo amicitiam a multis annis contraxi. Spero tamen eum rediturum; nam facile ostendet falsa esse, quæ illi ab æmulis objecta sunt: & hic utilis, ne dicam necessaria, est ejus commoratio pro negotiis Ordinis vestri. Tibi autem gratias ago, quod Dissertationem de usu Stolæ, sive Orarii ad me miseris, quæ gratissima mihi fuit ob multi-

plicem

plicem Authoris eruditionem, qui si integrum hac de re tractatum ediderit, proferet de thesauro suo procul dubio nova, & vetera. Ceterum si quid possum pro vestra Congregatione, libenter operam meam impendam, meque tuis orationibus enixe commendo. Romæ 22. Augusti 1674.

CCCLVIII.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA

LUCAS DACHERIUS.

Laudato Opusculo de Principiis Vitæ Christianæ, *ejus operam pollicetur pro iterata, accurataque Parisina impressione.*

Accepi humanissimas E. T. literas ad me datas 24. Junii una cum libello *de principiis Vitæ Christianæ*, queis admones, ut cum evolvero, si judicaverim hic edi debere, typographus diligenter, & sine mendis recudat. Hanc equidem curam ego non modo libenter, sed & jucundissime suscipiam; quippe tam egregius est libellus iste, atque animis solide Christianis longe profuturus, ut volupe fuerit in accurate edendo omnem diligentiam adhibere, ac sollicitudinem. At enim cum de tuis rebus agitur, aut nonnihil obsequii a me expostulas, tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri, rogari vero sine aliquo dolore vix possim; sed mihi dumtaxat innui velim ab E. T. cui totus sum devotus: & quod aliena manu scribo, facit adversa valetudo. Parisiis 24. Augusti 1674.

CCCLIX.

D. FRANCISCO DIERIX Abbati S. Salvatoris Antuerpiæ Ord. Cisterc.

JOANNES Cardinalis BONA.

Gratias agit pro sibi inscriptis Thesibus, in quibus nonnulla novitatem redolentia animadvertit.

Accepi literas vestras, & cum hisce Theses Theologicas mihi gratissimas, nomini meo inscriptas, & ex Melliflui P. N. Bernardi doctrina excerptas, pro quibus vestræ erga me benignitati uberes gratias ago, paratus referre, quoties opportuna occasio a vobis mihi oblata fuerit. Propositum vestrum Theologicas vestras assertiones e scriptis S. Bernardi eruendi summopere laudo, & probo: ipse enim quidquid docuit, e fontibus æternæ sapientiæ hausit; adeo ut errare non possit quisquis illum sequutus fuerit, dummodo illius mentem assequatur. Ad hoc attendere solerter debetis, ne quid in Theses vestras a Patris nostri doctrina, & a communi Thologorum sensu alienum irrepat; nihil quod novitate, & singularitate legentes offendere possit. Huc spectare mihi videtur, quod in Appendice prima asseritis, posse Ordinem valide, & cum fructu Eucharistiam suscipi ab homine non baptizato: hæc enim assertio omnium Theologorum placitis repugnat, asserentium baptismum esse januam Sacramentorum; nec eam puto Bernardi doctrina communiri, & consonare. Referri huc etiam potest, quod dicitis in secunda Appendice: posse aliquem invitum, & nullo præstito consensu valide ordinari; nam huic propositioni major, & sanior pars Theologorum repugnat. Ut hac liber-

tate

tate vobiscum utar, facit benignitas vestra, & religiosa humanitas, qua meo judicio Theses vestras submittere voluistis. Deum precor, ut vos Cœlesti sapientia imbuat, meque vicissim Orationibus vestris enixe commendo. Romæ 1. Septembris 1674.

CCCLX.

JOANNI KERY Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Priori Generali

JOANNES Cardinalis BONA.

Sacræ Congregationis determinationibus acquiescendum esse dicit.

QUantum semper studuerim Ordinis vestri commodis, dudum tibi notum fuisse non dubito; nec desinam, quantum in me erit omni sollicitudine satagere, ut pax, & disciplina regularis in eo vigeat, & conservetur. Nuper autem retuli in S. Congregatione dubia, quæ ex novissimis decretis orta sunt, & quod mihi pro bono Religionis magis expedire visum est, proposui in hac Congregatione, cujus determinationi par est, ut omnes acquiescant ea veneratione, ac submissione, qua decet viros Religiosos Superiorum mandatis obedire. Ordo vester fulget in Ecclesia zelo, pietate, & studio propagandæ fidei; & hoc nomine vos amo, & plurimi facio. Hilari quoque animo excepi, quod scribis de Patre Georgio Chepelleni, qui ob fidei defensionem martyrium novissime passus est. Decreta accipies a Procuratore Generali. Augeat in vobis Deus gratiam suam, & memores mei estote in orationibus vestris. Romæ 8. Septembris 1674.

CCCLXI.

MARTINO BOSSONICH Episcopo Zagrabiensi

JOANNES Cardinalis BONA.

Dubia, nonnullaque alia sibi bene visa pro tuenda tranquillitate in Ordine S. Pauli primi Eremitæ, proposita in Sacra Congregatione, cujus solutioni eum acquiescendum hortatur.

OPtime novi, quam sit necessarium ad Regularis disciplinæ conservationem, ne quod salubriter a principio institutum est, sine causa tollatur, & mutetur. Rerum tamen humanarum semper labentium conditio exigit, ut noviter emergentibus novis legibus provideatur. Decreta, de quibus scribis, prævia matura discussione a S. Congregatione emanarunt: dubia vero eorum occasione exorta, me referente, ab eadem Congregatione soluta sunt, cui ego proposui, quæ mihi visa sunt pro bono, & tranquillitate Ordinis magis expedire. Credo autem, quod omnes ea, qua par est, submissione iis, quæ sancita sunt, acquiescent; ad quod multum proderit tua exhortatio, & zelus. Deum rogo, ut te diu servet incolumem, meque tuis commodis ex corde offero. Romæ 8. Septembris 1674.

CCCLXII.

CCCLXII.

HERVÆO DU-TERTRET Ordinis Cisterciensis

JOANNES Cardinalis BONA.

Obtinendæ diminutionis pro expeditione Bullarum spem præbet.

NUlla præfatione uti debent qui sunt ex Ordine nostro, cum ad me scribunt; omnes enim ut Fratres sincera dilectione complector. Negotio tuæ expeditionis totis viribus incubui, & ut gratia, quam postulas, concederetur, preces meas tuis addidi. Sed ut sunt variæ in multorum congressu sententiæ, defectu duorum votorum optata diminutio obtineri non potuit. Curabo, quantum in me erit, ut in altero consistorio iterum proponatur, non sine spe melioris successus, Deo annuente; & me iterum tuis, tuorumque precibus enixe commendo. Romæ 12. Septembris 1674.

CCCLXIII.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Card. BONA

JOANNES BAPTISTA THIERS
Ecclesiæ Campo-Rotundensis Rector.

Eidem offerens Tractatum de Stola Archidiaconorum, lucubrationes a se edendas exponit.

QUos ad te misi hactenus Commentarios, tam benigne dignatus es excipere, ut quam de Stola Archidiaconorum quorumdam rogatu scripsi Dissertationem, offerre E. T. non dubitaverim. Hanc mihi occasionem datam vehementer gaudeo, quo meam in te singularem observantiam, gratumque animum testificer. Librum de expositione Sanctissimi Sacramenti tertio editurus sum propediem; accuratam postea de Festorum institutione Tractationem aggrediar, quod tibi non injucundum futurum postremis literis significasti. Interim D. O. M. precor, ut te diu Reipublicæ Christianæ salvum, & incolumem conservet. Vale. In Campo-Rotundo Idibus Septembris 1674.

CCCLXIV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

ANTONIUS Abbas Camberonensis Ordinis Cisterciensis.

Cardinali supplicat pro obtinenda Indulgentia Plenaria pro Ecclesia S. Hadriani Martyris Gerardi Monte.

HActenus pro me rogavi, pro amico nunc, & Benefactore tibi supplicare gratitudo coegit, & charitas. Amicos inter primos me habet Reverendissimus D. Hubertus Meuratius Abbas Cœnobii S. Hadriani Martyris Gerardi Monte (a) in Flandria. Ejus eximia virtus, quæ amicitiæ conciliatrix est, sane meretur. Benedictinus est, & quidem strictioris observantiæ, suis prælucens non verbo solum, sed exemplo. Hinc arcta inter nos amicitia; sed & gratitudo has a me ad

(a) Monasterium Gerardi Monte, seu Geraldimontense in Flandria fundatum fuit anno 1081. de quo Annalium Benedictinorum Tom. v.

ad te literas, Em. Cardinalis, commendatitias exigit. Marte circa nos furente Camberono excedere coactus sum; refugi autem ad amicum; excepit hospitio, quod omni temperat charitate, & sermonibus, quibus accendor in Deum; porro, cum, ut dixi, Cœnobium ejus (*b*) sacra ob Lipsana Sanctorum illi sit devotum, & ad ejus festos dies, quarta videlicet Martii, qua Martyrium subiit crurifagio Hadrianus, & nona Septembris, qua sacræ ejus Reliquiæ levatæ, ac translatæ sunt, multus confluat populus, augendæ hujus pietati Martyris gloriæ supplicat, ut E. V. dignetur procurare Indulgentiam Plenariam ad sacra Lipsana peregrinantibus. Quid si iisdem idem prima Decembris, quæ S. Natalitiæ festiva Hadriani Uxoris est, & ad Martyrium hortatricis? Optat ardenter, rogat demisse & pro amico, & hospite suo. Gerardi-Monte 15. Septembris 1674.

(*b*) De S. Adriano Martyre videndus Baronius ad utramque diem, & Bollandus ad diem 4. Martii inter prætermissos. S. Hadriani autem corpus in eodem Monasterio adservari una cum brachio S. Natalitiæ ejus uxoris asserit Bucelinus in sacrario Benedictino.

CCCLXV.

D. JOANNI S. R. E. Presbytero Cardinali BONA

STEPHANUS BALUZIUS Tutelensis.

Petri Castellani vitam a Gallandio exaratam, eidemque transmissam dicens; & de colligendis unum in Tomum Regum Francorum Capitularibus mentem suam exponens.

1. TRadidi nuper Ludovico Billaine Typographo Parisiensi Exemplar unum Libri a Petro Gallandio scripti de vita Petri Castellani magni Franciæ Eleemosynarii, ut ejus cura, quod ille facile in se suscepit, ad E. T. mitteretur, Eminentissime Cardinalis. Non dubito autem quin meum hoc munusculum favorabiliter pro tua summa humanitate accipias; & quin pro tuo in Rempublicam literariam amore plurimi facias, cum agnoveris Castellanum justum, & tenacem propositi virum suis virtutibus, & gratia, qua apud Maximum Regem plurimum valebat, effecisse, ne quid in Aula rerum novarum avida tentaretur adversus priscam fidem, præcipue vero ne Gallicana Ecclesia inficeretur contagione Britannici Schismatis, cujus exemplum nostris hominibus proponebatur tamquam e vicino. Quæ hic paucis tecum differere volui, Eminentissime Cardinalis, ut horum comparatione excusari debere censeas quædam aspere dicta adversus quosdam Pontifices Romanos illorum temporum. Efficias porro tua authoritate, ne quid detrimenti capiat hic liber apud imperitos bonarum artium æstimatores, quibus nimis plus abundant magnæ Civitates.

2. Patere, Cardinalis Eminentissime, ut hic tecum paulisper agam de consilio, quod cepi, colligendi in unum Volumen omnia Francorum Regum Capitularia, tuamque propterea opem implorem. Ea collegi, & emendavi ex multis Codicibus antiquis ex Gallia, Germania, Helvetia, Hispania; nulli enim labori, vel sumptui peperci, ut plurima eorum exemplaria habere possem. Nuper vero aliud quærens in Tomo VII. postremæ Conciliorum editionis, animadverti Labbeum pag. 1574. & 1180. referre: monitum se ab Holstenio fuisse extare in veteri Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ Capitula aliqua Caroli Magni

partim edita, partim inedita. Oro itaque, obtestorque te per hæc nostra studia, Vir eruditissime, ut ad te perferri cures hunc Codicem; describi porro facias Capitula nondum edita, pro ut a Labbeo indicantur: editorum vero varias lectiones adnotari jubeas, totumque illud quamprimum ad me mittatur: nam omnino spero me intra hos duos proximos menses daturum Typographo priora hujus Operis folia. Ubi autem fervere prælum cœperit, nullatenus intermittetur editio, quam volo absolutam esse ante finem anni proximi. Libere apud te ago, Cardinalis Eminentissime, quem scio promptissimum esse ad juvandos conatus eorum, qui studia sua in usum publicum convertunt. Si quid vicissim tibi mea opera præstare poterit, & aliquem laborem a me exegeris, faxo ut intelligas neminem esse, qui majore studio, majoreve observantia te colat, ingentesque virtutes tuas. Vive diu felix, Eminentissime Cardinalis, & Vale. Lutetiæ Parisiorum XI. Kalendas Octobris 1674.

CCCLXVI.

D. JOANNI S. R. E. Presb. Card. BONA DANIEL PAPEBROCHIUS.

Caroli, & Lotharii Diplomatis specimen ad Cardinalem mittit.

AD finem tendit impressio Aprilis, ante Novembrem in lucem venturus, utinam & Romam ante Januarium. Prævolat interim ad manus, oculosque E. T. specimen hoc Carolini, Lotharianique Diplomatis, cujusmodi plura specimina Diplomatum intra VI. & XI. seculum scriptorum proponentur in meo Propyleo antiquario ante Tom. 2. Aprilis. Tractatui huic occasionem dedit fictitium quoddam Diploma seculo XIII. compositum sub nomine Dagoberti Primi, ad hoc ur ejus filia credatur S. Irmina Horræensis apud Treviros Monasterii fundatrix, quam Dagoberto II. a se eruderato adscribendam censuit Henschenius in Diatriba; & ego nunc liquide demonstrabo, simul viam sternens dignoscendis veris, falsisque Diplomatibus. Hoc observantiæ meæ specimen rogo, quæsoque, ut gratum habeat E. T. meque, ac P. Godefridum Henschenium, qui interim, dum ego absolvo Aprilem, multum ipse promovit in Majo, benevolo favore dignetur, qui sum, semperque manebo post datum Sacræ Purpuræ osculum. Antuerpiæ. Die 1674.

CCCLXVII.

DANIELI PAPEBROCHIO JOANNES Cardinalis BONA.

Acceptissimum sibi, ait, transmissum antiquitatis Monumentum.

GRatulor tibi, & gratias ago, quod mensem Aprilem post tot casus, & discrimina ad finem tandem perduxeris. Ipsum avide expecto: atque utinam discordiæ inter Principes componantur; vereor enim, ne parum tutus terra marique sit commeatus; & ut ceterarum Mercium, ita etiam librorum commercium tollat. Interim gratissimum mihi fuit nobile antiquitatis monumentum tuis literis additum,

tum, quod tempore prorsus opportuno ad me pervenit; vigente nimirum inter me, & quosdam antiquarios controversia de quodam libello, quem illi seculo sexto scriptum ex charactere conjiciebant; ego autem circa tempora Caroli Magni exaratum asserebam. Nunc vero facta collatione character libelli cum specimine a te misso omnino concordat; Sanctos deprecor, pro quibus laboras, ut tibi, & P. Henschenio diuturnam, & incolumem vitam impetrent, donec in Patria ipsorum numerum augeatis. Romæ die Septembris 1674.

CCCLXVIII.

Patri Abbati JOANNI BONA Congr. Reform. S. Bernardi

PALLAVICINUS SFORTIA Societatis Jesu.

Eidem dedicat suum secundum Librum De Arte perfectionis Christianæ.

DOna videntur magis ei convenire, qui minus habet materiæ donatæ. Verum ab hac regula excipiuntur libri: qui illis, in dedicationibus, offeruntur dignius, qui jam possident intelligentia, quicquid eis donatur in scriptura. Ratio discriminis est, quia cætera dona fiunt in utilitatem ejus, qui recipit; quæ utilitas non consequitur, si hic rebus donatis jam affluebat; sed hoc genus donorum est mera significatio æstimationis; quæ consistit in hoc, quod doctrina literis mandata, transmittatur, velut ad suam sphæram, ad illum, cui dedicatur: qua in re imitatur naturam, quæ mittit alias aquas ad mare, & omnes partes ad suum totum, non ad subveniendum necessitati, sed ad constituendam rem unamquamque in debito suo loco. Quapropter nemini debet videri mirum, quod tibi, Patri Abbati Joanni Bona, dedicem secundum librum Artis meæ spiritualis: siquidem, præter copiosam eruditionem in omnibus materiis Ecclesiasticis, non dubitem te prædicare perfectum absolutumque Magistrum vitæ, quæ ducitur ex spiritu: ut constat ex egregio libello tuo, quem Ducem vitæ spiritualis inscripsisti. Fateor enimvero, hanc meam non tam esse donationem, quam retributionem, propter ea, quæ quotidie a te condisco: cujus docta & pia conversatio, mihi amœnas villas, in quibus sæpe, post multas studiorum horas, brevi ac necessaria fruimur animi relaxatione, convertit, nunc in umbriferam Academiam Platonis, nunc in viride Lyceum Aristotelis, nunc in solitarium Museum Hieronymi, nunc in contemplativam Lerinam Honorati, nunc in asceticam eremum Cassiani. Restat, ut orem te atque obtester; facias me experiri tantum fructum amoris tui, in sanctissimis tuis ad Deum precibus, quantum expertus sum hactenus, in gratissima tua consuetudine, eruditionis, ac doctrinæ.

Hæc Epistola præfixa est latino idiomate reddita pag. 154. & seq. ejusdem libri *de Arte perfectionis Christianæ* in latinum sermonem conversi a P. Marco Schonman ejusdem Societatis.



EPISTOLÆ SELECTÆ

VEL AB IPSO EMINENTISSIMO CARDINALI BONA, VEL AD IPSUM ITALICO IDIOMATE EXARATÆ.

I.

Al Sereniſſimo Prencipe LEOPOLDO di Toſcana

D. GIOANNI BONA.



A Monſignor Arciveſcovo Nerli io ricevo il pregiatiſſimo dono de' Libri, de' quali V. A. Sereniſſima s' è compiacciuta d' arricchire la mia povera Libreria. La qualità del dono eſprime vivamente il buon guſto, che V. A. ha in materia delle ſagre lettere, e le molte maniere, che ſovvengono alla ſua generoſità di beneficare, e proteggere i Profeſſori di eſſe, fra quali pigliarò ardire d'annoverarmi per la comodità, ch' Ella mi ſomminiſtra di coltivare il mio debole intelletto colla lettura de' Santi Padri. Imparerò da queſti, ſe non altro, a porgere continue preghiere a Dio per la proſperità, e per la conſervazione d'un così generoſo Benefattore: e perchè intorno a' libri ſta occupata la maggior parte delle mie ore, avrò ſempre avanti gli occhi le obbligazioni, che per donativo sì liberale, e per tant'altre grazie V. A. m' ha impoſte; mentre la prego ad eſercitarle con l'onore aſſiduo de' ſuoi comandamenti. E quì rendo a V. A. con le più riverenti ſommiſſioni del mio oſſequio umiliſſime grazie, e rimettendomi a quello, che intorno alla mia divota gratitudine ſaprà meglio della mia penna rappreſentare all' A. V. il medeſimo Monſignore Nerli; le fo per fine profondiſſimo inchino. Roma 16. Gennajo 1661.

I I.

Al Reverendiſſimo Padre D. GIOANNI BONA

LEOPOLDO Prencipe di Toſcana.

NOn il mio buon guſto, ma il ſapere per eſperienza da quello ho veduto ne' ſuoi dotti libri quanto profitto poſſa ritrarre il Mondo Chriſtiano dal leggere V. P. le Sagre Carte, e quelle de' Santi Padri, è ſtata la vera cagione d' offerirle inſieme per ſegno d'un ſincero affetto alla P. V. alcuni libri di queſti. Confeſſo, ch' io invidio il profitto, che V. P. da eſſi ritrae, ed arroſſiſco inſieme; poichè avendoli in mia gioventù letti quaſi tutti, ed adeſſo talvolta, quanto mi è permeſſo, rileggendoli, conſidero la mia debolezza in non ne trarre quell' utile, che o per me, o per altri ſi potria. Che poi Ella con tanta

ſpe-

ſpecialità abbia ricevuta queſta piccola dimoſtrazione, caparra della molta ſtima, che con ragione io ſo della P. V. lo riconoſco per uno de' ſoliti tratti della ſua Religioſa modeſtia, e dell'afferto, che mi porta, del quale dal noſtro Monſignor Arciveſcovo ne ho avute teſtificazioni ſovrabbondanti, onde me le profeſſo obbligato con prontezza di corriſpondenza in ogni occaſione: mentre frattanto le auguro dal Datore d'ogni bene ogni più vera felicità. Firenze a' 26. Gennajo 1661.

III.

Al Reverendiſſimo Padre D. GIOANNI BONA

D. TOMMASO Abbate di San Severino.

1. NOn m'ammiro punto, che il Tometto dell'Indirizzo per il Paradiſo di V. P. Reverendiſſima ſia ſtato riſtampato più volte per la di lui dolcezza, ed attrattiva, che tiene alla beata Eternità; mentre per la ſteſſa cagione il noſtro P. Gerſen (a) *De imitatione Chriſti* moltiplicate volte è uſcito in luce. Entrambi ſtimo di ſimil peſo, entrambi effetti d'una non mediocre pietà, e religioſità degli Autori, ed entrambi ſono ſcalini per il Cielo. *Benedictus Deus*.

2. Ritrovandomi Priore del Sagro Moniſtero di Subiaco, in quelle ſante zioſità m'applicai in deſcrivere le benedizioni, delle quali fu ripieno il noſtro Santiſſimo Patriarca in tutti i gradi della ſua età, quali vengono compreſe nel primo libro. Nel ſecondo ſi decidono molti dubbj ſpettanti a detto primo libro. Nel terzo poi tratto *De B. Benedicto triumphante*. E perchè promiſe lui ſcrivendo al glorioſo S. Mauro; o per dir meglio diſcorrendo con i ſuoi diſcepoli attriſtati per la partenza dell'accennato S. Mauro per la Francia, fra le altre coſe diſſe, come V. P. Reverendiſſima molto bene ſaprà, che ſarebbe ſtato maggiormente loro preſente dopo morte, che vivente: perciò in detto terzo libro vado moſtrando, qualmente la maggioranza della preſenza con noi altri di detto S. Patriarca, e cooperatore dell'iſteſſo ſi prova con l'opulenza delle ricchezze, affluenza de' gradi eccellenti, di lettere, ed abbondanza de' ſtati, quali concludo in quattro capi. Nel capo dell'abbondanza de' dotti porrò anche gli Scrittori, che hanno ſtampato in queſto noſtro ſecolo. Il libro s'intitolerà *Orbis Benedictinus, ideſt de B. Benedicto militante, & triumphante*. Quando in Subiaco diedi mano a detta opera, non avevo intenzione di ſtamparla; adeſſo con la morte d'un certo mio P. D. Gioſeppe Caraffa Abbate titolare, la ſua vita, e morte eſſendo ſtata da N. S. arricchita di grazie fatte ad altri, dovendoſi queſta ſtampare, è ſtata l'occaſione d'inſerirla nell'ultimo Libro, o Tomo, con dare a vedere, che anche in queſto corrotto ſecolo nel noſtro Orbe Benedittino ſi veggono nuove ſtelle, e che non ſia *Aſtrum extinctum*, ma anche lucido, e riſplendente: ed a queſto propoſito ſo pure menzione nel capo dell'abbondanza de' Santi d'alcuni noſtri Monaci, che ſono in

(a) Gioanni Gerſen fu Abate dell'Ordine di S. Benedetto, gran Maeſtro di ſpirito, ed autore de' celeſti precioſi libri dell'*Imitazione di Gesù Criſto*, cavata da un Codice MS. del Moniſtero della Cava, e come tale viene difeſo, e ſoſtenuto dal P. D. Virginio Valſechi Monaco Caſſinenſe in una ſua Diſſertazione ripiena di una profonda, ſoda, ed antica erudizione contro del Sig. Lamberto Gaetano Ponſampieri Sacerdote nobile Lucheſe, Autore della Diſſertazione premeſſa alla nuova Italiana traduzione de' medeſimi libri ſtampata in Luca nell'anno 1723. Fu Gioanni Gerſen Abate del Monaſtero di S. Stefano di Vercelli, e viſſe nel 40. del ſecolo decimoterzo.

in questo corrente secolo morti con opinione di Santità. Se V. P. Reverendissima nella sua Congregazione ne tenesse nota, anco gli porrei nel nostro Libro. Mi raccomando alle sue orazioni, e riverentemente le bacio le mani. Napoli a' 3. Febbrajo 1665.

I V.

Al Reverendissimo Padre D. GIOVANNI BONA

MICHEL ANGIOLO RICCI.

1. AVendo considerato dappoi quello, che si ragionò jeri alla presenza di V. P. Reverendissima, vorrei per quanto spetta alla mia persona, ch'ella riferisse a nostro Signore in questa forma, e così la supplico,

2. Ch'io venni col P. Abate, e col Signor Levera secondo, che mi era stato comandato, e domandando qual fosse il punto, sopra il quale si doveva discorrere, che mi fu risposto: dell'anno corrente. Allora io dissi, che aveva per indubitato la Pasqua essere nel secondo mese contro la mente del Concilio Niceno, e la pratica di S. Chiesa, la quale in questo particolare imita gli Ebrei, come notò S. Agostino, osservando il primo mese in memoria del celebre passaggio, che leggiamo nel Testamento vecchio: epperò disse S. Agostino, che l'altre solennità si fanno in memoria della Nascita di Gesù Cristo, o della Santissima Vergine per esempio; ma che la Pasqua oltre la memoria della Risurrezione *habet etiam Sacramentum*.

3. E' poi facile il provare, quale sia il primo mese chiamato *Nisan* dagli Ebrei, e qual sia il secondo; perchè il Novilunio più vicino all' Equinozio di Primavera, ovvero, come dice Filone, il Plenilunio, *quod incidit in Vernum Æquinoctium*, ci mostra il mese Nisan. Ora in quest' anno l'Equinozio viene la mattina delli 20. di Marzo, e il giorno si fa il Plenilunio. Abbiamo dunque in Marzo il primo mese, e in Marzo ha da essere la Pasqua, secondo le regole date da Gregorio XIII. come credo possa mostrarsi.

4. Ella si ricorderà della sollecitudine, che mostrarono li Sommi Pontefici Vittore, ed Innocenzo I., S. Leone, ed altri, e quanti Concilj, quanti studj si sono fatti sopra questa solennità di Pasqua, perchè si celebrasse nel tempo conveniente.

5. Del rimedio all'errore accennato di sopra si può ragionare in due modi. Uno, come si possa rimediare in quest'anno, che servirebbe ancora per qualche decine d'anni in avvenire. L'altro è d'una maniera di fare, che vada perpetuamente bene: ma ciò io stimo difficilissimo il ritrovarlo, e difficilissimo il potersi assicurare, che vada bene, dopo che si fosse ritrovato. Il Signor Levera è molto versato nell'Astronomia, ed in simili materie; ed egli propone un moto perpetuo; ma io non l'ho esaminato, avendo avuto mira solamente, quando rividi il suo libro per ordine della Sagra Congregazione di correggere quello, che poteva offendere la stima dovuta alla correzione Gregoriana, e cose simili. Resta dunque, che S. Santità comandi più precisamente, qual punto s'abbia ad esaminare.

6. Ora quì bramo la protezione di V. P. Reverendissima in caso, che N. Signore passasse più oltre, perchè la materia è laboriosissima, e dove si possono incontrare gravi disgusti; anzi dopo molte fatiche teme-

temerei, che qualcheduno con pretesti politici facesse restare il tutto senza esecuzione. So, che a N. Signore non mancano soggetti, e forse di me non si valeranno: tuttavia per ogni buon rispetto, e cautela supplico V. P. Reverendissima con la sua prudenza ad insinuare, che la vista mi si è indebolita, perchè ebbi molte faccende tutte ad un tempo, e fui costretto a forzarla un poco troppo: devo però nell'occasioni considerare, non dirò *quid valeant humeri*, ma *quid valeant oculi*. Ella sa poi, che le ho comunicata la mia volontà piuttosto di ritirarmi, che imprendere brighe, e studiare per l'altro mondo, se non talora studiare moderatamente o per uso mio qualche cosa, o per ubbidire a' Superiori. In voce diremo il resto, e mi ratifico; di Casa a' 21. Febbrajo 1666.

V.

Al Serenissimo Principe LEOPOLDO di Toscana

D. GIOVANNI BONA.

DAL Signor Abate Falconieri mi sono state presentate per parte di V. A. S. le spiritose, e limatissime Poesie del Cavaliere Ciro di Pers poste in luce per ordine di V. A. S. la quale non contenta di proteggere con generosa beneficenza i letterati, mentre che vivono, dopo la morte ancora ne fa loro godere gli effetti. Le ho lette con mia grandissima soddisfazione, come quelle, che hanno giustamente riportati gli applausi dell'età nostra, e rendo umilissime grazie a V. A. che si sia compiaciuta accrescere con questo dono le mie già per altro infinite obbligazioni. Io similmente mosso dall'amenità di queste Campagne, ho risvegliata l'addormentata Musa, come vedrà dall'inclusa parafrasi del primo Salmo, che piglio l'ardire d'inviare a V. A. supplicandola a gradire colla solita sua bontà questa minima dimostrazione della mia divotissima servitù, mentre con riverentissimo ossequio me l'inchino. Castel-Gandolfo 13. Maggio 1666.

VI.

Al Reverendissimo Padre D. GIOVANNI BONA

LEOPOLDO Principe di Toscana.

SE da tutti quelli, a' quali sono state inviate le composizioni Poetiche del Cavalier Ciro di Pers, ne ricavassi l'usura, ch'ho ricevuta dalla sua erudita cortesia, troppo larga mercede avrei ritratta dalla poca briga, che mi sono preso, perchè Poesie così degne venissero alla luce per mezzo delle Stampe. Soddisfo pertanto all'obbligo, che tengo a V. P. con un ben pieno rendimento di grazie per la gentile Parafrasi sopra il primo Salmo da lei inviatami, che ben più volte da me, e con altri virtuosi ho letta, e riletta, acciò non venisse ad essere alla medesima levato il premio meritato d'essere considerata da chi intende; mentre a me tocca la parte d'imparare da chi sa, ed amare, e stimare chi l'ha fatta per le sue virtuose prerogative. Bisogna, che con quest'occasione io le confessi un peccato di non intieramente biasimevole invidia per le dotte conversazioni, nelle quali V. P. si ritrova ora in codesta Villa. Nè dico questo per altro interesse, che

per

per il solo desiderio, che ho di ritrovarmi con tanti virtuosi, non escludendo i maggiori, per poter ricavarne quei profitti, che da pratiche così considerabili, e desiderabili, e da insegnatori così perfetti potrei acquistare; ma giacchè esser non posso costà, di sommo contento mi è, ogni qualvolta ricevo alcuna composizione, alcun avviso e di V. P. e degli altri intendenti, che sotto altissima protezione si può dire vivano fortunati. Questa fortuna però, perchè sia accresciuta al maggiore possibile grado, prego con tutto l'affetto S. D. M. che la voglia concedere alla P. V. Di Firenze addì 23. Maggio 1666.

VII.

Al Signore CARLO DATTI

D. GIOVANNI BONA.

SUpplico V. S. Illustrissima a compatirmi, se tanto tardi le comparisco innanzi per soddisfare alle obbligazioni, ch'Ella m'impose, già sono alcuni mesi, con avermi mandato il suo eruditissimo Libro delle vite de' Pittori antichi. Me lo portò un servidore del Sig. Abate Falconieri in tempo, ch'era ammalato; e non avendo mai avuto l'onore di meritare le grazie di V. S. Illustrissima, lo ricevei come un regalo del suddetto Signore; essendo poi guarito, andai per ringraziarlo, e mi disse d'avermelo mandato per ordine dell'Autore. Restai confuso, non conoscendo in me carattere alcuno, per il quale meritassi un favore tanto singolare; Ella ha voluto imitare la somma bontà di Dio, che ci dona la sua grazia, senza che in noi preceda merito alcuno. Ne rendo pertanto alla sua gentilezza con obbligatissimo, e cordialissimo affetto umilissime grazie, assicurandola, che l'ho letto con mia infinita soddisfazione per l'eleganza dello stile, per la varietà, e vaghezza dell'erudizione, e per la sodezza del giudizio in esaminare, e disporre le cose, ch'Ella dice. O quanto è vero, e quanto m'è piaciuto il discorso, ed il riflesso, che fa alla pag. 64.! Così è: pochi sono, che conoscano, quanto costino a' poveri Scrittori le loro virtuose fatiche. Ogni linea della citata pagina è un oracolo; appena ebbi lette le prime facciate delle sue postille, che m'accorsi, quanto copiosa fosse la miniera del suo sapere, e quanto ha faticato in verificare, e stabilire ogni suo detto. Io veramente non sono Giudice competente: la supplico però a credere, che parlo con ogni sincerità. V. S. Illustrissima ha capitale per intraprendere qualsivoglia difficile impresa, e riescirne con onore; e non deve privare il Mondo dell'Opera, che ci promette della Pittura antica. Prego Iddio, che prosperi i suoi virtuosi disegni; e la prego intanto a rendermi degno delle sue grazie coll'onore de' suoi comandi. Roma 26. Novembre 1667.

VIII.

Al Serenissimo Prencipe LEOPOLDO di Toscana

D. GIOVANNI BONA.

HA voluto V. A. S. sempre intenta a beneficare i suoi Servidori onorarmi col Libro delle naturali esperienze fatte in codesta sua Accademia, Opera veramente degna di sì gran Prencipe, e di grandissimo

dissimo profitto a' Professori di Filosofia naturale, la quale appunto con l'esperienza si perfeziona, essendo verissimo quel detto di Manlio: *Per varios usus artem experientia fecit, exemplo monstrante viam*. Avranno gli amatori delle scienze perpetua obbligazione a V. A. perchè con questi dilettevoli trattenimenti, e con gl' influssi efficacissimi del suo generoso patrocinio eccita gli animi de' suoi fedelissimi sudditi allo studio delle bell'arti, e fa, che codesta sua Real Corte sia oggidì in Italia l'unico Albergo della virtù, ed il ricovero de' virtuosi. Io non m' intendo di queste materie; e per restringermi ad una parte meno sproporzionata al mio debole intendimento, V. A. non potrebbe credere, con quanta ammirazione ho letto più d'una volta il Proemio a' Lettori. Non poteva l'Autore di esso con più nobili pensieri, e con più profondo sapere spiegare i sentimenti di Platone intorno all' idea della verità, e dell'origine delle scienze. Questi sono frutti, che nascono nella Corte di V. A. e non altrove, perchè Ella li coltiva colla sua benefica mano, e con l'aura della sua assistenza loro dà vigore. Il Signore prosperi V. A., e la conservi per benefizio di tutto il Mondo, come io continuamente lo prego; e quì rendendo alla sua gentilezza umilissime grazie per il dono del Libro, con profondissimo inchino la riverisco. Roma 3. Dicembre 1667.

IX.

All'Altezza Reale di CARLO EMANUELE Duca di Savoja

D. GIOVANNI BONA.

LA Lettera di V. A. R. mi ha trovato fuori di Roma, essendosi S. Santità compiaciuta di chiamarmi a servirla in questa sua villeggiatura. Rimango confuso, e sopraffatto per la grazia, che V. A. R. con tanto eccesso della sua bontà si è degnata di farmi, pensando di proporre la mia persona al Vescovado d'Asti; carica, secondo la cognizione, che ho di me stesso, totalmente sproporzionata al mio poco merito, e talento, ed alla mia vocazione, sulla quale considerazione ho proccurato anche di sottrarmi, quanto più ho potuto, dagl' impieghi di mia Religione. Supplico pertanto V. A. R. a gradire benignamente le umilissime grazie, che gliene rendo, ed ad assicurarsi, che se le mie obbligazioni verso di lei fossero capaci d'accrescimento, sarebbero per una dimostrazione di tanta stima, e per un atto di tanta generosità verso di me giunte all'ultimo segno. A queste mi sforzerò di corrispondere in qualche parte con le mie orazioni, pregando Iddio nella ritiratezza del Chiostro per le felicità continuate della sua Real Casa, e Persona, ed a V. A. R. con riverentissimo ossequio m' inchino.

X.

All'Illustrissima Signora N. N.

D. GIOVANNI BONA.

MEntre stava attendendo qualche buona occasione di scrivere a V. S. Illustrissima, il di cui nome vola gloriosamente per tutto il Mondo, Ella ha voluto prevenirmi con la compitissima sua Lettera, per la quale resto molto obbligato al P. D. Carlo Giuseppe Morozzo, che

mi

mi ha proccurato questo favore. V. S. Illustrissima con la sua erudizione, e dottrina congiunta con modestia, e pietà impareggiabile tira mirabilmente a se la mente, e gli affetti di chiunque fa professione di lettere. Ella è la gloria della nostra Italia, e lo splendore del nostro secolo. Che se gli antichi hanno con tante lodi celebrato Diotima, ed Aspasia Maestre di Socrate, come testifica Platone nel suo Convito; Ipazia Alessandrina, che da Sinesio Vescovo, e gran Filosofo è onorata nelle sue lettere con titolo di Maestra; Atenaide figliuola di Leonzio Filosofo, che pel suo sapere fu innalzata alle Nozze Imperiali di Teodosio il Giovane, preso il nome di Eudossia nel battesimo; Zenobia Regina de' Palmireni, famosa per la notizia di molte lingue; Amalasunta figliuola del Re Teodorico d'Italia, che a tutte le Nazioni soggette all'Impero Romano parlava con il loro Idioma; Eustochio nobile Romana lodata da S. Gerolamo, e detta a' suoi tempi prodigio del Mondo, eccellentissima nella lingua Latina, Greca, Ebraica, e nell'intelligenza delle sagre Scritture; V. S. Illustrissima non è inferiore ad alcuna di esse, e di molte altre, che per brevità tralascio, nella notizia delle lingue, nella pratica de' migliori libri, nella profondità del sapere, nella vivacità, e prontezza d'ingegno, nella nobiltà del nascimento, nella pietà Cristiana, ed in tutte le prerogative degne d'una Dama sua pari. Io me ne congratulo seco, e la prego ad accettare queste mie sincere espressioni, come un tributo della mia osservanza, dovuto alla sua virtù, assicurandola, ch'io mi stimerò molto onorato, quando si compiacerà d'impiegarmi in suo servizio. Quanto poi alle lodi, che V. S. Illustrissima mi dà, avrei ragione di compiacermene, se non facessi riflesso, ch'Ella avvezza a concepire nella sua mente altissime idee, mi ha dipinto come dovrei essere, non come sono. Ne la ringrazio perciò con tutto l'affetto, e pregandole dal Cielo continue felicità le bacio le mani.

X I.

All' Eminentissimo Signor Cardinale N. N.

D. GIOVANNI BONA.

DOpo l'avviso, che V. E. si compiacque d'inviarmi verso il fine del passato, non ho mai cessato di pregare il Signore, che le togliesse di mente il pensiero, che ha conceputo di me, come di cosa, alla quale io non ho merito, nè abilità di sorta alcuna; ma perchè il ricorso a Dio non esclude i mezzi umani, ho creduto di dovere per effetto di gratitudine, e per obbligo di giustizia verso di chi ha pensato d'innalzarmi tanto, dargli una breve, e sincera informazione di me medesimo, sperando, che questa carta operi nell'animo di V. E. quel, che non posso con viva voce rappresentarle. Mi fo dunque lecito di dire a V. E. con schiettezza, e semplicità religiosa, ch'Ella s'inganna, il che penso di poter dire senza offendere il suo prudentissimo giudizio, perchè ne' fatti, e nelle cose lontane anche i più savj sono soggetti ad errare: V. E. cammina con presupposti, dipingendomi nella sua mente molto diverso da quel, ch'io sono. Ho consumata, è vero, tutta la mia vita negli studj; ma il grido, che per errore comune si è sparso del mio sapere, è molto maggiore del capitale, il quale non arriva alla mediocrità; oltre di che non basta

la dottrina, come ne' giorni nostri abbiamo veduto in un soggetto, che senza contrasto era il più dotto d'Europa; perchè ci vuole insieme prudenza, giudizio, notizia degli affari del Mondo, abilità per li negozj, accortezza, e pratica della Corte, delle quali cose in me non se ne trova nè ramo, nè radice, non avendole potuto imparare ne' Chiostri, ne' quali sono vissuto solitario per lo più dalli quindici anni fino al presente; di maniera tale, che tolto dal Monistero, e posto in altro stato, io sarei come un uomo, che arrivasse in un Paese, del quale non intendesse la lingua; siccome realmente io non intendo nè la lingua, nè le maniere della Corte. In quarantatrè anni di Religione non ho ancora imparato a far bene nel gran Teatro di S. Chiesa il personaggio di Monaco: e come potrò impararne un altro tanto diverso da quello, che fino adesso ho professato? Questo pensiero mi ha posto in rammarico tale, che non può essere nè più sensibile, nè più violento. Per questa considerazione, e non per altro, rifiutai il Vescovado d'Asti, e mi sono anche sottratto dalle cariche di mia Religione, non avendo nè genio, nè attitudine alle Prelature. Nè pensi già V. E. ch'io scriva questa Lettera per cirimonia, perchè le parlo, come se parlassi con Dio, che vede l'intimo del cuore; e per la notizia, ed esperienza, che ho di mè medesimo, sono sicuro, che la mia promozione non sarebbe nè di servizio a S. Chiesa, nè di gloria al presente Pontificato, nè di riputazione a chi ci avesse cooperato; ed a me riescirebbe di danno, fastidio, e disonore grandissimo: perchè le dignità a chi non le merita, e non le sa sostenere, non partoriscono applausi, ma vitupero. Aggiungo, che sebbene mio Padre era Gentiluomo di qualche stima nella sua Patria, mia Madre però fu di nascita popolare, e dal canto suo ho molti parenti di povera, ed infima condizione. Nelle cose temporali non entro, essendo notissimo a V. E. quanto ci vuole per mettere in tal posto un uomo nudo. Questo è il vero ritratto di mia Persona, questi li miei sincerissimi sentimenti: degnisi V. E. di riceverli, e comunicarli a chi sarà di bisogno, con quella stessa bontà, che ha dato movimento al suo cuore per onorarmi; e s'assicuri, che tal grado non è per me, nè io per esso. La supplico pertanto con ogni più efficace sommissione ad avere compassione di me, lasciandomi finire in pace nella mia Cella li pochi giorni, che mi restano di vita. Quì si tratta della riputazione sua, e di nostro Signore, perchè assolutamente non ne avrebbero onore. Non parlo di ringraziamenti, perchè l'obbligazione, che V. E. m' ha imposta con quest' eccesso della sua bontà, è tale, che io non la so concepire, non che spiegare con parola; e così la prego ad accettare questa confessione di mia insufficienza per qualsivoglia ben sincero ringraziamento. E quì resto con pregare lo Spirito Santo, che le inspiri migliori pensieri, o mi levi di vita; poichè a me sarà molto più caro il morire, che trovarmi in un posto, all'obbligazioni del quale io sono certo di non poter soddisfare. Da San Bernardo addì 3. Febbrajo 1668.

XII.

XII.

Al Signor Canonico NICASIO DIJON

D. GIOVANNI BONA.

DAL foglio, che V. S. m' ha trasmesso, ho veduto con mia grandissima soddisfazione l' argomento, e l' idea dell' Opera, che il suo amico compone intorno alla Musica, la quale sarà a mio giudicio opera compita, e piena d'ogni desiderabile erudizione. Mancava quest' ornamento alla Repubblica letteraria, ed io l' ho sempre desiderato, e ne godo sommamente. Quanto alla Musica degli antichi vi sarà assai che dire, se cantassero a più voci, se le loro Cantilene fossero in genere Diatonico; quando, e perchè si perdessero il Cromatico, e l'Enarmonico; se sia oggi possibile il rimetterli; se il nostro primo modo, o Tono sia il Dorio degli antichi, se il terzo il Frigio, il quinto il Lidio, come comunemente scrivono i moderni, nel che, quando studiava queste materie, trovai grandissime difficoltà; come s'accordi la Musica nostra coll'antica, e molte altre cose simili, alcune delle quali accennai brevemente al Capo XVIII. della mia divina Salmodia. Appartengono similmente a questo Trattato la Musica intelligibile, ed archetipa, della quale parla S. Agostino al Libro 6. della Musica; l'armonia del Mondo, la composizione armonica dell'anima, descritta da Platone, i Numeri di Pittagora, e del medesimo Platone, tanto celebrati dagli antichi, impugnati da Aristotile nella Metafisica, e difesi da Siriano nel suo dottissimo Libro: *De his, quæ scripta sunt ab Aristotele in Metaphysicis adversus Pithagoram, & Platonem*, e da Proclo sopra il 4. Timeo. Prego V. S. a scrivermi, quando potiamo sperare questa Opera stampata, perchè l' aspetto con impazienza. Intendo, che il Libro del P. Noris in difesa di S. Agostino sia finito di stamparsi in Padova, ma qui sin ora non si è visto. Io gli feci vedere, mentr' era in Roma, il *Marius Mercator* nella Libreria Vaticana. Piacerà a' virtuosi di Parigi questo Libro, ed a V. S. offerendomi resto. Roma 11. Maggio 1668.

XIII.

Al Medesimo

D. GIOVANNI BONA.

DOppio favore ricevo da V. S. con l' Opera di Diafano, e suoi bellissimi Commentarj, e con le Tesi sostenute in Parigi, le quali in poche parole contengono un ristretto di tutta la Storia Ecclesiastica. Ne rendo alla sua gentilezza infinite grazie, e vorrei poterle mostrare la mia gratitudine con molte occasioni di servirla. Nel mio Libro *De Rebus Liturgicis* V. S. troverà molto da compatire, perchè la mia debolezza non ha saputo corrispondere all' Idea espressa nell' Indice de' Capitoli. Bellissimo è il disegno, ch' Ella m' accenna intorno alla Musica, ed io vorrei poterci contribuire qualche cosa; userò diligenza per trovare, se sarà possibile, il Briennio tradotto dal Gaforio, ed il Porfirio sopra la Musica di Tolomeo. L' Autore avrà difficoltà in ispiegare bene il sistema del genere Enarmonico, e Cromatico; e quanto al Diatonico è similmente difficile il concordare gli antichi con i moderni

derni intorno ai modi, o sia toni, perchè i nostri dicono, che il primo Tono sia il Dorio degli antichi, il terzo il Frigio, il quinto il Lidio, ilchè non mi pare convenire con la descrizione, che ne fa Boezio. In somma sarà un'Opera singolare, e molto utile, e di grandissima lode all'Autore.

X I V.

All' Eminentissimo Signor Cardinale N. N.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

LOdo, ed ammiro la prudenza impareggiabile di V. E. nella condotta, che s' è compiaciuta parteciparmi, e vorrei la medesima adoptasse nella scelta del soggetto da eleggersi. Se sia tolta per me l'esclusione degli Spagnuoli, io non lo so; so bene, che non è tolta quella di Dio, e della mia coscienza. Dio non mi vuole, e mi minaccia l'eterna dannazione, se mi lascio imporre un peso, che io conosco evidentemente di non poter portare. Per questo sto saldo nelle risoluzioni, e proteste già fatte; ed assicuro V. E. che sarà più facile cavarmi di quà nel Cataletto, che nella Sedia Pontificale. Già nel principio mi dichiarai abbastanza per non avere parte quantunque remotissima nella lunghezza del Conclave, con tanto danno, e scandalo del Mondo. Ora di nuovo la supplico a non parlare di me, perchè s'affaticherà in vano. E per dirgliela, non vorrei essere costretto a fare pubblica ostentazione, come senza dubbio farei, di rifiutare quel grado, che da altri è tanto ambito. Mi perdoni, se m'oppongo a' suoi disegni, perchè così richiede il servizio di Dio, la mia salute, e la riputazione di V. E., che in questo (con sua buona pace) cammina con presupposti, ed è ingannata. addì 23. Aprile 1670.

X V.

All'Illustrissimo Signor Marchese BONA. Ambrun.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

MI conosco molto obbligato al P. Bertet, il quale avendo data occasione a V. S. Illustrissima di favorirmi colla cortesissima sua Lettera, ha dato similmente a me la consolazione di conoscerla come unico germoglio della Casa, dalla quale io sono escito. Io mi credeva, che fosse estinta in Francia, come resta in me estinto ll ramo, che da uno degli Antenati del fu Signor Contestabile si propagò in Piemonte, non avendo io notizia d'altra persona di questa casa, che di Madama la Marchesa di Beaume. Ora io godo infinitamente del ragguaglio, ch'Ella s'è compiaciuta di darmi, e ne rendo alla sua gentilezza infinite grazie, assicurandola, che quando la curiosità di vedere l'Italia lo spingesse a venire a Roma, riceverebbe da me tutte le dimostrazioni, che si devono ad un Cavaliere della sua nascita, e qnalità; sebbene il grado, nel quale mi trovo, e la Religione, che Ella professa, non mi permetterebbero di trattarlo con quella puntualità, che per altro meriterebbe. Non diffido però, che la Divina Provvidenza non sia per disporlo un giorno a seguire l'esempio domestico del nostro Contestabile, e di tanti altri Cavalieri, che giornalmen-

nalmente si riducono all'unione della Chiesa con gusto del Re, e con approvazione del Mondo: e quì resto. Roma 5. Maggio 1670.

XVI.

All'Illustrissima Signora Marchesa de la Beaume. Parigi.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

MI permetterà V. S. Illustrissima, che nella mia lingua Italiana io le renda infinite grazie e per l'officio di congratulazione, che s'è compiaciuta passare meco per la mia promozione al Cardinalato, e per la notizia, che m'ha data della nostra Casa. Già sapeva benissimo, che dal Delfinato era venuta in Piemonte; e sebbene io mi feci Religioso di 15. anni, mi ricordo però, che fra mio Padre, ed il Contestabile Francesco Bona passava corrispondenza; anzi quando venne in Piemonte con occasione delle guerre, alloggiò in casa nostra. Ora avendomi Iddio contro ogni mio merito esaltato alla Dignità Cardinalizia ho preso l'armi usate da mio Padre, e dagli altri miei Antenati, inquartate con l'armi di Cistercio, nel qual Ordine sono vissuto 46. anni. Mio Padre si chiamava Giovambattista de' Bona, fu Soldato di Professione, ed adoprato in molte cariche onorevoli dall'Altezze Reali di Savoja. Ebbe un solo fratello prete, che morì ultimamente; e questo ramo, che venne in Piemonte, resta estinto in me, essendo morti i miei Fratelli di tenera età. Se dunque V. S. Illustrissima dalla mia Promozione ha ritratta quell'allegrezza, che ha voluto esprimermi nella compita sua Lettera, io ne ricevo particolare consolazione, offerendomi sempre pronto in ogni occasione di suo servizio, e del Signor Conte di Tallard suo figliuolo. Mi scusi, se ho tardato tanto a rispondere alla sua Lettera, perchè dal Conclave, dove siamo stati tanto tempo rinchiusi per l'elezione del Papa, non si poteva scrivere. Prego a V. S. Illustrissima ogni felicità, e le bacio le mani. Roma 6. Maggio 1670.

XVII.

Al Molto Reverendo Padre N. N.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

1. HO scorso i foglj, che V. P. mi lasciò, ne' quali trovo assai d'ammirare, niente da censurare. Ad ogni modo noterò qualche cosa, più per servire alla modestia dell'Autore, che per bisogno dell'Opera.

2. Il titolo a mio parere è troppo lungo, lo strignerei in questa forma: Il miracolo incontrastabile nello stabilimento, e dilatazione del Cristianesimo. Libri otto, ne' quali scorrendosi con varie ponderazioni li successi de' tre primi secoli della Chiesa, si dimostra, che la Cristiana Religione fu fondata dal solo Braccio di Dio con mezzi contrarj alla prudenza umana, ed in conseguenza è appoggiata a somma certezza.

3. Quanto allo stile egli è veramente Asiatico, ma sodo, e sostenuto. Molte parole, che non sono necessarie per spiegare il concetto, si potrebbero levare dalla pag. 53. Dice *non sia dubile un primo,*

non

non ci vorreì questa parola *dabile*, e così dell'altre meramente scolastiche, eccetto quando sono necessarie per farsi intendere.

4 Alla pag. 41. 42. Li numeri, e l'armonie di Pitagora non erano vani, o materiali, come si suppone, ma spirituali, ed intelligibili, ai quali s'ascende per mezzo di sensibili, come dottamente insegna S. Agostino nel sesto della Musica. Così ancora servono alla vera Filosofia l'idee di Platone ben intese, non come malignamente le spiegò Aristotile

5. Pag. 58. Alle invenzioni nuove si potrebbero aggiungere gli occhiali, ed i microscopj tanto oggidì maravigliosi; ed alla pag. 59. una tale circolazione di cose umane predica l'Ecclesiaste al cap. 1. Li veri seguaci poi di Platone mai negarono la Divina Provvidenza. La negò bensì Cicerone, il quale non la sapendo accordare colla libertà dell' arbitrio, *ut hominem faceret liberum, fecit sacrilegum*, come c' insegna S. Agostino. Per questo induce Cotta a declamare contro la Divina Provvidenza, mostrandosi in ciò discepolo non di Platone, ma di Epicuro, di cui disse graziosamente Tertulliano, che *liberavit a negotio Divinitatem*.

6. Pag. 76. Furono veramente sognati da Platone i delitti commessi in altre vite; ma da questo sogno si ricava, ch' egli ebbe qualche barlume del peccato originale. Considerò i patimenti, a' quali è soggetto l'uomo appena nato; e perchè la pena suppone la colpa, e Dio non punisce un innocente, s'immaginò, che l'anime create in Cielo peccassero, ed in pena fossero come in carcere mandate ne' corpi, e da uno transfuse in un altro, fin che avessero pienamente soddisfatto alla colpa.

7. Questo ho voluto osservare, acciò veda, che ho letto ogni cosa con diligenza; e mi raccomando alle sue Orazioni. Di Casa li 30. Ottobre 1670.

XVIII.

All' Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. Cardinale de Boiillon

GIOVANNI Cardinale BONA.

HO ricevuto il Libro di Monsignor Vescovo di Condom (*a*), che V. E. si è degnata inviarmi, e siccome conosco la qualità del favore, e me ne pregio, così rendo alla sua gentilezza infinite grazie e per il dono, e per il pensiero, che si prende di accrescere la mia Librería. L' ho letto con attenzione particolare, e perchè V. E. mi accenna, che alcuni lo accusano di qualche mancamento, ho voluto particolarmente osservare (*b*), in che potesse esser ripreso. Ma realmente non so trovarci, se non materia di grandissima lode, perchè

senza

(*a*) Monsignore Vescovo di Condom è Monsignor Giacomo Benigno Bossuet, il quale dal Vescovado di Condom fu indi traslato a quello di Meaux.

(*b*) Scrisse l' Eminentissimo de Boüillon all' Eminentissimo Bona di esaminare con rigore il detto Libro intitolato: *Exposition de la Doctrine de l' Eglise Catholique sur les matières de Controverse*! in quel Libro in 12. stampato a Parigi l'anno 1706. alla pag. 14. nell' avvertimento si fa un Elogio del nostro Cardinale Bona con nominarlo Dotto, e Santo, la di cui memoria sarà eternamente in benedizione nella Chiesa: e questa Lettera si ritrova alla facciata 64. d' esso, come pure alla pag. 107. della Edizione anteriore di Parigi del 1686. la quale è ancora posta in fronte ad un Libro stampato in Roma nella Stampería di Propaganda Fide dall'Abate Nazzari, il qual porta l' istesso titolo di sopra riferto, l'anno 1678.

senza entrare nelle questioni spinose delle controversie, con una maniera ingegnosa, facile, e famigliare, e con metodo, per così dire, geometrico da certi principj comuni, ed approvati, convince i Calvinisti, e li necessita a confessare la verità della Fede Cattolica. Assicuro V. E. di averlo letto con mia indicibile soddisfazione; nè mi maraviglio, che gli abbiano trovato a dire, perchè tutte le opere grandi, e che sormontano l'ordinario, sempre hanno contraddittori. Vince però finalmente la verità, e da' frutti si conosce la qualità dell'albero. Me ne rallegro con l'Autore, il quale ha dato saggio del suo gran talento con questa Opera, e potrà con molte altre servire lodevolmente a Santa Chiesa. Roma 19. Gennajo 1672.

X I X.

Al Signor FRANCESCO MARIA FIORENTINI. Lucca.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

SE dai Libri scritti da V. S. non avessi già conosciuta la profondità del suo sapere, e la varia erudizione congiunta con sodezza di giudizio in maneggiare, e dominare l'antichità tanto sagra, che profana, basterebbero quei pochi fogli, che s'è compiaciuta mandarmi per darmene piena, ed esatta cognizione. Piacesse a Dio, che gli avessi avuto prima di stampare il mio Libro, avrei trattata la materia degli Azimi in altra forma, instrutto dagli insegnamenti reconditi, che ne ricevo. V. S. ha raccolto in essi quanto si può desiderare: e veramente resto persuaso, che ne' primi secoli s'adoprasse indifferentemente tanto l'Azimo, quanto il Fermentato; nè altro ho preteso, sebbene nell'Opera non mi spiegai abbastanza, il che ho fatto nel foglio aggiunto dopo la Prefazione, intitolato: *Monitio ad Lectorem*. Quanto poi alla Chiesa particolare di Roma, vorrei ritrovare qualche sposizione adequata dei Decreti di Melchiade, Siricio, ed Innocenzo portati da me nella pag. 189. §. VIII. sopra i quali se V. S. avesse qualche notizia particolare, la prego a favorirmene. Intanto le rendo infinite grazie per l'onore, che m'ha fatto colla sua dotta composizione, e per le lodi, che si compiace di dare al mio Libro, le quali eccedono ogni mio merito. Confesso ingenuamente, che m'applicai mal volentieri, e conosco, che ci sono infiniti mancamenti. Il Libro citato da V. S., ed attribuito a S. Cipriano nel Sermone *De Cæna Domini*, è indubitatamente di Arnoldo, Abate di Bonavalle, che visse a tempo di S. Bernardo. Tanto m'occorre, e pregando V. S. a porgermi qualche occasione di poterla servire &c. Roma 23. Gennajo 1672.

La presente Lettera è stampata con l'Opera dell'Autore intitolata: *Tumultuaria Disquisitio de antiquo usu fermentati panis, & azymi*. Lucæ 1680.

X X.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

Frà FRANCESCO MACEDO MINORITA.

COL dovuto rispetto a V. E. e con tutto l'affetto, ch'io sempre le portai, rappresento a V. E., che avendo io composto un Trat-

tato ſopra la materia dell'Azimo, e volendo ſtamparlo, fu rifiutato da queſto P. Inquiſitore con dirmi, ch' io ſtampava contro un Cardinale vivo. Queſta voce è ſparſa per tutto, e non da me. Stimai convenevole avviſare V. E. a cui tocca levare queſto timore al Padre Inquiſitore, e moſtrare, che V. E. non ſi cura di ſimili ſtampe, le quali le recheranno maggior gloria, eſſendo la ſua dottrina tanto ſoda. Supplico dunque V. E. ſi compiaccia levare queſto timore al P. Inquiſitore, o almeno vietargli il dare queſta ragione, che non è di credito ad un par ſuo dottiſſimo, ed oracolo de' noſtri tempi; perchè io l'aſſicuro da ſervidore ſuo, che li ſuoi fondamenti ſono inarrivabili; ed io piuttoſto per eſercitare l'ingegno, che per altro, ho voluto trattare la materia. Dopo ho ſaputo, che codeſti Signori Superiori vogliono leggere il mio Trattato, il quale io non poſſo rimettere, eſſendo l'originale. Di nuovo ſupplico V. E. ſi compiaccia ottenermi la licenza di ſtamparlo quì con mia comodità, acciocchè riſplenda più l'eroica virtù di V. E., la di cui Porpora umiliſſimamente bacio. Padova 18. Novembre 1672.

X X I.

All' Eminentiſſimo Signor Cardinale B O N A

E N R I C O D E N O R I S Agoſtiniano.

L'Onore, che ricevo dalla ſeconda impreſſione del mio Libro tanto ſollecitata in Parigi, lo riconoſco unicamente dall' approvazione, che ſi è compiacinta V. E. traſmettere colà a quei Dottori, uno de' quali nella lettera traſmeſſami dall' E. V. non ſi lagna, che delle parole dette da me nella Prefazione, che ſtima ingiurioſe a Gianſenio; e vorrebbe, ch' io mi faceſſi Gianſeniſta per forza. Fo la riſpoſta a V. E. aperta, e la prego far porre il ſopraſcritto, perchè non vorrei errare ne' titoli. Il nome è *Valeriano di Bellefort*. Ho compoſto un Operetta contro il Padre Garnier, che ſon ſicuro V. E. riderà nel leggerla: gliene invierò un faſcetto, acciò le dia a Monſignor Sluſio, al Signor Ricci, e ne invii anche a Parigi. Leggerà V. E. grandi errori nella Geografia Africana. La prego continuarmi l'onore di ſua protezione potentiſſima a me tanto neceſſaria; e pregando S. D. M. per la conſervazione di V. E. a gloria, ed utile di S. Chieſa, le bacio umiliſſimamente la Sagra Porpora. Firenze 13. Gennajo 1673.

X X I I.

Al Signor Canonico N I C A S I O D I J O N

G I O V A N N I Cardinale B O N A.

NON poteva ricevere da V. S. dono più prezioſo del Libretto di Mario Mercatore, che s' è compiaciuta mandarmi, e ne rendo alla ſua gentilezza infinite grazie: queſto Libro, quando eſcimmo dal Conclave, lo feci cavare dalla Libreria Vaticana a richieſta del Signor Cardinale di Buglione, e lo feci copiare in caſa con ogni diligenza, e lo mandai a S. E. Ora godo di vederlo ſtampato con note molto erudite, e mi è ſtato caro al maggior ſegno. Quello del P. Garnier Geſuita non credo, che ſia comparſo ſin ora in Roma. Piaceſſe a Dio,

a Dio, che il Vignier avesse data alla luce l'Opera di S. Fulgenzio *adversus Faustum*: ma per quanto intesi da un Dottor Parigino dopo la morte del Vignier capitò alle mani d'un poco affetto a quella dottrina, il quale lo abbruciò. Se questo fosse vero, sarebbe un danno irreparabile, perchè Iddio sa, se altrove si ritrova. Quanto alla Musica sarebbe utile, e desiderabile un *Lexicon Harmonicum* nella forma, che V. S. mi scrive, il quale servirebbe di chiave per intendere i Musici antichi. Vorrei, ch'Ella pensasse intanto a porgermi qualche occasione di suo servizio, mentre io me le offerisco. Roma 17. Giugno 1673.

XXIII.

Al Molto Reverendo Padre D. ANTONIO di S. Gabriele Visitator Provinciale della Congregazione Fuliense. Lione.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

TArdi rispondo alla compitissima lettera di V. R. scritta da Parigi sotto li 10. di Giugno passato, perchè ho voluto prima vedere il libro, e leggerlo, e dirgliene con ogni candore il mio sentimento. E per cominciare dalla dedicatoria, posso ragionevolmente dolermi di lui, perchè mi ha dipinto tanto diverso da quello, ch'io sono, che non so conoscere me medesimo in così bella figura. Così fanno i Pittori, correggono con il pennello, e con la finezza de' colori, quanto è di brutto nella persona, che ritraggono. Le lodi, che mi dà, sono riflessi del suo sapere, e della sua virtù, con i quali m'insegna quel, che dovrei essere. Quanto all'Opera, avendoci io tanto interesse, potrei nel formarne giudizio essere tenuto per sospetto, se fossi solo nel lodarla; ma avendola fatta vedere a molti virtuosi tanto Francesi, quanto Italiani intendenti della lingua Francese, tutti hanno detto, che l'eloquenza di V. R. è inarrivabile, lo stile puro, sostenuto, e nobile a maraviglia; ed ha saputo così bene esprimere le vivezze, e la dolcezza di S. Bernardo, che il medesimo Santo, se dovesse parlare Francese, non potrebbe in altra forma spiegare i suoi concetti. Me ne rallegro con V. R. e ringraziandola degli esemplari, che si è compiaciuta mandarmi, la prego continuare sì santa, e virtuosa fatica a gloria di Dio, onore del nostro Santo, e profitto de' Fedeli. E per fine &c.

XXIV.

Al Signor N. N.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

REsto molto obbligato alla gentilezza di V. S. per l'onore, che m'ha fatto con mandarmi il saggio delle sue virtuosissime fatiche, e gliene rendo infinite grazie. L'Opera è veramente singolare, e degna di uno Scrittore Cristiano, la spiegatura nobile, e curiosa, arricchita d'ogni erudizione sagra, e profana, la quale aggiunta alla sodezza della dottrina, ed all'efficacia delle prove adempie tutte le parti d'un leggiadro componimento. In somma si può dire, che *omne tulit punctum*, poichè *miscet utile dulci*. Me ne rallegro seco, e vorrei poter contribuire quanto per parte di V. S. m'ha esposto il P. Maestro latore della sua, acciò un parto sì degno escisse alla luce a beneficio di

tutti i Letterati. Ma oggidì le stampe sono ridotte a negozio molto dispendioso per gli Autori: e gli Stampatori non vogliono intraprendere Opere a loro spese, se non sono Prediche, o materie Forensi, e di facile smaltimento; ilchè provo io in un libro, che stampo adesso *Rerum Liturgicarum*. In Lione non ho corrispondenza alcuna, e so, che altri hanno tentato di stampare in quella Città Opere peraltro degnissime, e non è riescito loro, perchè gli Stampatori chiedono troppo. Dal Maestro suddetto intenderà i miei sentimenti, che è quanto m' occorre intorno a questo. Quanto alle cose mie, V S. le ha guardate con occhio troppo parziale, e la ringrazio delle lodi, che s' è compiaciuta di darle. Queste sono un riflesso della sua molta virtù: ed offerendomi ec.

X X V.

All' Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

Ricevo nella carta trasmessami da V. E. nuovi argomenti della valida protezione, che con eccessi di beneficenza singolare tiene verso di me. Già m' immaginava, che quelle parole nella Prefazione erano per dispiacere a' seguaci di Giansenio, le posi però per fuggire l'accusa di Giansenista, che da quelli, ch' io impugno, teneva per certo, che al solito dell'arte loro mi fosse addossata. Ne mando però a V. E. un poco di lenitivo nella risposta. Quì il Serenissimo m' ha ricevuto con molte espressioni d'affetto, e l'Eminentissimo Signor Cardinale è parziale del merito, e dottrina di V. E. avendo molto goduto nell' intendere, che aveva ricuperata perfettamente la sanità. Ho ritrovato ancora il Signor Magliabecchi Bibliotecario di S. A. S., uomo versatissimo in tutti i libri, e professioni, avendo in Casa una Libreria di sopra undici mila Volumi. Si ritrova quì ancora il Signor Jacopo Gronovio Olandese, giovane di 20. anni in circa, che, quattro anni sono, stampò Polibio, e Macrobio con note così erudite, che appena si crede sieno sue, e non del Padre. Sta quì voltando molti Volumi MSS. Greci, che numerosi si contano nella Biblioteca di S. Lorenzo, e di S. Marco. E' stato due volte a parlarmi. S. A. aveva intenzione dargli in Pisa la Cattedra delle lettere umane, ma gli Stati Generali gli hanno proposto altro partito, volendolo colà, quando Marte lascierà libero soggiorno alle lettere. Era anche quì in Firenze il P. Macedo venuto a portare un fardello de' suoi libri a S. A. S., la quale nel leggere il fine d' un Elogio in lode del Proccuratore Nani Veneziano nel Libro, nel quale il P. Macedo loda Venezia, che dice: *Non surrexit major Nanno Baptista*, non solo rise, ma depose il Libro, e riprese la puerilità dell' Autore. Nulladimeno a suggestione del Signor Magliabecchi S. A. gli diede una delle sue lettighe per il ritorno, con la quale essendo giunto a Bologna voleva lo conducesse fino a Padova, ma il Lettighiere disse non tenere tal ordine: che però il Padre si è lamentato con lettere essere stato piantato nel mezzo del suo cammino. Io ho determinato leggere la Storia de' Donatisti, e S. A. mi ha mandato l'Opera dell'Albaspineo; avendo sì S. A. come il Sig. Cardinale ordinato mi sieno dati tutti i Libri mi bisogneranno. Prego l' E. V. conservarmi la di lei autorevole protezione, della quale cotanto mi glorio; e ringraziandola con

con ogni più umile ossequio delle notizie, che mi ha trasmesso, le bacio riverentemente la Sagra Porpora. Firenze 28. Ottobre 1673.

XXVI.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

IL Signor Magliabecchi Bibliotecario di S. A. S., e soggetto eruditissimo mi ha detto, che il P. Macedo fra gli altri Volumi presentati a S. A. v' ha la Diatriba dell'Azimo con una Prefazione Panegirica; ma la Diatriba non l'ho potuta leggere, perchè S. A. l'ha fra' libri nella Camera, che bene nella futura settimana la leggerò. Il Magliabecchi mi dice, che cita Padri, che parlano dell'Azimo solo misticamente. Nel Panegirico s'estende a lodare l'Eminentissimo Altieri. Credo però, che ciò saprà V. E. e che costà ne saranno giunti molti esemplari. Le trasmisi la risposta alle querele di quel Dottore di Parigi, ed ho pensato, che meglio potremo mitigare quelle parole col dire: *Pelagianos cineres ventilasse antagonistis forte visus sit*. All'altro Dottore, che ricercava, quali sieno in Giansenio *nescio quæ opinionum portenta*, come io parlo, non ho risposto, perchè io parlo con il giudizio, e sentenza de' Pontefici, come quel tale sa meglio di me. Quelle parole *nescio quæ* dinotano, che ho parlato con l'opinione, ch'è pubblicata in Roma, senza voler dire ciò, ch'io ne sentissi, che per non avere voluto leggere la Storia di Giansenio, non so quali sieno le di lui opinioni nella Dogmatica, nè mi curo di saperle; avendo imparato da' Libri di S. Agostino: mi pare ciò la vera sentenza nella materia della grazia. Prego V. E. a perdonarmi il fastidio le dò con mie lettere, e continuarmi la sua potentissima protezione, e le bacio umilmente la Sagra Porpora. Firenze 4. Novembre 1673.

XXVII.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

NON ho potuto prima della partenza di S. A. avere il Libro del P. Macedo, perchè lo teneva sopra il suo tavolino. Ora che l'A. S. è ita all'Ambrosiana, l'ho avuto. Ha questo titolo: *Disquisitio Theologica de ritu azymi, & fermentati S. D. N. Clementi Papæ X. dicata Authore P. Francisco a S. Augustino Macedo*. Vi seguono poi undici versi, che contengono dodici titoli onorati dell'Autore, che sono chiusi dal *Veneto Cive*; e quello, ch'è più ridicolo, vi pone *Ex-Lector Regio Matriti*, quando nella Compagnia colà leggeva la Rettorica. E' diviso in sedici Capitoli, ed è stampato in Verona; tutt' i testi de' Padri parlano misticamente, ed allegoricamente. Il Capo decimosesto ha questo titolo: *Novum, & proprium ab Authore inventum argumentum proponitur, & solvitur*. Dice essere argomento così gagliardo contro l'Azimo, che molti l'avevano esortato non pubblicarlo. Ed è poi ciò, che della celebrazione d'alcuni Pastorelli racconta il Mosco *Lib. 10. Vit. PP. cap. 196.* Riesce in quel Capitolo *Sponsor Horatianus*. Parla, e nomina V. E. sempre mai *cum laudis Præfatione* per correggere l'insolenza dell'

Opuscu-

Opuſcolo ultimamente ſoſpeſo. Scrivo ciò a V. E. ſolo perchè mi era obbligato di dargliene parte, non perchè ciò le importi. Grandi Leoni non ſi muovono punto nel ſentire di lontano i latrati de' cani, che poſſono bensì latrare, ma non mordere. Già aveva letto ciò, che nel terzo Tomo degli Annali Benedittini dell'Azimo ſi ſcrive; in Parigi quel P. Geſuita, che ha ſtampata la Storia di Francia ſino all'anno 1670., ora pubblica la Storia degli Iconomachi. Dicono, che l' Evagrio ſtampato dal Valeſio ſia migliore, che il Socrate, e Sozomeno. Non ho per ora nuova d'altri Libri; prego V. E. conſervarmi nella ſua ſtimatiſſima grazia, mentre io prego S. D. M. conſervarla lungamente a benefizio di Santa Chieſa, e gloria delle ſagre Porpore del Vaticano, baciando umilmente quella, alla quale V. E. coll' addoſſarla arreca tanta gloria, e ſplendore. Firenze 17. Novembre 1673.

XXVIII.

Alla Molto Reverenda Madre Suor ELENA Superiora delle Monache Cappuccine. Aleppo.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

NON poſſo con parole eſprimere, quanta conſolazione ho avuto nel leggere la Lettera, che mi avete ſcritta, nella quale mi date parte d'eſſervi ritirata con altre Vergini in un Moniſtero ſotto la regola, e direzione de' Padri Cappuccini, che ſono Religioſi di Santiſſima Vita, e veri ſeguaci di Criſto Signor Noſtro. Già queſto aveva ſaputo dal P. Gio. Franceſco Serin, al quale preſtai tutta l'aſſiſtenza poſſibile, e non mancherò di proteggere, e promuovere per l'avvenire i loro negozj in ogni occorrenza. Godo poi infinitamente vedendo dalla loro Lettera la coſtanza, e pazienza, con la quale hanno viute le perſecuzioni degli uomini del Mondo, che proccuravano diſtornarle dall' impreſa cominciata. L' afflizioni, e contrarietà non mancano mai a chi da dovero ſi riſolve di ſervire a Dio, ma biſogna conſiderare, che non ſi può ſeguitare Criſto, ſe non ſi porta con perſeveranza la ſua Croce. Queſta miſera vita finiſce in un momento, l'eterna dura ſempre. Confido nel Signore, che ſaranno fedeli alla grazia di Dio, ed alle buone inſpirazioni, dimenticandoſi di tutte le creature, e raſſegnandoſi in ogni coſa al volere di Dio, acciò poſſano dire col S. Appoſtolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Iddio doni loro la ſua benedizione, come io di tutto cuore lo prego, e mi raccomando alle loro Orazioni. Roma addì 6. Dicembre 1673.

XXIX.

All'Eminentiſſimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agoſtiniano.

REndo umiliſſime grazie alla continuata protezione, che mi paleſa V. E. tenere di me, mentre mi avviſa la riſtampa del mio Libro in Parigi. Io veramente reſto confuſo in vedere vieppiù farſi paleſe un volume, che con temerario ardire ho oſato paleſare in un ſecolo così erudito. Il tutto ſi deve alle raccomandazioni di V. E., che ne ha traſmeſſo il giudizio favorevole ſino dilà dall'Alpi

nella

nella Regia dell' erudizione. Le trasmetto alcune poche addizioni, che ho stimate necessarie. Se avessi avuto il Libro del P. Garnier sopra il Mercatore, avrei mandato molte riflessioni sopra gli errori, che ho scoperti in quel Libro. Il Signor Eminentissimo Cardinale Leopoldo fra pochi giorni l'aspetta, così gl' invierò ciò, che si potrà porre nel fine. Il Signor Magliabecchi mi ha mostrato il Libro ultimamente stampato da V. E. tradotto in lingua Spagnuola per ordine della Signora Marchesa Monterey. Io ho di già principiata la Storia de' Donatisti, che riesce di gran lunga più ricca d' erudizioni, che la Pelagiana, e fra due anni spero, che sarà finita: prego V. E. continuarmi l'onore della sua pregiatissima grazia, ed augurandole felicissime le prossime Feste Natalizie con più lustri di vita a gloria di S. Chiesa, e decoro del Sacro Collegio, le bacio umilmente la sagra Porpora. Firenze 19. Dicembre 1673.

XXX.

All' Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

INvio all' E. V. alcuni Esemplari della Censura, che ho fatto contro le note del P. Garnerio sopra le due Iscrizioni delle lettere Sinodali fra l'Agostiniane 90. e 92. Credo, che V. E. forse si riderà degli spropositi, che dice il suddetto Autore, e di quelli, che dico ancor io. Benchè mi pare, che non ne potrò dire cotanti, come sono quelli, che confuto: prego la somma cortesia dell' E. V. a fare, che in Parigi sia ristampato quest' Opuscolo unito alla mia Storia Pelagiana, e non credo, che quei Dottori sieno per avervi difficoltà. La supplico ancora mandarne un Esemplare al Signor Stefano Pignatelli, ch' è tanto parziale del merito di V. E. Vi sono alcune correzioni, che forse piaceranno anco a' Padri di S. Mauro, che ristampano l'Opere di S. Agostino. Ne potrà ancora comunicare uno al Sig. Michel Angelo Ricci, alle di cui virtù, ed affetto vivo molto obbligato. Son certo, che niuno potrà rispondermi, perchè *est res de facto*, e bastano gli occhi. L' E. V. con quella generosità, con la quale ha compatite altre mie debolezze, soffrirà l'ardire, con il quale oso porle sotto gli occhi composizioni, che non meritano, che riprensioni. Le riceverà per nuovi attestati degli obblighi infiniti, che le tengo; e pregando S. D. M. a conservarla con quella salute, ch' è necessaria a' bisogni della Chiesa Cattolica, le bacio umilmente le mani. Firenze 16. Febbrajo 1674.

XXXI.

All' Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

HO inviato a V. E. un Opuscolo contro le note, che fa il P. Garnerio sopra i due titoli dell' Epistole Sinodali appresso le Agostiniane al num. 90. e 92. ma per la necessità di portarmi a Pisa con S. A. S. per fare 4. o 6. lezioni, non ho potuto assistere alla stampa, anzi per mia mala sorte non ho ancora ricevuto l' Opuscolo intiero.

riero. Supplico pertanto V. E. farmi l'onore, che se lo giudica degno d'essere inviato a Parigi per essere aggiunto come appendice al mio Libro colà ristampato, trasmetta ancora la correzione d'alcuni errori trascorsi, che quì inclusi le invio. Il primo foglio, ed ultimo non l'ho potuto rivedere, perchè essendomi mandati fra le robe dell'Eminentissimo Signor Cardinale Leopoldo, oggi con esso lui sono iti a Livorno, ove si è portata la Corte. Se vi saranno errori gravi, gliene invierò parimente la correzione, nella quale bisogna, che io vada guardingo, perchè gli Avversarj oppressi dalla verità impugneranno le parole, quando in altro non si potranno sfogare. Ho di già fatte due Lezioni con gran frequenza: e prego V. E. quando scrive all'Eminentissimo Leopoldo, raccomandarmegli, perchè si professa molto parziale de' gran meriti di V. E. alla di cui protezione raccomandandomi le bacio umilmente la Porpora. Pisa 5. Marzo 1674.

XXXII.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

M'Accorgo essere importuno con lettere alla generosa pazienza di V. E.; ma la necessità mi costringe a ricercare la verità sopra ciò, che non tanto Monsignor Sacrista, quanto altri in quest'Ordinario da Roma m'avvisano, cioè avere il Re Cristiauissimo alle altrui istigazioni ordinato, che il mio libro non si possa vendere nel suo Regno, come pericoloso a fare di nuovo risorgere la sopita fiamma del Giansenismo. Il che se è vero, supplico V. E. consigliarmi, se è bene, che di ciò scriva all'Eminentissimo D'Estrées, oppure lasciar correre, mentre a me basta l'aver soddisfatto al mio obbligo di difendere il gran Patriarca, e Dottore. Nel foglio del primo Opuscolo inviato, quel tale, a cui lasciai l'incumbenza di ristamparlo per la metà, stante alcuni errori, che vi erano, ne ha fatto un grave alla pag. 7. ove dice *Pantonius Pupitanus*, perchè deve dire, come dice il testo del P. Garnier *Puputanus*, che così diceva il primo foglio stampato, ed io mostro, che ottimamente si dice *Pupitanus*, ilchè V. E. vede dall'incluso fragmento. Già la supplicai d'onorarmi dare un Esemplare di quest'Opuscolo al Signor Michel Angiolo Ricci, al quale scrivo in quest'Ordinario, e raccomandandomi alla protezione di V. E. le bacio umilmento la sagra Porpora. Pisa 9. Marzo 1674.

XXXIII.

Al Molto Reverendo ENRICO NORIS Agostiniano. Pisa.

D. GIOVANNI Cardinale BONA.

MI credeva, che V. R. già fosse informata del successo in Parigi intorno al suo libro, e per questo non l'avvisai. Si sono veramente ritirati tutti gli Esemplari stampati per ordine del Re ad istigazione del P. Tellier Gesuita, Confessore di S. M., ed il medesimo si è fatto in Roano, dove parimente si ristampava, con proibizione rigorosa di non stamparlo in tutto il Regno. Lo scrivere a chi Ella mi accenna, sarà inutile, perchè nissuno si vuole opporre al P. Tellier. E' meglio tacere, tantopiù, che non mancano amici, che piglie-

piglieranno la difesa sua, e della causa tanto giusta. Così oggi va il Mondo, e chi non è Molinista, è Eretico. V. R. attendi quietamente alle sue virtuose fatiche, perchè finalmente la verità trionferà, e quì resto con raccomandarmi alle sue Orazioni. Roma 17. Marzo 1674.

XXXIV.

All' Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

1. MI scrisse già V. E. se avessi notata qualche cosa particolare circa la materia dell'Azimo, al che le rispondo non avere io cosa particolare, siccome ancora nel Trattato del P. Lupo non vi conosco, che argomenti dedotti da congetture, e conseguenze facili a rigettarsi. Nel P. Macedo non vi sono che allegorie, ove da' Santi Padri l'Azimo non si piglia nella significazione della materia Eucaristica. Salutai da parte di V. E. il Sig. Antonio Magliabecchi, il quale rende a V. E. infinite grazie dell'onore, che gli comparte. Questi è un grand' ammiratore del gran merito, ed erudizione di V. E., e dice ad ognuno, che dal Cardinale Baronio in quà l'Italia non ha avuto Personaggio uguale a V. E. nell'erudizione Ecclesiastica. Ha una Libreria di circa 10m. Volumi, anzi la sua Casa è tutta Libreria. Vi sono i Volumi a catasto, e d'ogni sorta; e credo, che nissuno in Italia abbia tanta pratica degli Autori, come esso lui.

2. Il P. Macedo gli va inviando li fogli del Libro, che nella causa di Vincenzo Lerinese stampa contro di me. Egli però non li legge, perchè non ha in concetto alcuno l'Autore, il quale come è poco prudente, gli ha inviata la Lettera originale del N. N., nella quale gli insta, che scrivi contro di me, e castighi la mia temerità; così parla, rintuzzando in tal fatto, siccome nella questione dell Azimo, le novità pregiudiziali alla Chiesa: soggiungendogli, che così s' acquisterà la grazia de' N. N.. E' lettera d' una facciata intiera, tutta di pugno di N. N., ove parla accerbamente contro di me; eppure quando fui ultimamente costì, mi condusse seco in carrozza. Ora però lette le Vindicie, veggo ha cangiato l' affetto in palese contrarietà.

3. Circa Vincenzo Lerinese il P. Lupo nella sua parte 4. delle Note Sinodali pag. 757. parla del medesimo peggio di me. Io ho animo di rispondere a questo vecchio, perchè stampa il libro in Verona mia Patria, il che se io farò, prego V. E. ad avvisarmi, se mi sarà lecito il dire, che sopra tal materia si fece avanti V. E. una consulta, o Congregazione, nella quale fu stimato probabile ciò, che del Lerinese diceva, mentre ciò molto mi gioverebbe.

4. Il Signor Magliabecchi ha ricevuto il libro di Teofilo Spizelio, intitolato: *Theatrum honoris reseratum*, stampato nell'anno passato in Germania, ove vi sono le effigie de' Teologi primarj de' Protestanti con gli Elogj, ed Indice de' libri da loro stampati. Le Note del Blondello contro il Cardinale Baronio si sono principiate a stampare in Amsterdam. Il P. Bussieres fa le aggiunte allo Spondano, che si ristampa in Lione. Il P. Asseline Francese è risanato dalla sua percossa: vide meco le Librerie di S. A. S., e fu regalato dalla Corte. Mi raccomando alla protezione di V. E., e le bacio umilmente la Porpora. Firenze 17. Luglio 1674.

XXXV.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano.

IL P. Macedo ha inviato per il Corriere a S. A. S. il suo Libro stampato contro me, ed il P. Lupo. Fa una Prefazione tutta contro li Professori di sagra erudizione, e tutta va a ferire il P. Lupo, e me, che siamo stati invitati dal Gran Duca con buon stipendio. S. A. S. nel leggerla ancora ride, contuttochè sia Principe tanto serio. Io gli risponderò, come devo, non come merita, mentre sino nell'Indice pone: *Noris arguitur imperitiæ Grammaticæ*, ed io lo voglio circa l'errore, che m'impone, affogare con testimonj Greci, e Latini. Io dico, che S. Ilario Arelatense, e Vincenzo Lerinese fossero contrarj a S. Agostino. Circa il primo, lo dicono il Rainaudo, li Sammartani, l'Hezzeo, il Sirmondo, ed altri: ma di Vincenzo Lerinese non ho che due Scrittori, e prego V. E. da qualche persona erudita di Parigi onorarmi procurare qualche Autore Cattolico, perchè per le materie passate m'immagino, che alcuno n'abbia scritto. Il P. Macedo a pag. 207. dice essere verisimile, e probabile non esservi mai stato Concilio Sardicense, e lo prova con congetture ridicole. Le invio un foglietto, che m'è giunto ultimamente, ove vedrà cosa dice di V. E. circa il MS. d'Ildefonso, che confonde col Toletano; siccome contro di me di tre Ilarj ne fa un solo. Nella Dedicatoria a Monsignor N. narra gli applausi datigli dal NN. Il Gran Duca ha dato il Libro al Signor Magliabecchi, acciò glielo faccia legare, e questo me l'ha imprestato per due giorni, e fra sei, o otto giorni io terminerò la risposta, quale forsi stamperò fuori d'Italia. Il titolo sarà: *Ad Macedonem minorem*. Il Veghenselio ha stampato un Libro *De Matrimonio Hebræorum* con un altro aggiunto, e questo è dedicato al Signor Magliabecchi. Prego V. E. conservarmi la sua grazia, e facendole profondissima riverenza le bacio umilmente la sagra Porpora. Firenze 4. Dicembre 1674.

XXXVI.

All'Eminentissimo Signor Cardinale BONA

ENRICO DE NORIS Agostiniano, poscia Cardinale della S. R. Chiesa.

LA singolare cortesia dell'E. V. è di nuovo infastidita dalla mia importunità, che non vergognandomi d'averla più volte tediata colla lettura delle mie freddissime composizioni, ardisco ancora lontano esserle importuno con lettere, pregandola della censura circa le due Prefazioni, che devono necessariamente inserirsi nel volume, ch'io stampo. Veggo di peccare contro l'utile pubblico, al quale l'E. V. sta totalmente consagrata nell'altissimo posto, ove il di lei merito l'ha sollevata, col levarle una menomissima particella di tempo per leggere due fogli, che annessi a questa le invio. L'esserne l'E. V. deputata Censore, e per dir meglio Giudice del mio Libro dalla sagra Congregazione, mi necessita comparirle davanti; che per altro mai ardirei

direi porre sotto gli occhi dell' E. V. quelle composizioni, che per i loro difetti ne devono stare di molto lontane; mentrecchè per essere corrette richiedono un Censore dell' Ordine Plebeo, non quale è V. E. constituita fra' Giudici del primo Tribunale di S. Chiesa. Prego intanto con assidui voti S. D. M. per la prospera salute dell' E. V. a gloria del S. Collegio, nel quale Ella così altamente risplende, e le bacio umilmente la Porpora. Pisa 29. Settembre 1674.

ANALECTA
LITURGICO-SACRA

Votum pro Canonizatione S. ROSÆ Limanæ.



NOvus Orbis, Beatissime Pater, primum sanctimoniæ florem Apostolico Throno offert, Rosam Peruvianam. Rosam plane Cœlestem, nullis horridam spinis, licet in naturæ lapsæ senticeto orta sit. Pietas in ea illuxit, priusquam ratio: prius se ipsam didicit conculcare, quam terram: ante Heroina, quam Mulier; ortu, vita, obitu, miraculis gloriosa. Quicquid de moribus Christiana docet Philosophia, factis æquavit, & vicit. Merito igitur, Te decernente, Sanctarum Virginum fastis adscribenda est, ut in illis remotissimis Regionibus erga Apostolicam Sedem reverentia, fideique Orthodoxæ propagandæ studium, & Dei cultus augeatur.

Compendium Vitæ ejusdem B. ROSÆ.

1. POstquam America Meridionalis ab Idololorum cultu ad fidem Christi conversa est, primus in ea flos sanctitatis erupit B. Rosa e Christianis, & honestis parentibus nata Limæ, quæ Regni Peruviani Metropolis est. Ab ipsa infantia præclaræ indolis, & futuræ sanctitatis specimen dedit. Etenim nunquam gravis Domesticis fuit, nec flere unquam, aut turbari visa est, nisi cum in publicum a Matre ferebatur; jam tunc incipiens creaturarum aspectum aversari. Rosæ nomen divinitus illi inditum cœleste prodigium indicavit: cum enim trimestris in cunis quiesceret, rosa expansis foliis in ejus vultu mirabiliter apparuit; & hinc a Matre Rosa est, cui postea B. Virgo cognomen addidit, mandans, ut Rosa a S. Maria nuncuparetur.

2. Nihil in ea puerile fuit, nihil incompositum, quod posset oculos intuentium offendere. Sæpe infans humi jacere, ac fixis in Cœlum oculis diu manere visa est. A ludis abhorrens, sensuumque illecebras respuens, solitudine, & oratione summopere delectabatur. Mundum ignorasse potius videtur, quam reliquisse: vix enim ætatis annum expleverat, cum a Spiritu Sancto edocta, & in benedictionibus Cœli præventa virginitatis votum emisit: eodemque Spiritu acta, ipsamet sibi capillos amputavit, Sanctam Catharinam Senensem imitata, quam sibi magistram elegerat.

3. Robustæ virtutis parvula exemplum dedit sub aspera Chirurgi manu, forcipes, sectiones, vulnera absque ullo doloris signo, virili constantia non semel perpessa. Quo vero cautius promissam Deo virginitatem custodiret, alio se voto obstrinxit perpetuæ a carnibus abstinentiæ, Domino ipsum approbante sequentibus signis. Nam si a Matre, vel a Medicis carnes aliquando comedere cogebatur, eam protinus turbatio stomachi, deliquium, dolor acerrimus, ac demum ardentissima febris invadebat, ut ex his agnoscerent gratum fuisse Deo puellæ votum. Sæpius e domo in hortum secedebat, ibique laudes Deo concinens, aviculas, ac arbores ad cantandum secum pia simplicitate invitabat. Tum arbores visæ sunt in Dei obsequium ramos flectere, & auditæ aves suavissimos cantus promere.

4. Jejunium B. Rosæ continuum fuit, & ultra humanas vires severum. Cibis adeo tenuis, simplex, & modicus, ut ipsum etiam panem aliquando sibi subtraheret, paucis seminum granis contenta. Ne autem in eo sumendo aliqua delectatione afficeretur, vel Bubali fellis haustu, vel amarissimis herbis palatum inficiebat. Sic jugi inedia extenuatum corpusculum cilicio quoque, ferreisque catenis, ac crebris flagellationibus cruciabat. Et ne ullum momentum vacaret a pœnis, lectulum sibi construxit ex nodosis, & inæqualibus stipitibus, testarum fragmentis, ac lapillis interpositis, in quo duarum horarum brevissimum somnum capiebat, saxum, vel lignum adhibens pro cervicali. Addidit & aliud adversus somnolentiam atrox remedium: clavum enim parieti affixit, eique capillos, quos ad tegendam coronam ante frontem reliquerat, alligavit, ut si quando profundior somnus obreperet, penduli corporis cruciatu evigilaret.

5. His artibus sapiens Virgo, & una de numero prudentum, omnem formosi vultus venustatem abolere nitebatur, ne ab ullo mortalium, Cœlestis Sponsi thalamo destinata, ad nuptias expeteretur. Hinc domesticorum odium, Matrisque erga se indignationem excitavit: nam illi opulento connubio filiam præparantes suis moribus eam imbuere, ornare, & seculi genio conformare satagebant. Cumque illam ab hujusmodi ineptiis, & vanitatibus prorsus alienam prospicerent, ceteri objurgationibus, Mater verberibus innocentem quotidie affligere non cessabant.

6. Vicit tandem, Deo adjuvante, & cor Matris immutante, constantia Virginis cunctisque, sublatis impedimentis, id, quod diu exoptaverat, inenarrabili cordis lætitia consecuta est, habitum videlicet S. Patris Dominici; quo petito, & obtento, propositum sibi Sanctæ Catharinæ Senensis exemplar, virtutum ejus exactissima imitatione in se exprimere studuit auctis jejuniis, vigiliis, & durioribus carnis macerationibus. Catena item acuminata triplici ductu lumbos præcinxit, seque singulis noctibus cum sanguinis effusione flagellabat.

7. Rosam adhuc infantem interna unctio orare docuerat, crevitque cum illa orationis studium eo progressu, ut duodecimo ætatis anno ad supremum gradum, quem unitivum vocant, pertracta sit. Tum id mirabile in ea fuit, quod nec sublimitas contemplationis externa exercitia, nec ulla exterior occupatio fixum in Deo mentis obtutum impediebat: atque ideo eodem tempore dulcissimis Sponsi verbis loquentis ad cor in silentio attenta erat, & exterius circa frequens ministerium nullo utriusque functionis dispendio occupabatur; domesticis curis detenta, ne quotidie sacro adesset, devotioni ejus ita divina bonitas prospexit, ut e Cella sua, interjecto pariete non obstante, ac si corporaliter præsens foret, Sacrificio interfuerit.

8. Ac-

8. Accidit quodam die, quæ Dominica Palmarum fuit, ut in sacello Sanctissimi Rosarii ferventius oraret ante Virginis Deiparæ Imaginem Puerum Jesum in ulnis gestantem, in genua provoluta: mox vidit eam in Filium oculos conjecisse; ipsumque audivit dicentem sibi: *Rosa cordis mei tu mihi Sponsa esto*. Ex quo factum est, ut pronuba Dei genitrice mystico connubio illi conjuncta sit, cui se toto corde devoverat; exinde cum illa familiarius agere ipse animæ suæ Sponsus visus est, sive enim acu pingeret, aut telas consueret, labore manuum suarum sibi victum, & domesticis quærens, sive Orationi incumberet, sive in porticu ambularet, speciosus forma præ filiis hominum illi sæpius apparuit, eamque mirifice recreavit.

9. Simili favore Sanctissima Virgo Maria, ac Beata Catharina Senensis, atque Angelus Tutelaris Rosam prosequi consueverunt. Sed ne magnitudine revelationum extolleretur, gravibus, ac fere perpetuis infirmitatibus, persecutionibus, calumniis, oblocutionibus probata fuit. Nec defuere illi internæ animi afflictiones, ariditates, desolationes, & cum hoste infernali luctæ; quæ omnia invicta patientia, divino adjutorio confortata sustinuit, & superavit. Interea amplioribus donis a Sponso cumulata est. Pervia illi erant arcana cœlestia, multa futura prædixit, intimas cordium cogitationes penetravit, totiusque vitæ decursu ne minima quidem ei labes obrepsit, quo virgineus candor læderetur, quem simul cum baptismali innocentia usque ad obitum illibatum servavit.

10. Beata Rosa virtutibus enituit, tametsi difficillimis in gradu heroico, & excellentissimo ab infantia usque ad mortem: & quoties se se obtulit occasio, eas suaviter, & cum gaudio exercuit, ultra quam homines soleant: quodque stupendum, & verissimum est, sensibus ad malum pronis repugnantibus. A Deo enim electa, ut Christianæ perfectionis exemplum Americanis gentibus nuper ad fidem conversis præberet, uberioribus gratiæ muneribus repleta est; charitate præcipue erga proximos medullitus inflammata se totam misericordiæ operibus impendit. Deplorabat quotidie infidelium perditionem, pluresque optabat Missionarios mitti, qui illis Evangelium prædicarent. Destinatis autem ad hoc Apostolicum munus se jugiter adfuturam suis precibus spopondit. Assidue ministrabat infirmis, præsertim illis serviens, a quibus propter fœtorem, & ulcerum fœditatem humanæ naturæ fragilitas maxime abhorret.

10. Attigerat ætatis suæ annum trigesimum primum, cum (sponso revelante) didicit extremam sibi horam imminere; mox atrocissimis vexari doloribus cœpit, & insolita, ac humanis viribus intolerabilia tormenta experiri. Deo tamen protegente, animo semper tranquillo, & sereno, præclara patientiæ documenta reliquit, se ipsa, omnique pressura major. Hæc autem omnia oportuit eam pati, ut ab omni mortalitatis sorde plenissime expurgata, de corpore mortis hujus ad æternæ vitæ gaudia protinus evolaret. Cœlo igitur jam matura, post extremæ Unctionis, & Eucharistiæ Sacramenta, placidissime expiravit anno millesimo sexcentesimo decimo septimo 24. Augusti.

12. Quibusdam amicis, & familiaribus suis in medio fulgidissimi luminis instar solis coruscans pluries apparuit; multisque, & insignibus miraculis tam in vita, quam post mortem patratis, ejus sanctitas, & merita divinitus comprobata sunt: quibus agnitis, & rite probatis Clemens IX. Pontifex Maximus Beatarum Virginum numero eam adscripsit,

scripsit, toto Orbe Christiano editis publicæ lætitiæ signis applaudente, cunctisque Fidelibus ingenti frequentia, ac veneratione ad ejusdem celebranda solemnia concurrentibus. Quia vero B. Rosam tamquam primum sanctimoniæ florem India Occidentalis obtulit Cœlo, idem Summus Pontifex, postulante Rege Catholico, eam in Limanæ Civitatis, totiusque Regni Peruviani authoritate Apostolica principaliorem Patronam elegit, & declaravit, illiusque Festum ab omnibus illic degentibus de præcepto servari mandavit.

Votum pro Martyre Arbuesio.

PRetiosus sanguis Martyris Arbuesii clamat ad te, Beatissime Pater, ut vindex sis, non illatæ sibi necis, sed gloriæ, quam obeundo promeruit. Bonus Sacerdos Christi Sanguine quotidie litans, didicit & proprio litare. Nec defuit Sacrificio ignis: amoris enim face succensus tanto flagravit incendio, ut ejus in Templi solum effusus cruor adhuc afflatus viventis ardore per plures dies fervere, & ebullire visus sit. Hoc prodigio ostendit Deus, quantum sibi hæc victima placuerit. Placeat ergo & tibi, qui Dei vices in terris agis, Beatissime Pater. Exaudi sanguinem ad te clamantem, & solemni cultu gloriosum Martyrem honorari decerne; quatenus hoc exemplo fideles roborentur in fide, fidei perduelles terreantur; & nos discamus nunquam dignius mori Sacerdotem, quam cum indigne occiditur pro fidei defensione.

Votum, quo probat constare de virtutibus moralibus in gradu heroico pro Venerabili tunc, nunc Sancto Francisco Salesio inter Beatos recolendo.

1. VIrtutes omnes in gradu heroico, & perfecto, admirabili quodam nexu, simul jungi scriptura docet, ostendunt Patres, & evincunt communi assensu tam Theologi, quam Philosophi. Doctor Mellifluus lib. 1. de Considerat. cap. 8. *Advertere est*, inquit, *suavissimum quendam concentum, complexumque virtutum, atque alteram pendere ab altera.* Gregorius Magnus initio lib. 2. Moral. *Una virtus sine altera aut omnino nulla, aut imperfecta est.* Sanctus Hieronymus ad Fabiolam Epist. 127. *Hærent sibi virtutes, & inter se ita nexæ sunt, ut qui una caruerit, omnibus careat.* Adstipulatur Augustinus tum alibi sæpe, tum lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 15. & hanc sententiam omnibus Philosophis placuisse idem asserit Epist. 129. ad ipsum Hieronymum. Philo item Judæus lib. 2. de Vita Moysis: *Virtutes omnes habet, qui unam habet.* Cum igitur in præcedenti positione probatum sit in Venerabili Dei servo Francisco Salesio charitatem enituisse erga Deum, & proximum in gradu heroico, & excellentissimo; hinc evidentissima consecutione deducitur, nullam ei virtutem moralem defuisse in eodem heroico, & perfectissimo statu, & in singulis excelluisse. Omnes enim virtutes Reginam charitatem veluti ancillæ assectantur, & veniunt omnia bona pariter cum illa. Notissima est sententia Apostoli omne genus virtutis charitati tribuentis, cum ait 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam*, & quæ sequuntur: & alibi concludit Rom. 13. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Vera siquidem, & heroica virtus esse non potest, nisi vere, & heroice tendat in suum finem: at sine charitate non attingitur verus, & ultimus finis virtutum, qui est Deus; ergo charitas,

tas, quæ versatur circa ultimum finem supernaturalem, alias virtutes, quæ versantur circa media, movet, & dirigit ad suum finem. Ideo S. Thomas in 3. sentent. dist. 36. virtutum connexionem ex charitate desumit, quæ hac de causa cæterarum forma nuncupatur, quia ab ea accipiunt vim, & efficaciam reddendi subjectum suum Sanctum formali sanctitate, & aptum ad eliciendos actus supernaturales, ex vi motivi supernaturalis ipsius charitatis.

2. Porro Salesium in singulis virtutibus moralibus eximium fuisse, & actus ipsarum heroicos exercuisse manifestum est, tum ex prædicta, & ab omnibus approbata connexione cum charitate; tum ex deductis per legitimos testes in scripturis transmissis. Prudentiam habuit cuicumque negotio, & eventui parem. Talis erat domus ejus, qualem Episcopi esse debet, sed sancti, & irreprehensibilis. Animo tam excelso, & ad quemcumque ictum ita impenetrabili fuit, ut nunquam a recto justitiæ tramite, vel precibus victus, vel minis deterritus declinaverit. In mediis periculis, & in ipsa morte infractus Sectariorum conversionem aggredi ausus est felicissimo successu: errantibus enim magis profuit ferendo, & dissimulando, quam disputando; & quos argumentis ad Christum perducere vix potuit, traxit patientia. Diæcesim suam difficillimo itinere per aspera, & confragosa, vixque feris adeunda montium cacumina, non semel, sed sæpius perlustravit, ut ex probatis testibus constat. Virginem eum obiisse, sicut puerum unius anni, Chirurgi, & Medici, qui corpus ejus post mortem exenterarunt, testati sunt. Quod testimonium licet ad probandam materialem carnis integritatem non sit prorsus infallibile, & ineluctabile, ut sapientissime opposuit Illustrissimus D. Promotor, maximi tamen momenti est in re difficillimæ probationis, & quæ aliter probari nequit, ut habetur in relatione S. Thomæ de Villanova, cujus virginitas iisdem argumentis probata est apud Contelorum pag. 618. & seqq. cum præsertim in casu nostro alia sint adminicula, & probationes. Heroicæ enim, & Angelicæ puritatis specimen egregium dedit Patavii, cum in ipso fervore adolescentiæ de duabus procacissimis fœminis triumphavit: cum juvenis nobilissimum, & opulentissimum conjugium recusavit; cum ad servandam castitatem voto se obstrinxerit primo Parisiis, deinde in æde Lauretana. Accedit, quod ab ipsa pene infantia procul ab omni sensuum illecebra vitam duxit innocentem: quod virginalis in eo semper pudor eluxit; quod in pudicitiæ custodia carnis proterviæ cilicia, verbera, & jejunia objecit.. Magni denique ponderis est Michaelis Fabri ejus Confessarii, & per quindecim annos domestici hac de re attestatio, & communis ejusdem rei, & constans fama apud omnes.

3. Modestiæ vero, & temperantiæ, qua humana cuncta despexit, nihil officit, quod ab Archi-Duce Austriæ munus acceperit bis mille librarum argenti. Nam id fuit à piissimo Principe sponte oblatum, non ad luxum, & privatum usum, sed ad cultum Dei, & ornatum Sacelli Episcopalis, causa difficili, & ad suum ministerium minime pertinente jam expedita; cum pridem in usus pauperum similia Sacelli sui argentea vasa erogasset. Poterat hoc munus non acceptare, si id virtuti consentaneum existimasset, qui majora sibi a Rege Galliarum, & Allobrogum Duce, aliisque Principibus oblata donaria sæpe constanti animo recusaverat.

4. Non

4. Non item obstat humilitati, quod minus honorificæ subscriptioni succensere visus sit; non enim superbiæ, sed magnanimitatis fuit, quod traditum sibi ministerium honorificavit. Laudatur in Ecclesiastica historia Leontius Tripolitanus Episcopus, qui vocatus ab Imperatrice negavit se accessurum, nisi prius de conditionibus conveniret: ut nimirum ingredienti Augusta assurgeret, ei obviam iret, nec nisi jussa sederet. Laudatur S. Martinus Turonensis Archiepiscopus, vir admirandæ humilitatis, qui sibi ad mensam Imperatricem ministrare sustinuit, & Diaconum suum prætulit Imperatori. Laudatur S. Carolus Borromæus, qui inscriptam gentilitiæ tesseræ humilitatem corde, & opere sectatus, suæ tamen dignitati debitos honores a quibuscumque viris, etiam Principibus, rigide exegit. Sentiunt de se humillime Sancti, sed personæ, quam sustinent, debitam reverentiam exigunt, ne dignitas Episcopalis vulgo despiciatur.

5. Censeo igitur, Beatissime Pater, constare evidenter de singulis virtutibus moralibus Servi Dei Francisci Salesii in gradu heroico ad effectum, de quo agitur. D. JOANNES BONA Abbas, & Consultor. Die 4 Decembris 1660.

Votum sub Alexandro Papa VII. pro Canonizatione S. Francisci Salesii relatum a Dominico Cappello in suo contextu actorum omnium in Beatificatione, & Canonizatione ejusdem S. Francisci Salesii impresso Romæ 1665. pag. 73.

BEatus Franciscus Salesius probitatem auspicatus ab ubere sacros mores suxit cum lacte. Quæ in aliis pueritia dicitur, in eo senectus fuit modestia, prudentia, gravitate. Adolescens Patavium missus, factus est morum magister, dum disceret. A procaci fœmina provocatus ad crimen, effrontis frontem sputo fœdavit, ne fœdaretur. In ipso juventutis fervore, quo prima virtutis stipendia vix alii incipiunt, ipse jam miles emeritus carne, dæmone, mundo potentissimis hostibus profligatis, se ipsum duxit in triumphum. Ad Pontificale fastigium evectus vixit aliis, mortuus sibi, vacuus sui, plenus Deo: non luxit solum, sed arsit ita divino igne succensus, ut adhuc ardeant paginæ, quas reliquit. Cæcis visum, claudis gressum, vitam mortuis reddidisse Francisci cum Deo regnantis miracula apud homines sunt. Cœlitibus ipsemet prodigium fuit, dum vixit, divina semper & agens, & patiens: Sanctorum igitur fastis, te decernente, adscribatur, Beatissime Pater, qui viam Sanctitatis inviam exemplo, & monitis perviam fecit. Imponatur aris, qui hæresi debellata aras Deo restituit. Exponatur omnium venerationi, qui omnibus omnia factus omnium mores de suo tyop correxit.

Votum, an a Sacra Rituum Congregatione approbandus sit Veronicæ cultus.

1. VEtus traditio est, Veronicam religiosam mulierem Christo Domino Crucem ferenti Capitis sui peplum porrexisse, quo cruorem, & sudorem tergeret, cui divini vultus imago impressa remansit. Meminit obiter hujus traditionis Baronius Tom. 1. anno 34. n. 138. ex Mariano Scoto. Nomen tamen Veronicæ non est inscriptum Martyrologio Romano; nec constat, quod Ecclesia Romana ei ullum unquam

quam cultum tribuerit. Altum de ea silentium apud SS. PP. & antiquos Scriptores per mille, & amplius annos. Primus, qui ejus mentionem fecerit, videtur fuisse Marianus Scotus, quem solum citat Baronius. Licet autem Marianus Scotus a Methodii Episcopi Chronico id se accepisse asserat, nullibi tamen hoc Methodii Chronicon extat, neque ejus mentionem faciunt antiquiores, unde merito suspectum esse censet Leo Allatius in *notis* ad *convivium* ejusdem *S. Methodii pag.* 352.

2. In lectione exhibita ex Commentariis Æneæ Sylvii omnia incerta, & dubia sunt. Nam primo quod ait Tiberium Cæsarem a gravi infirmitate curatum, lepræ nimirum, ut ait Marianus, tactu S. Imaginis, post mille annos, ut dixi, innotuit: nec de Tiberii lepra ullum vel minimum vestigium apud antiquos Historicos, qui res Tiberii accuratissime scripserunt. Secundo ait, quod usque ad mortem mansit Romæ: sed S. Antoninus. 1. *part. tit.* 6. *cap.* 25. §. 2. dicit eam perrexisse in Galliam cum S. Martiale, & Amatore viro suo, & ibidem obiisse in Territorio Burdigalensi. In Chronico autem supposititio Juliani Petri anno 90. dicitur a quibusdam martyrium subiisse Antiochiæ. Ejusdem obitum in Gallia confirmat Fl. Dexter ad annum Christi 48. Tertio asserit hanc fuisse mulierem, quam Christus Dominus tactu fimbriæ vestimenti sui a fluxu sanguinis liberavit: atqui Alfonsus Salmeron *Comment. in Evangelia Tract* 33. ex Pseudo-Evangelio Nicodemi se accepisse ait, quod illa mulier vocaretur Veronica; sed an hæc eadem fuerit, cui ipse Christus Vultus sui imaginem dederit, hoc incertum, & incompertum esse fatetur. Tandem dicit datam fuisse ipsam Imaginem a Veronica S. Clementi Papæ; sed hoc nullo Authore confirmatur; immo Baronius *loco citato* asservati ait in Bibliotheca Vaticana libellum MS. de translatione ejus Romam facta. Ipsa Veronica a quibusdam virgo, ab aliis conjugata dicitur, & hi discrepant in assignando ei marito. Quidam ajunt obiisse in pace, alii cum palma Martyrii. Galesinius in notis ad suum *Martyrologium die* 4. *Februarii* apocrypha esse censet, quæ de ea dicuntur. Bollandus item *Tom II. Februarii*, ubi de ea agit diffuse, nihil certi concludit. Colitur quidem ut sancta a nonnullis Ecclesiis, quas uti possident, ita possidere par est: sed an idem cultus a Sacra Congregatione approbandus sit, id mihi videtur accuratiori examine discutiendum.

Votum, an concedendum, & approbandum sit Officium S. Hierothei Sacræ Congregationi exhibitum a Segoviensi Episcopo.

PRO parte Episcopi Segoviensis exhibitum est Officium proprium pro die Festo, & Octava S. Hierothei, quem dicunt fuisse Episcopum Athenarum post S. Dionysium Areopagitam, ac deinde primum Episcopum Segoviensem: & sicut jussus sum meam de illo proferre sententiam, censeo nullo modo permitti, ac approbari debere ab hac Sacra Congregatione festum hujusmodi pro Ecclesia Segoviensi exhibitum. Nam præter ea, quæ sapienter advertit Illustrissimus D. Promotor fidei, observandum insuper est, quod nulla prorsus apud antiquos Scriptores, vel minima ejus mentio, aut saltem vestigium reperitur. Solus Dionysius eum citat, & laudat, nulla tamen Episcopatus facta mentione; unde incertum est quis fuerit ille Hierotheus: nec desunt Viri eruditi, qui probabiliter existimant non esse nomen proprium alicujus viri, sed commune, & appellativum, significans hominem Deo

sacrarum, quicunque ille fuerit; id enim significat vox græca *Hierotheus*: sicut multi arbitrantur de Theophilo, cui S. Lucas Evangelium, & Acta Apostolorum inscripsit. Alii vero suspicati sunt nullum unquam extitisse Authorem, qui ea scripserit, quæ sub Hierothei nomine Dionysius profert, sed esse ipsiusmet Dionysii: nam revera cum stylo Dionysii enthusiastico, & Platonico prorsus conveniunt. Deinde non est certum, quod Dionysius iste fuerit ille Areopagita discipulus S. Pauli; immo probabilius videtur, quod alius fuerit Platonicæ sectæ Professor, sed Christianus, qui vixerit initio seculi IV. Nec obstat, quod extet in Martyrologio Romano: non enim omnia, quæ in eo sunt, indubitatæ sunt fidei; nec ipsum Martyrologium vocat eum Episcopum. Citat Baronius *ad diem 4. Octobris in notis* Menologium Græcorum, apud quos in Menæis ipsius Hierothei extat Officium, multa continens falsa, de quibus differere non est hujus loci. Quicquid autem de Hierotheo habemus, solius Dionysii testimonio fulcitur, asserentis esse discipulum S. Pauli, & magistrum suum, & super omnes Doctores excelluisse, scripsisse Theologicas quæstiones, ac Hymnos amatorios, & veluti solem in Ecclesia luxisse &c. Cum igitur incertissima sit hujus Hierothei historia, altumque de illo silentium sit apud omnes, excepto Dionysio, de quo item dubitatur: nec potest, nec debet S. Congregatio aut cultum illi concedere, aut Officium exhibitum approbare, quod etiam ex aliis capitibus censuræ obnoxium foret. Sic censeo sub graviori sententia. Ego infrascriptus ipsius S. Congregationis Consultor D. JOANNES BONA.

Approbatio antiqui Psalterii Romani nuper correcti.

1. CUM Psalterium Romanum, quo ante Pium V. universæ Urbis Ecclesiæ utebantur, ut testatur Lorinus *Præfat. in Psalm. cap.* 13. nunc soli Basilicæ Vaticanæ relictum sit, decet ipsum Religiosissime custodiri, & illibatum servari, ut antiquæ Versionis, quæ Italica dicebatur, hoc saltem remaneat vestigium, sitque omnino conforme non solum vetustissimis exemplaribus, quæ in diversis Ecclesiis, & Bibliothecis conservantur; sed etiam citationibus, quæ sub nomine Psalterii Romani leguntur apud plerosque Psalmorum Expositores, ne Titulus, qui ei præfigitur, mentiatur. Hac de causa B. M. Lucas Holstenius, ejusdem Basilicæ Canonicus, vir celebris doctrinæ, & eruditionis, cum nova ejus editio pararetur, cum vetustis MSS. & antiquis Interpretibus summa diligentia collatum, veræ, & pristinæ lectioni restituit: & si quid irrepserat contra veterem translationem, sustulit; nihil de suo addens, vel minuens, nihil tribuens conjecturæ: reddita insuper exactissima ratione omnium mutationum tam quoad literam, quam quoad interpretationem. Hanc autem correctionem accurate perlustravi, nihilque reperi absonum, nihil diversum ab antiquis textibus: & sic censeo conservandam esse, prout jam typis mandata est, nihilque prorsus immutandum, paucis exceptis, quæ infra adnotabo.

2. Nec obstat, quod aliquando lectio hujus Psalterii cum textu Græco LXX. Interpretum, prout nunc habetur, & cum Hebraico fonte non omni ex parte conveniat, quod tamen rarissimum est: nam variæ fuerunt primigenii textus depravationes, variæ Latinæ interpretationes, ut passim observant post S. Hieronymum reliqui Expositores: illudque semper a SS. PP., immo & ab antiquis Philosophis, ut docet Syne-

Synesius Episcopus in Dione, sancte observatum fuit, ne quid in antiquis libris innovetur, aut immutetur, quacunque arte conscripti sint.

CORRIGENDA.

3. Pag. 27. Quamvis Hymnus *Te Deum laudamus* in Psalterio MS. Basilicæ Vaticanæ nomen præseferat S. Sisebuti, non est tamen recedendum ab antiqua Traditione, quæ SS. Ambrosio, & Augustino ipsum tribuit, cum sit communiter recepta; neque satis constet, quis fuerit ille Sisebutus. Ab aliis tribuitur S. Nicetio; a quibusdam S. Abundio, ut observavi in meo Tractatu de divina Psalmodia cap. 16. §. 12. n. 3. Delendum igitur nomen S. Sisebuti, & substituendum Sancti Ambrosii, & Augustini.

4. Pag. 82. col. 2. lin. 6. *In absconditu*, legendum *in abdito*, ut habetur in Originali impresso: nihil enim hic correxit Holstenius.

5. Pag. 108. col 1. vers. penult. legendum: *commotionem capitis in plebibus*, ut notavit Holstenius.

6. Pag. 239. col. 2. in fine deest integer versiculus: *Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis*. Sunt sphalmata typographica. Monendus autem, qui præest editioni, ut observet, si quæ alia irrepserint.

7. Vide de hoc Psalterio Antonium Cardinalem Carafam *Præfat. ad versionem latinam* Psalterii lxx. Lorinum *Præfat. in Psalm. cap.* 13. S. Gregorius Magnus semper hoc Romano usus est. Item alii PP. rejecto illo, quod a S. Hieronymo interpretatum est, & est nunc in usu translatum ex lxx. Est conforme Ambrosiano, & veteri Hispanico. Qui hoc Psalterium Romanum sustulerunt, cogitare debebant discrepantiam Breviarii, & Missalis, quæ in omni bene constituta Ecclesia debent esse uniformia, ut ex Ambrosiano, & Hispanico, itemque ex Orientalibus constat. Cantus etiam Antiphonarum mutatus, & breviatus est, ita ut tono subsequentis Psalmi recte inchoando non serviant: quod unicum, & solum Antiphonarum Officium est: nam iis, qui Psalmos non cantando, sed legendo recitant, otiosæ plane, & inutiles sunt Antiphonæ.

8. S. Hieronymus hujus Italicæ versionis errores jussu S. Damasi correxit; tum plebejos aliquot, & soli Italiæ familiares loquendi modos usitatioribus mutavit; reliquam versionem ob perspicuitatem Latini sermonis reliquit: & hoc Psalterium sic emendatum non est in corpore Bibliorum. Sed quia hæc versio in pluribus non respondebat fontibus Hebraicis, S. Hieronymus novam fideliorem confecit, quæ inter ejus opera habetur; quæ tamen non est recepta, quia duæ priores quotidiano usu frequentatæ sine divini Officii perturbatione abrogari non possunt. Editione vulgata a S. Hieronymo correcta utebantur Ecclesiæ Gallicanæ; ideoque Psalterium Gallicanum dictum est.



Eminentissimi S. R. E. Cardinalis JOANNIS BONA
Responsiones ad dubia proposita.

Responsio facta N. N. Episcopo Prismiliensi, interroganti: quid sibi velit illa clausula in juramento Episcoporum apponi solita iis verbis: Regulas Sanctorum Patrum observabo.

1. Duplex difficultas in hujus dubii explanatione occurrit; una, quid nomine SS. PP. intelligatur; altera, quæ sint regulæ ab illis traditæ, quas se observaturum Episcopus jurat. Ad primæ solutionem advertendum est, nomine SS. Patrum intelligi primo sanctos, & orthodoxos Ecclesiæ Magistros, & Doctores, qui secundum datam sibi desuper sapientiam, singulatim, ac per se docentes, & scribentes, doctrina sua, ac scriptis Ecclesiam mirabiliter illustrarunt. Secundo intelliguntur Episcopi in unum collecti in Conciliis generalibus, in quibus, ut ait Tertullianus lib. de Jejunio cap. 13. *Ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*; & quorum, teste Augustino Epist. 118. est in Ecclesia saluberrima authoritas. Hi vero Patres dicuntur Sancti eo sensu, quo Ecclesiam sanctam vocamus, licet non omnes, qui eam constituunt, sancti sint; quia nimirum cœtus ipse in Spiritu Sancto congregatus legitime Sanctus, & Spiritus Dei in ipsis, & per ipsos est locutus. Hæc post Scripturam, & traditiones sunt prima, & præcipua orthodoxæ fidei fundamenta, Concilia scilicet, & Patres; ita tamen ut in primo gradu sint Concilia, sequantur Patres. Si vero ipsimet Patres extra Synodales conventus de rebus divinis scribentes in eamdem conspirent sententiam; nec ullus unquam Catholicus, & cum Ecclesia consentiens sit repertus, qui se illis opposuerit, eorumque doctrinam impugnaverit, ad instar Catholici decreti est; quia ex firmo illorum, & unanimi consensu, nemine discrepante, certissime constat eos non privatam suam, vel alterius opinionem secutos esse, sed veterem Ecclesiæ traditionem, ab Apostolis usque ad ipsos derivatam, quæ una est ex regulis fidei, ut omnes fatentur. Ideo Concilia Oecumenica maximi semper æstimarunt priscorum PP. authoritatem, quando omnes in unum conspirant; eorumque testimoniis usi sunt ad Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones comprobandas.

2. Patet hoc manifeste ex actis, & decretis Conciliorum generalium; nam Vincentius Lirinensis *cap. penult. sui Commentarii* loquens de Synodo Ephesina admiratur, quod tot numero Sacerdotes, tantæ eruditionis, & doctrinæ nihil sibi arrogarint, sed omnimodis præcaverunt, ne quid posteris traderent, quod ipsi a Patribus non accepissent. Et quinta Synodus *collat.* 3. dixit, se in omnibus sequi SS. PP. & Doctores Sanctæ Dei Ecclesiæ, & omnia admittere, quæ ab ipsis scripta sunt de recta fide, & ad Hæreticorum condemnationem. Concilium quoque sub Martino I. Secretario v. Anathematismo xvii. *Si quis*, inquit, *secundum SS. PP. non confitetur proprie omnia, quæ tradita sunt a SS. PP. & venerandis Universalibus quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo, & mente, condemnatus sit*. Consentit S. Cyrillus, qui hujus erga PP. reverentiæ rationem reddens in defensione Anathematismi octavi ait: *omnibus, quibus integra mens est, propositus hic est scopus, ut SS. PP. opiniones sequantur, quoniam & ipsi Apostolica, & Evangelica traditione cum mentem implessent suam, ac fidei doctrinam, recte ac citra labem, & errorem tractassent, luminaria in mundo* fue-

fuerunt, verbum vitæ continentes. Tractat hoc argumentum diffuse Melchior Canus *lib. 7. locor. Theolog.* duabus postremis Conclusionibus affirmans, communem SS. Patrum consensum in expositione Sacrarum Literarum, & in dogmate fidei certissimum præstare Theologo argumentum ad probandas Theologicas assertiones. Tum quia Sanctorum omnium sensus Spiritus Sancti sensus est, qui eos errare non sinit. Tum quia testes irrefragabiles sunt Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditionis, quæ aliter probari non potest. Et hæc sint satis de prima difficultate.

3. Secundæ ex dictis facillima est solutio. Nam regulæ SS. PP. quas Episcopus jurejurando spondet se observaturum, nihil aliud sunt, quam Canones, sive constitutiones Conciliorum a Sede Apostolica approbatorum; & illæ, quas SS. PP. circa dogmata fidei, ac scripturæ intelligentiam, & disciplinam, & ritus Ecclesiasticos, tamquam testes veteris traditionis unanimiter ediderunt; quæ tamen ut plurimum cum decretis, & Canonibus Conciliorum coincidunt, atque illis insertæ sunt. Ita prorsus Concilium Chalcedonense sancivit, cujus primus Canon hic est: *Regulas SS. PP. per singula nuncusque Concilia constitutas proprium robur obtinere decrevimus*. Qui sane Canon expresse editus videtur ad hujus dubii explicationem. Patet igitur ex dictis, qui sint SS. PP., quæ eorum regulæ, & quid breviter ad dictam petitionem sit respondendum.

4. Adde mihi videri, quod per hoc juramentum ad illa dumtaxat observanda obligatur Episcopus, quæ fusius, & explicatius in Professione fidei a Pio IV. præcepta continentur. Quod vero de sacris Canonibus, & decretis Conciliorum supra generaliter dictum est, de illis intelligendum assero, quibus Ecclesia nunc utitur, & regitur. Nam fidei decreta immota manent: circa ritus autem, & disciplinam multa olim sancita fuerunt, quæ hodie non sunt in usu.

Responsio ad quæsitum: utrum Missa, in qua consecratur Episcopus, vel conferuntur Ordines, dicenda sit solemnis, licet sine cantu celebretur.

1. Videtur certe solemnis, quia Celebrans utitur vestibus Pontificalibus cum assistentia Episcoporum, aliorumque Ministrorum. Quare Innocentius X. in consecratione Archi-Episcopi Montis-Regalis usus est Pallio, & Fanone, quæ profecto non adhibentur in Missis privatis, ut præscribit S. Gregorius Archi-Episcopo Ravennati. Nec defuit in ea Consecratione assistentia duorum Diaconorum Cardinalium cum Dalmaticis, præter tres Cardinales Episcopos. Consecratio igitur Episcoporum, & ordinatio Ministrorum dicuntur factæ inter Missarum solemnia, ut colligitur manifeste ex literis testimonialibus. Denique Rubrica *tit. de commemorationibus* præcipiens, ut in Missa solemni de festo secundæ classis omittatur commemoratio simplicis, non dicit in Missa cantata, sed in Missa solemni: aliud enim est Missam esse cantatam, aliud esse solemnem, ut bene advertit Pasqual. *Tom. 1. de Sacrificio quæst.* 344. *num.* 4. Cantus enim est aliquod extrinsecum Missæ; solemnitas vero consistit in multiplicitate Ministrorum, & populi concursu. Unde infertur Missam cantatam sine Diacono esse privatam, & non solemnem. S. Thomas 3. *par. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 17. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 12. Tabiena verbo *Missa num.* 9. Armilla *num.* 7. Henriques *lib.* 9. *sum. c.* 30. *num.* 1. Suarez *disput.* 87. *de Eucharistia*.

2. Ad

2. Ad hoc dubium respondet Andreas Castaldus *in praxi cæremoniarum lib. 2. sect. 6. cap. 2.* his verbis: *Missas solemnes dicimus eas, quæ cum Ministris; privatas vero, quæ sine Ministris celebrantur, non attendendo, an cum cantu, vel sine cantu celebrentur, parum enim refert.* Favet autem huic opinioni notio nominis, nam, ut refert Vossius in *Etymologico*, solemne illud dicitur, quod cum pompa, & ritibus solum in anno fieri consuevit; hæc enim propria est ejus nominis significatio. Ergo solemnitas attenditur ex pompa, quæ nihil aliud est, quam publica ostentatio; & sic Missa solemnis recte illa dici posset, quæ cum apparatu Altaris, & Ministrorum celebratur, sive adsit cantus, sive non adsit. Quo supposito dicerem Missam, in qua consecratur Episcopus, censendam esse solemnem, etiamsi non celebretur cum cantu, quia adest pompa, sive apparatus Ministrorum, & Altaris.

3. De Missa autem, in qua conferuntur ordines, distinguerem. Nam si collatio fiat privatim ab Episcopo in domestico, vel alio Oratorio sine Ministris, solis Capellanis, & aliis Presbyteris assistentibus cum superpelliceis, ea Missa non est solemnis. Si vero fiat in Ecclesia cum Ministris paratis, & indutis Dalmatica, & Tunicella &c. illa solemnis est ob rationem supradictam. Nec refert, quod quando Episcopus privatim confert ordines in literis testimonialibus dicamur ipsi ordines collati intra Missarum solemnia, quia illud *solemnia* abusive sumitur, & in latiori significatione. Gujettus pag. 515. cantum requirit. Multæ Religiones Missam solemnem sine cantu dicunt. Missa solemnis a plerisque Major dicitur: meminit Missæ majoris Radulphus prop. 23. Apud antiquos nulla mentio Missæ privatæ; discutienda ejus origo, ut discrimen a solemni dignoscatur.

Responsio ad dubium: utrum sit valida consecratio Episcopi sine auctoritate Patriarchæ, vel Metropolitani facta in Ecclesia Orientali.

1. Respondeo talem consecrationem etsi illicitam, & contra præscriptum sacrorum Canonum c. *Si Archiepiscopus*, & c. *Ne Episcopi temporibus Ordinationum*, & apud Gratianum *dist. 64. 65. 66., & 75.* Esse tamen validam, & sic ordinatum esse vere, & realiter Episcopum, licet suspensus sit ab Episcopalis Ministerii executione. Probo esse validam, quia Episcopatus sive sit ordo distinctus a Presbyteratu, sive idem cum ipso, est proculdubio Sacramentum, idque neminem post Concilium Tridentinum negare posse sine nota erroris observat Isambertus Sorbonicus Doctor *disput. 2. de Sacram. Ordinis art. 3.* & hoc putant esse de fide Valentia *quæst. 1.* & Petrus de Soto relatus ab Amico; confert enim gratiam, estque ejus signum visibile, imprimit characterem, vel saltem, ut alii sentiunt, extendit Presbyteralem, addita nova, & indelebili potestate. Hoc posito sic argumentor: omne Sacramentum confertur, & conficitur, quoties adest Minister, suscipiens, materia, forma, & intentio; sed in proposito casu nihil horum defuit, ergo valida est consecratio. Major est certa ex fide: Minor ostenditur, quia licentia Patriarchæ, vel Metropolitani non pertinet ad essentiam consecrationis, sed requiritur tantum necessitate præcepti: neque consecratio est actus jurisdictionis, sed ordinis. Jurisdictio autem non est de necessitate Sacramenti, nisi tantum in administratione pœnitentiæ, quæ fit per modum judicii; & in matrimonio, quatenus habet ratio-

rationem contractus, confirmatur. Si quis Episcopus ordinaret alienum Clericum sine dimissoriis, immo reclamante, & invito proprio Episcopo, ille nihilominus valide ordinatus est, & suscipit characterem; ergo similiter in casu nostro. Ita tenet Azorius, Sauchez, Comitolus, & alii. Facit deinde ad hanc validitatem adstruendam quod S. Augustinus contra *Epist.* Parmeniani, S. Gregorius Papa *Epist.* 32. *Indict.* 10. ad Joannem Ravennatem; & alii PP. parem omnino faciunt Ordinationis, & Baptismi conditionem, quoad illius iterationem: ergo sicut Baptismus iterari non potest a quocunque, etiam sine legitima facultate collatum, ita & consecratio.

2. Nec desunt pro hac validitate exempla veteris Ecclesiæ. Evagrius Archi-Episcopus Antiochiæ ordinatus fuit sine consensu aliorum Provinciæ Episcoporum, cum multiplici Canonum violatione, ut narrat Theodoretus *lib.* 5. *Histor. Eccles. cap.* 23. & S. Ambrosius non negat *Epist.* 9. *lib.* 1. nusquam tamen pro invalida habita: immo Clerici ab eo ordinati recepti fuerunt sub Alexandro Episcopo, reddita Ecclesiæ Antiochenæ pace, ut notat Baronius an. 408., & nomen Evagrii in sacras tabulas relatum est, ut idem affirmat an. 412. Synesius Episcopus Cyrenensis *Epist.* 67. *ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum* refereus diffuse, quid vice ipsius gesserit in Regione Pentapoleos, ac totius Cyrenaicæ, inter cætera scribit: quemdam Syderium Palebiscæ creatum Episcopum contra jura omnia, cum neque Alexandriæ fuerit constitutus, neque a tribus Episcopis, sed a solo Philone Cyrenensi consecratus, & in Throno collocatus; tum subdit: *Formidolosis temporibus summum jus prætermitti necesse est. Ideo magnum Athanasium tempori id dedisse; ac non multo post, cum exiguam adhuc Orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, & magis magisque accendere oporteret, hominem illum majoribus regendis idoneum eo commigrare jussisse, ut metropolitanam Ecclesiam gubernaret.* Ex quibus constat M. Athanasii sententia, neque numerum trium Episcoporum, neque Patriarchæ consensum fuisse necessarium necessitate Sacramenti ad validitatem consecrationis.

3. Aliorum possem exempla afferre; sed unus pro mille erit Gregorius Magnus, cujus irrefragabilis authoritas omnem tollit difficultatem. Vacante Sede Salonitana in Dalmatia, Episcopi illius Provinciæ Maximum quemdam pravum hominem favore Mauritii Imperatoris elegerunt, rejecto Honorato, quem Gregorius commendaverat *Epist.* 46. *lib.* 2. *Indict.* 11. & contra expressam ipsius prohibitionem, quæ habetur *Epist.* 15. *lib.* 3. qua Maximum nominatim excludit. Rei seriem ipse Gregorius narrat *Epist.* 1. *lib.* 7. *ad Sabinianum* Apocrisarium suum Constantinopoli tunc degentem, & *Epist.* 34. *lib.* 4. Augustæ scribens, ait: *Salonitanæ Civitatis Episcopus me, ac Responsali meo nesciente ordinatus est;* & post pauca: *Eidem Maximo hoc, quod in ordinatione sua me, vel Responsalem meum prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxavi, ac si me Authore fuisset ordinatus.* Tum alia ejus crimina recenset, de quibus purgavit se coram Martiniano Ravennæ Archi-Episcopo, cui causa commissa fuit: & peracta pœnitentia ad suam Ecclesiam missus est, consentiente Gregorio, qui postea expetenti direxit Pallium. Sunt de hac re Gregorii Epistolæ 79. 80. 81. lib. 7. nec ullibi fit mentio de invaliditate Ordinationis.

4. Sic assertæ veritati non obstant Sacri Canones, c. *Illud dist.* 64. ex Concilio Nicæno, ubi dicitur: *Quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc Sancta Synodus definivit Episcopum esse non oportere*, &c. *Archi-Episcopus dist.* 66. *ex Epist. suspectæ fidei Aniceti Papæ,*

quo

quo præcipitur Archi-Episcopum ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis ordinari: *Quod si aliter*, inquit, *præsumptum fuerit*, *viribus cavere dubium non est*, *quia irrita ejus secus acta ordinatio*. Nam ad primum ait Glossa, quod dicit deponi, vel ab executione Episcopalis officii removeri. Ad secundum vero eadem Glossa ait esse irritam ordinationem quoad officii executionem. Eidem explicationi subscribit Archidiaconus c. *Illud dist. 64*. Turrecremata *eadem dist.* c. 1. Concl. 6., &c. *Non debet* dist. 65. Hostiensis, Abbas, Innocentius, Antonius de Burtio, & alii communiter ad c. *Archiepiscopus*, &c. *Ne Episcopi de temp. ordin.* Rodericus in c. *Illud* citatum, &c. *Placet dist. 65.* qui omnes fatentur, ordinatum sine licentia carere officii executione, sed esse vere, realiter, & valide ordinatum. Immo hanc esse communem omnium DD. sententiam a quadringentis annis observat Morinus hujus rei diligentissimus investigator *lib. de Sacr. Ordinationibus part. 3. exercit. 5. cap. 8.* & *9.*

5. Non obstant similiter SS. PP. asserentes male ordinatos non esse vere Sacerdotes, sive Episcopos, invalide ab his Sacramenta conferri, eorum consecrationem esse potius execrationem, & alia hujusmodi: quia hæc omnia de officii perperam suscepti executione intelligenda sunt, ut fuse docet Isambertus *disput. 2. de Sacram. Ordinis*, respondens impio Apostatæ Spalatensi, qui prædicta PP. testimonia late congerit *lib. 2. de Republ. Christiana cap. 4.* ut probet Ordinem non esse Sacramentum, eo quod valide non accipiatur ab eo, qui ipsum indigne, vel illicite suscipit. Aliud est potestas, aliud usus potestatis: hic tolli potest. non illa. Dicitur enim execratio, & non consecratio, quia illicite ordinati peccant, neque gratiam recipiunt, neque officium in actu secundo.

6. Morinus multa affert in præcitata exercitatione, quæ est de Ordinum iteratione, ut ostendat valde perplexos quosdam antiquos fuisse circa hanc quæstionem, an male promoti deberent reordinari. Sed hæc non officiunt veritati nostræ assertionis; nam olim etiam dubitatum est, an baptizati ab Hæreticis deberent rebaptizari. Erant tunc fortassis, qui crederent omnem illicitam actionem invalidam esse. Sed hic modus philosophandi falsus est, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur. Alii putabant spectare ad materiam Sacramenti quicquid ab Ecclesia circa illius collationem institutum erat, quemadmodum contingit in Matrimonio: sed hoc est falsum, & non est par ratio; quia matrimonium est contractus. Guillielmus Parisiensis existimavit characterem deleri posse: at contrarium decisum est a Concilio Tridentino.

7. Multa quoque legimus aliquando attentata ex passione aliqua, vel ignorantia, quæ non sunt trahenda in consequentiam. Nota est luctuosa tragœdia Formosi Papæ, a quo ordinatos reordinari jussit Stephanus VII. multis contradicentibus, ut ex scriptis Auxilii, qui tunc vivebat, & a Formoso ordinatus fuerat, manifestum est. Simile quid antea fecerat de Episcopis consecratis a Constantino Pseudo-Papa Stephanus IV. si Auxilio credimus, qui id impie factum asseverat. At Baronius anno 769. negat eos reordinatos, sed reconciliatos dumtaxat fuisse. Nati sunt tumultus in Græcia exorti propter ordinatos a Photio: multi enim non agnoscebant in eo vestigium aliquod Sacerdotii, ut loquitur Stylianus Neocæsariensis Episcopus *in Epistola ad Stephanum V.* quæ habetur in Actis Octavæ Synodi; unde dicebant: *Nihil habuit, nihil dedit: habuit damnationem, dedit damnationem*; Quibus formis dubium est, an loquerentur de gratia, & potestate in actu secundo, an de totali suscepti Ordinis invaliditate.

8. In

8. In Gallia denique similes turbæ fuerunt per Ebbonem Rhemensem Archi-Episcopum. Hic depositus agente Ludovico Imperatore, & Francorum Rege ad Laicam Communionem redactus fuit. Postea restitutus, & absolutus quorumdam Episcoporum suffragiis plures ordinavit: quam ordinationem Concilium Suessionense ann. 853. invalidam declaravit. At Nicolaus I. illud Concilium improbavit, & Hadrianus II. controversiæ silentium imposuit. Patet igitur, hæc non officere nostræ conclusioni, & consecrationem in casu supposito esse validam. Hilarus Papa duos Episcopos temporum necessitate perspecta dispensavit, quos inscio Ascanio Tarraconensi Metropolitano ordinaverat Silvanus Calaguritanus, ut patet ex Epistola Hilari ad ipsum Ascanium anno 465. Motæ sunt etiam quæstiones de consecratione Maximi Cynici, Proculi Massiliensis, Bonosi, Constantini, Ebbonis Rhemensis, Nezelonis Maguntini, quæ tamen irritæ non fuerunt, nisi actu secundo.

Responsio ad dubium: an Episcopus Græci ritus ab uno tantum Episcopo consecratus, sit valide consecratus.

1. Breviter respondeo non liquere; anceps enim controversia est, & quam multi DD. excitant, nemo concludenter solvit. Utrinque autem & rationes, & exempla afferuntur magni momenti, quæ cum facile dissolvi possint, nihil fere ex his deducitur, nisi quod utraque sententia probabilis, neutra evidens sit. Quia vero agitur de materia Sacramenti, in qua non licet ex communi, & inconcussa Theologorum sententia, uti opinione probabili, ideo in casu proposito censui cum aliis Episcopum, ab uno dumtaxat consecratum, iterum sub conditione consecrandum esse.

2. Agunt de hac controversia docte, & copiose Hallier *de Sacr. Ordinationibus pag. 582. & seqq.* Morinus *de Sacr. Ordinationibus par. 3. exercitat. 4.* Lupus *ad Canonem IV. Concilii Nicæni*; Diana *p. 8. tractat. 1. Resolut. 31. & Tom. 12. tractat. de Consecratione Episcopi Resolut. 27. & seqq.* Silvester verbo *Consecratio*; Azorius *p. 2. lib. 3 c. 30.* Fagnanus, & Barbosa ad c. *Ne Episcopi de temp. Ordin* Castropalaus *Tract. de Sacram. Ord. p. 14. num. 16.* Vasquez *in 3. p. disp. 243. c. 16.* & alii, quos allegant. Prolixi operis foret, quæ isti pro utraque sententia congerunt, transcribere. Praxim veteris Ecclesiæ Hallier, Moriuus, & Lupus referunt, & quisque accommodat ad suam sententiam. Ab his tamen nonnulla omissa video, quæ ponderatione digna sunt. Nam Episcopi Africani Epist. ad Clerum, & plebes Hispaniæ, quæ est 68. S. Cypriani in editione Pamelii, Conventum Episcoporum necessarium asserunt ad Ordinationes rite celebrandas: *Quod diligenter*, ajunt, *de traditione Divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum*. Neque potest hæc authoritas eludi ex eo, quod de electione loquantur; nam etiam de consecratione sermo est, ut patet ex seqq. verbis: *ad Ordinationes rite celebrandas*, & post pauca: *Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione &c.* Basilius Magnus *Epist. ad Pæmenium Episcopum* ait, se Faustum ad communionem non admisisse, quia a solo Anthimo Episcopus ordinatus fuerat, antiquo Ecclesiæ ordine perturbato: cum ex diverso non desint, qui asserunt disertis verbis eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus fuerit ordinatus.

3. Hæc antiqua Ecclesiæ forma dicitur in Concilio Carthaginensi III. c. 39. nec ullus Canon, sive authoritas veterum PP. afferri potest, quæ ordinationem ab uno Episcopo factam pro legitima ab Ecclesia habitam affirmet, cum requirat, ut a tribus ordinetur. Scio quidem exempla nonnulla a præcitatis Scriptoribus proferri, quibus probare conantur approbatas quandoque fuisse consecrationes Episcopi sine trium præsentia. Nam ex Synesio Epist. 67. Sidereum adducunt Episcopum Palebiscæ, qui ab uno tantum ordinatus a S. Athanasio tempori cedente ad regendam Ecclesiam missus est. Ex Concilio Regiensi Armentarium in Provincia Alpium Maritimarum Episcopatui Ebredunensi duorum dumtaxat ministerio præfectum, cujus tamen ordinationem tamquam validam a Synodo habitam ajunt. His addunt celebrem Evagrii Antiocheni consecrationem ab Occidentalibus approbatam, de qua Theodoretus *lib. 5. Histor. cap.* 23. Omitto alios, quos Lupus refert in Appendice ad Canonem IV. Concilii I. Nicæni; addique illis potest Joannes a duobus tantum Euphronio, & Patiente consecratus, de quo Sidonius Apollinaris scribit lib. 4. Epist. 25. Verum his, & aliis similibus factis optime occurrunt contrariæ sententiæ asseclæ, ut patet ex Morino, & Hallier.

4. Difficilior responsio est ad facta Summorum Pontificum, quos legimus interdum in hac pluralitate Episcoporum dispensasse. Si enim ex Divina, & Apostolica Traditione trium Episcoporum assistentia necessaria est, quomodo potest Papa in ea dispensare? Ideo non verentur Castropalaus, & alii dicere hujusmodi dispensationes invalidas fuisse; & sic ordinatos nova ordinatione absque ulla conditione indigere. Alii modestiores non solvunt nodum, sed scindunt: negant enim veras esse assertas Pontificum dispensationes. Et quidem si de Gregorio M. & aliis antiquioribus sermo sit, facile possunt eorum facta in dubium revocari, vel aliqua tergiversione, sive interpretatione aliorsum trahi: recentiora autem evidentissima sunt. Dicunt ergo nonnulli Greg. XIII. & Pium IV. in his dispensationibus probabilem illorum opinionem secutos fuisse, qui asserunt tres Episcopos ex præcepto dumtaxat Ecclesiæ, non necessitate Sacramenti requiri. Verumtamen cum ex facto Principis non oriatur lex, nec ab ullo unquam hæc quæstio decisa legitime fuerit, locus semper remanet scrupulo; quia, cum agitur de Sacramenti validitate, non licet, ut supra dixi, dimissa tua sententia, probabilem, & ambiguam sequi.

5. Quicquid igitur in proposito dubio agendum sit, ego libentius a doctioribus discerem: sed quando jussus sum dicere quid sentiam, fateor me illorum sententiæ accedere, qui docent Episcopalis consecrationis non unum solum Episcopum Ministrum esse, sed tres omnino requiri ex Christi institutione, & præcepto. Quod tamen ita stricte non est accipiendum, quin possit alioquin ex justa causa interveniente Ecclesiæ dispensatione unus Episcopus extraordinarius ejus Minister esse: sicut Confirmationis ordinarius Minister est Episcopus, ex dispensatione autem potest a Presbytero ministrari. Ita tenent graves Theologi, & alii, quos citat Diana *Part. 2. Resolut.* 30. & Hallier *pag. 593. nu.* 20. Et huc fortasse respexit Canon, quem in sua Collectione adducit Ferrandus Diaconus, ut unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana. Hoc autem posito, cum Episcopus, de quo agitur, & de quo dubium propositum fuit, nullam habuerit a Summo Pontifice dispensationem, ac proinde ejus ordinationis validitas a sola opinione probabili, & forsitan falsa dependeat, bene dictum fuit debere sub conditione

reite-

reiterari. Sic enim res tanti momenti in tuto ponitur, & nulla fit injuria Sacramento. Stat pro hoc dicto Diana cum multis Part. 12. Resolut. 47. quam non pigebit legisse.

Videndus Guttierres lib. 1. c. 17. num. 38. agens de dispensatione ex opinione probabili. Silvester verbo *Votum*, & Joannes de Cardenas in Crisi Theologica Dissert. 2. c. 8. art. 3. Proposit. 1. num. 498. validam asserens hujusmodi consecrationem factam ab uno tantum Episcopo, exemplum referens Episcopi de Assumpta ad Provinciam Paraguay pertinente, ab uno tantum Episcopo, Canonicis assistentibus consecrati, cujus consecrationem validam dixit Sacra Congregatio die 15. Decembris 1657. hisce verbis: *Consecrationem Episcopi Paraguajensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris, fuisse validam: quantum vero spectat ad licitam &c.* Quam declarationem confirmatam ait ab Alexandro VII. die 16. Februarii anno 1658. per literas Apostolicas in forma Brevis: unde concludit jam non posse dubitari de certitudine hujus sententiæ, quod valeat Consecratio Episcopi ab uno tantum Episcopo facta ex dispensatione Summi Pontificis; cum Magister communis Ecclesiæ id ita declaraverit.

Responsio facta Archi-Episcopo Corinthi Congregationi de Propaganda Fide a secretis, petenti: utrum typis edendi essent quatuor majores Pro-Phatæ nuper in Codice Græco adinventi.

UTinam haberemus integra Origenis Tetrapla, Hexapla, & Octapla, non tot exortæ fuissent de Græcis S. Scripturæ editionibus, earumque puritate, & sinceritate contentiones. Sed quandoquidem illa perierunt, & nunc emersit hoc fragmentum continens quatuor majores Prophetas juxta versionem LXX. Interpretum ex ipsis Hexaplis Origenis transcriptos, operæ pretium fore existimo, si typis evulgarentur. Nam Origenes textum LXX. Interpretum ex Authographo Alexandriæ reperto descripsit, & collatis exemplaribus aliis puram editionem exhibuit, quæ ab omnibus, atque etiam ab ipso S. Hieronymo pro sincera habita fuit. Quia vero post versionem LXX Interpretum, quam 278. annis ante Christum factam fuisse docet Petavius, tres aliæ secutæ sunt, nimirum Aquilæ Pontici ex Christiano Judæi circa annum Christi 130. Symmachi Samaritani ex Judæo Christiani, & Ebionitæ circa annum 200. & Theodotionis Pontici, vel Ephesii ex Christiano, & Ebionita Judæi circa annum 185. has una cum translatione LXX. per columnas disposuit, & Tetrapla appellavit. Adeptus postea linguæ Hebraicæ cognitionem addidit textum Hebraicum, characteribus in una columna Hebraicis, in altera Græcis, unde Hexapla. Demum repertis quinta, & sexta translationibus, illa Hiericbuntina in doliis sub Caracalla; hac Nicopoli ad Actium Promontorium tempore Alexandri Mammææ, eas ceteris adjunxit, & Octapla nominavit. Commendant hunc Origenis laborem Hieronymus, & Epiphanius, tametsi ipsi infensi, hic lib. de pond. & mensuris; ille in cap. 3. Epist. ad Titum: & de eo disserit ipsemet Origenes Tract. 8 in Matth & Epist. in Julium Africanum. Cum autem Hexapla nonnisi magnis sumptibus describi possent, Eusebius Cæsariensis, & Pamphilus Martyr versionem LXX. ex ipsis Hexaplis emendatissime descripserunt, ut colligitur ex Hieronymo Epist. ad Chromatium; qui etiam Epist. ad Summam, & Fretelam ait, versionem LXX. ex Hexaplis puram, & immaculatam in Ecclesiis Orientalibus conservatam esse; quod ideo notare volui, ut vel hinc constet hunc Codicem ex ipsis Hexaplis descriptum quantivis pretii esse, tum quia creditur in eo purum textum exhiberi, tum quia perditis Hexaplis hoc eorum segmentum plurimi æstimandum est.

Praxis legendi Historias.

1. PRæmittenda Chronologiæ, & Geographiæ notitia. Ad primam spectant Epochæ temporum, earumque fundamenta; diversa apud varias nationes annorum supputatio, diversa item Kalendaria, temporis politici, & astronomici consensus. Anni Hegiræ apud Turcas, Aera Diocletiani, Aera Hispanica, Cycli Solis, & Lunæ, atque Indictionum. Aera Nabonassarii, initium Olimpiadum, anni ab Urbe condita, anni Mundi, anni Christi, anni periodi Julianæ, & alia ejusdem generis, de quibus Petavius in *Doctrina temporum*, Sethus Calvisius in *Opere Chronologico*, *Tabulæ* Hervici, & rursum Petavius in *Rationario temporum*. Ad secundam pertinent situs Regionum, & Civitatum, earumque nomina antiqua, ut percipi possint, quæ in historiis leguntur. In utraque vero observandæ sunt diversæ scriptorum opiniones, in quibus discrepent, in quibus conveniant.

2. Secundo. Lectio Historiæ inchoanda est a veteri Testamento, pro qua proderunt Josephi antiquitates, Simonis Gortii in vetus Testamentum, Annales Tornielli, & Saliani, Calvisii Chronologia, & Chronicon Catholicum Simsonii. Quia vero discrepant in computo annorum textus Hebraicus, & versio LXX. Interpretum, scire oportet, quæ sit discrepantia, & unde proveniat.

3. Tertio. Pro Historia Ecclesiastica a Christo usque ad nostra tempora ita Baronium sequi oportet, ut alii etiam non omittantur. Videnda sunt ea, quæ adversus ipsum tam a Catholicis, quam a Sectariis scripta sunt, præsertim a Casaubono, & Blondello, & examinanda. Legendæ etiam Vitæ SS. & Historiæ particulares post ipsum scriptæ, notæ Petavii in Epiphanium, Historia Pelagianismi a Vossio, Usserio, Jansenio, & Henrico de Noris scripta, & notæ Valesii in Eusebium, Socratem, & reliquos antiquos. Non sunt etiam omittendi Critici recentiores, qui notas, & scholia in veteres scriptores ediderunt. Vitæ quoque Virorum illustrium a contemporaneis scriptæ; itemque Catalogi scriptorum Ecclesiasticorum, & hi denique, qui de rebus Germanicis, Francicis, Anglicis &c. Opera præclara ediderunt, quæ simul collecta habentur.

4. Quarto. Attente legendi sunt veteres, videlicet Eusebius, Socrates, Sozomenus, Evagrius, Theodoretus, Severus Sulpitius, Philostorgius, Scriptores Historiæ Augustæ &c. Ut autem veritas illucescat, ad illos recurrendum est, qui rerum gestarum pars magna fuerunt. Ideo de Baptismo Hæreticorum Cyprianus, de Arianis Athanasius, Basilius, Ambrosius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Lucifer Calaritanus; de Pelagianis, & Donatistis Augustinus legendi sunt. Consulenda sunt item de his Acta Conciliorum, Summorum Pontificum decreta, Imperatorum, & Regum rescripta, & alia antiqua monumenta, a quibus nonnunquam Historicorum lapsus corriguntur.

5. Quinto. Advertendum est, utrum Anthores de suis temporibus, & Provinciis loquantur, aut de præteritis, & remotis. Solent enim aliquando consuetudinem, quæ ipsis viventibus in propria Provincia vigebat, veluti antiquam, & universalem propugnare. Item observandum, an propriam causam agant, an affectu erga aliquem ducantur, an studio partium scribant: qua de causa suspectus est Eusebius in causa Origenis, & Gennadius in causa Semi-Pelagianorum.

6. Sex-

6. Sexto. Ponderari debet Scriptoris soliditas, sinceritas, diligentia, studium; an faciles fuerint, & nimium creduli, qua in classe collocari solent Joannes Damascenus, Gregorius Turonensis, & alii; an aliquis affectus amoris, vel odii, seu invidiæ, aut adulationis in iis appareat; an modo loquendi concitato utantur; bona ne, an mala fide, seu opinione aliqua præoccupati animum ad scribendum appulerint.

7. Septimo. Ad lectionem historiæ, non recreationis, aut fallendi temporis gratia, accedendum est; neque ut nobis rerum copiam in convictu hominum narrandarum comparemus: sed ut animum vera rerum notitia imbuamus, & verum ferre judicium possimus de rebus, & personis Ecclesiasticis, earumque jure, dignitate, & prærogativis.

8. Octavo. Attentius inspiciendi sunt hominum, de quibus agimus, mores, prudentia, simplicitas, modus agendi, affectus ad aliquam partem, ratio, & opportunitas, qua ad aliquid decernendum usi sunt: an aliqua contradictio, seu contestatio fuerit, an aliqua tolerantia pro ratione temporum. Quando, & quomodo cœperit Ecclesia divitiis abundare; quando, & qua occasione orta sint schismata, hæreses, & contentiones. Quomodo defecerit primævus rigor, & vetus disciplina. Observandæ controversiæ, quæ deinde fuerunt de ritibus, cæremoniis, prærogativis; quomodo excitatæ, & sopitæ fuerint. Notandæ sunt & differentiæ inter præsentem, & veterem Ecclesiam; earumque origo, progressus, & diminutio investiganda. Hæc enim omnia necessaria sunt ad acquirendam prudentiam, justumque judicium de rebus ferendum.

Eminentissimi S. R. E. Cardinalis JOANNIS BONÁ
Crisis Literaria.

Censura 116. Prophetiarum a Fr. Magistro Georgio de Senis, Ordinis Prædicatorum, collectarum, & perpensarum pro adventu Christi adversus Judæos.

1. DE Georgio isto Senensi silent omnes Bibliothecarum Scriptores; silent etiam Joannes Michael pius, & Leander Albertus, qui de viris illustribus Ordinis Prædicatorum spissa volumina ediderunt. Nec Antonius Senensis ejusdem Ordinis, & Patriæ ipsum enumerat inter Scriptores sui Ordinis in sua Bibliotheca; unde constat hunc Codicem & ineditum, & incognitum hactenus fuisse. Tempus, quo scriptus est, notat Author fol. 13. anno scilicet 1388 & fol. 44. a destructione Jerosolymæ factæ per Titum usque nunc, inquit, fluxerunt anni 1326. quibus si addas annos 71., vel 72. fiunt anni 1397. vel 1398.

2. Adversus Judæos multi scripserunt, sed nemo hac methodo usus est. Præcipuus fuit post SS. PP. Raymundus Martinus ejusdem Ordinis, cujus Pugio fidei adversus Judæos nuper prodiit Parisiis post quatuor secula e tenebris erutus, cum variis, & doctissimis observationibus Cl. V. Josephi Voisin Burdigalensis. Secuti sunt eum, id non assequuti Porchettus de Salvaticis Genuensis Ord. Carthusianorum, & Petrus Galatinus Franciscanus, quorum primus victoriam edidit adversus Judæos: alter, librum de arcanis Catholicæ veritatis; sicque ambo optima quæque ex Raymundo acceperunt. Solus Porchettus ingenue fatetur per quem profecerit. Galatinus plagium fecit; multa isti admiscuerunt ex nugis Thalmudistarum, & Cabalistarum, a quibus abstinet

abstinet Georgius noster: illi enim Hebraicæ linguæ periti, hic ignarus erat: nam *fol.* 16. audisse se ait ab uno Judæo, quod *Alma* scribitur cum litera *M* clausa, quod non erat necessarium a Judæo discere, si vel solos Hebraicos characteres agnovisset. Et fol. 18. Verbum hebraicum *Le marbe* (ad multiplicandum) *Le membre* perperam scribit. Ceterum Judæos ex Prophetiis egregie confutat, fidem liberans, qua initio operis se obstrinxerat.

Aliquot præcipuorum Ecclesiasticorum Anthorum
Censuræ breviter compilatæ.

Ex Tom. 1. *Græco-Lat. Biblioth. veterum PP. impresso Parisiis* 1624., *ubi sequentes sunt Authores.*

1. I*Gnatius* martyr scripsit Epistolas quindecim, quarum 12. legitimæ ab omnibus habentur: tres vero apocryphæ, duæ nimirum ad S. Joannem Evangelistam, & una ad B. Virginem: tametsi has quoque germanas agnoscat S. Beroardus *Serm.* 7. *in Psalm. Qui habitat.* Dionysius Carthusianus ad librum Areopagitæ de divinis nominibus; Sixtus Senensis *lib.* 2. *Bibliothecæ*, Petrus Canisius *lib.* 5. *de Maria cap.* 1. & alii. Sed nullus Bernardo antiquior eorum meminit. Certe lectu dignissimæ sunt. Alias Epistolas scripsisse censentur, quæ perierunt, ut monet Baronius *Anno* 109. *num.* 34. Obiit anno Trajani XI., Christi 110.

Maria Cassobolites, cui Epistolam quartam scripsit, creditur ea fuisse, de qua Paulus meminit *Epist. ad Rom. cap.* 16.

Ex Epistola X. ad Smirnæos quædam Theodoretus affert in *Eraniste Dial.* 1.; sed perperam citat eam, quæ ad Romanos est.

Cordi ejus nomen JESU inscriptum fuisse tradunt Antoninus 1. *Par. tit.* 7. *cap.* 1. & Vincentius Bellovacensis in *specul. Histor. lib.* 10. *cap.* 57. sed nescio quo fundamento, cum e corpore ejus nihil superfuerit, præter ossa. Tres primæ Epistolæ nusquam Græce conscriptæ repertæ sunt. In Epist. ad Trallianos primus SS. PP. Angelicarum Hierarchiarum ordines recenset.

2 *Athenagoras* Atheniensis, Philosophus Christianus scripsit primo Apologiam, sive legationem pro Christianis ad Imperatores Marcum Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum; itemque tractatum de resurrectione mortuorum. Apologiam scripsit anno 179.: enumerat gentium varios ritus in cultu Deorum. Christiani solo nomine auditi damnantur. Tria flagitia nostris imposita: Impietas, quæ Deos tollat: Epulæ Thiesteæ; Concubitus incesti. Hæc autem omnia elegantissime diluit. Plura de Deo, ejusque existentia. Cur Christiani ritu gentium non sacrificent. Adversus simulacra, flagitia Deorum, congressus Angelorum cum mulieribus, error Athenagoræ; itemque animas Gigantum ex Angelis procreatorum esse Dæmones illos, qui circa mundum oberrant. Innocentia, & vitæ puritas Christianorum. Summa cautione communicandum esse osculum, & non aliter, quam pia salutatio, vel potius adoratio quædam habeatur, quæ si vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, e vita æterna nos alienat.

De mortuorum resurrectione. Prius removenda falsa opinio, quam veritas doceatur. Ex Dei potentia, & voluntate probat resurrectionem; diluit objecta de corporibus a bestiis devoratis. Antropophagos dete-

detestatur. Ad quid homo creatus sit. Resurrectionem necessariam esse. Quædam de Divina Providentia, & extremo judicio.

3. Anno 170. *Theophilus* Patriarcha Antiochenus, vir sanctissimus, tres libros scripsit contra Christianæ Religionis calumniatores ad Autholycum, qui eloquentissimus inter Gentiles Commentarium ad ipsum conscripserat adversus Christianos. In his autem libris tum veritatem nostræ Religionis demonstrat, tum falsitatem redarguit ethnicæ superstitionis. Scripsit alia multa, de quibus Eusebius, & Hieronymus apud Baronium *an.* 170. *lib.* 1. Deum videre non potest peccatis irretitus. Pulchra de Dei natura, & attributis. Ex Divina providentia in singulis rebus Dei existentiam probari elegantissime ostendit. Fides necessaria etiam ante actiones humanas. Exemplis rerum naturalium probat resurrectionem mortuorum. *Lib.* 2. recenset Philosophorum, ac Poetarum absurdas de Diis suis sententias. Mundi creationem describit, & lapsum Adæ; itemque diluvium, & alia quædam. *Lib.* 3. falsa esse, & inutilia antiquorum Gentilium scripta, quorum præcipua recenset. Hostium calumniæ in Christianos de carnis humanæ esu, & de incestu. Similia in scriptis Philosophorum reperiri, ideo regerit in eos calumniam. Cur bonis mala accidant? Ex scriptura diluit præfatas calumnias, & ex moribus Christianorum; ex temporum serie nostræ Religionis antiquitatem adstruit.

Guillelmus Archi-Episcopus Tyri *lib.* 4. *de bello sacro* existimat hunc esse illum Theophilum, ad quem S. Lucas Evangelium, & Acta Apostolorum conscripsit. Sed hoc verisimile non est, quia S. Lucas Evangelium scripsisse creditur *an.* 58. Theophilus autem, ut ex Baronio, vitam prorogavit ad annum usque 182.

4. Anno 170. *Tatianus* Assyrius, Vir eruditissimus, ex Discipulo S. Justini Author Hæresis Encratitarum, idest continentium factus est. Scripsit orationem ad Græcos, quod nihil eorum studiorum, quibus glориantur apud ipsos natum sit, sed omnia a barbaris inventa; ejusdem est Diatessaron, sive concordia Evangeliorum, Ammonio Alexandrino perperam attributa. In oratione. Quas artes, quæ geotes invenerint, errores, & vitia Philosophorum perstringit, de Generatione Verbi, & principiis nostræ fidei, præsertim de resurrectione. Deos gentium irridet. Dæmones materiales facit, & pro modo materiæ agentes. Animam immortalem asserit, non natura, sed Dei beneficio. His erroribus nectit hæresim manifestam: nempe animas impiorum interire cum corpore, & in fine mundi resurgere æternis pœnis cruciandas. Citat librum suum de animalibus. Plura de Dæmonibus, eorumque malitia, & furore. Lectione sacrorum librorum conversus est Tatianus ad Christianismum.

5. *Hermias* Philosophus scripsit brevem orationem Gentilium Philosophorum. Argute, & eleganter contra Pythagoricam Metempsychosim invehitur; ac florido stylo, & facetiis referto antiquorum opiniones de principiis irridet.

6. *Gregentius*, Vir Sanctissimus, Archi-Episcopus Tephrensis in Regno Homeritarum, qui olim Sabæi apud Æthiopes, Dialogum scripsit, sive disputationem cum Herbano Judæo, qua Fides Christiani tum Divinorum Oraculorum expositione, tum miraculorum effectu confirmatur. Omnia dogmata inter nos, & Judæos controversa pertractat diligenter, & ea convincit. Palladius Scholasticus scripsit omnia verba hujus congressus, qui coram Rege, & Populo habitus est per dies

quatuor.

quatuor. Porro hæc disputatio lætissimum exitum habuit; nam rationibus convictus Herbanus se Christianum futurum promisit, si vivum videret Dominum Jesum. Sanctus vero Archi-Episcopus conceptis verbis oravit Dominum; statimque tonuit ad Orientem, & facta est admirabilis, & gloriosa Domini Jesu apparitio, cujus aspectu Infideles obcæcati sunt, ac deinde sacro baptismo illuminati. Omnes Hebræi illius Regni baptizati sunt: erant autem innumerabiles. Rex vero de consilio Archi-Episcopi sancivit, & edixit, ut omnes eorum tribus, & familiæ dissiparentur, & familiis Christianorum miscerentur, ut nemo illorum vel sibi uxorem, vel filiæ maritum ex suis, sed ex Christianis acciperent, sub pœna capitali. Sic paulatim Christianorum Nationi commixti sunt, & primæ Religionis obliti.

7. Anno 250. *Dionysius* Archi-Episcopus Alexandrinus doctrina, & sanctitate eximius plura scripsit, de quibus D. Hieronymus, & Eusebius mentionem faciunt. Extant duæ Epistolæ adversus Paulum Samosatenum, ejusque hæresim; altera ad Basilidem Episcopum. In prima Epistola notanda est vox *Homousii* ante Concilium Nicænum. Secundam Græci tamquam Canonicam receperunt: cum ejus tamen Dionysii mens non fuerit leges inviolabiles sancire, ut constat ex fine Epistolæ, de qua vide Baronium *an. 266. num.* 11.

8. Anno 434 *Proclus* Patriarcha Constantinopolitanus inter cetera scripsit Epistolam de fide ad Armenos, de qua vide Baronium *an.* 435.

9. Anno 657. *Theodorus* Presbyter Lauræ Rhaitu scripsit præparationem quamdam, & meditationem in ejus gratiam, qui scire cupit, quomodo Incarnatio Divina facta sit: & quæ ab Ecclesiasticis Patribus dicta sunt adversus eos, qui non recte de illa senserunt. Omnes Hæreses, quæ fuerunt de Incarnatione, enumerat, & Fidem Catholicam explanat.

10. *Zacharias* Scholasticus Christianus, & postea Episcopus Mitilenes disputationem, seu Dialogum scripsit de Mundi opificio contra Philosophos. Vixisse creditur ex conjectura Frontonis Ducæi in scholiis ad hoc opusculum anno Christi 536. Nomen autem *Scholastici* dignitatis est, & significat Advocatum, seu Patronum, ut Zonaras advertit in *Can.* 10. *Synodi Sardicensis*. Olim hoc nomine designabantur Rethores, & declamatores causarum fictarum; deinde a fictis litibus transiit ad veras. Vide Cornelium Tacitum *lib de Oratoribus*, & Plinium *Epist. lib.* 2. Posteriori ævo dicti sunt Scholastici illi Canonici, qui Clericorum Scholis præerant. Argumentum disputationis est, *Mundum non esse æternum, sed Dei opus*. Hanc autem veritatem evidentissimis rationibus demonstrat, solvens omnia argumenta, quæ a Philosophis in contrarium scripta sunt, vel scribi possunt: idque eleganter, docte, & subtiliter. Quædam addit in fine de resurrectione mortuorum. Asserit Angelos fuisse ante mundum corporeum.

11. Anno 869. *Theodorus Abucaras* Episcopus Cariæ varia scripsit Opuscula. Turrianus eum facit Discipulum S. Joannis Damasceni. Gretserus paulo post vixisse putat, tempore scilicet Photii Constantinopolitani, pro quo una cum Zacharia Chalcedonensi legatione functus sit apud Ludovicum II. Imperatorem, & Regem Franciæ, donec cognita Photii malitia partes Ignatii secutus est, & in octava Synodo admissi piaculi veniam impetravit. Primum Opusculum est de quinque inimicis, a quibus nos Christus liberavit; Dialogus inter Christianum, & infidelem, falso a quibusdam Chrysostomo tributus. Sunt autem

inimici

inimici mors, Diabolus, maledictio, seu damnatio legis, peccatum; & Infernus. Secundum, explicatio vocum, quibus Philosophi utuntur, & explicatio hæresis Acephalorum. Hic dicit Patrem non esse omnino, & totaliter Deum, quod sano modo intelligi debet, quia nimirum & Filius est Deus. Tertium, Dialogus cum Præfecto cursorum, qui petierat demonstrari sibi ratiocinatione Deum esse. Id belle ostendit; & differit etiam, cur Deus dicatur habere Filium. Quartum, confessio fidei. Alia Opuscula brevissima sunt contra Hæreticos, & Mahumetanos, sunt autem XLII. Opusc. 25. & 27. censet Deum non concurrere cum causis secundis ad producendum effectum, nisi quantum illis dedit in creatione vim agendi. Sunt qui existimant hunc Theodorum eumdem esse cum altero, de quo supra, sed falso.

12. Anno 1170. *Theorianus*, cujus solum nomen cognitum est, missus est legatus ad Armenos, ut eos instrueret de Fide Catholica. Scripsit autem colloquium, seu dissertationem hac de re habitam cum Catholico, (sive Principe Armeniorum (sic enim Armeniæ Dominus vocabatur, antequam Regis titulum, & dignitatem ab Ecclesia Romana accepisset) in qua docte, & erudite confutat omnes hæreses Armeniorum, præsertim de duabus naturis in Christo. Circa finem vocat Imperatorem Græcum, qui tunc erat Manuel Comnenus, cujus fuit hæc legatio, vocat, inquam, eum Generalem Armeniorum ἰσαπόστολον, parem Apostolis.

13. Anno 535. *Leontius* Advocatus Byzantinus, postea Monachus scripsit lib. de sectis ex ore Theodori Religiosissimi Abbatis in decem actiones divisum, in quo detegit, examinat, confutat omnes hæreses Hebræorum, Samaritanorum, & Christianorum usque ad Concilium Chalcedonense; agitque præcipue contra hæsitantes, qui Synodum prædictam, & doctrinam de duabus in Christo naturis nolebant admittere. Actione octava dubitat, an Gregorius Thaumaturgus aliqua scripserit. Cyrilli scripta ab impio Dioscoro depravata fuisse inquit.

14. *Constantini Harmenopuli*, Sebasti Nomophylacis, & Judicis Thessalonicensis extant duæ breves lucubrationes, una de opinionibus Hæreticorum, qui singulis temporibus extiterunt, ab Arianis usque ad Donatistas, & Massilianos: altera de Fide Catholica.

15. Anno 380. *Cæsarius* Vir sapientissimus, Frater Gregorii Theologi, ut ait Photius, quamvis neget Billius *in argumento Orat. X. Gregorii Nazianzeni*, Dialogos 4. scripsit de Fide Catholica, continentes 195. interrogationes cum suis responsionibus. Dialogo 1. disputat de Sanctissima Trinitate, de Angelis, de operibus sex dierum, de quibusdam meteoris. 2. De generatione, quod terra non sit animata, contra Astrologos judiciarios diffuse, & docte; de moribus gentium, de Iride. *Christus in Cruce Iris est, & portendit animæ serenitatem*. 3. De diebus, & seculis, mutationibus Lunæ, Jobo, Adamo, de Christo, de homine, ejusque generatione, natura, & præstantia &c. 4. multa loca Evangelii explicat. Porro notandum, quod in his Dialogis adsunt aliquæ sententiæ, & opiniones juxta seculum nostrum non admodum sanæ; sed parcendum Cæsario, cujus tempore forte erant toleratæ. Dialogo 1. interrogatione 48. asserit Angelos habere quædam corpora subtilia, sicut ignis, & aer; negat tamen eos rem habuisse cum mulieribus. Dialogo 3. ad interrogationem 102. putat Adamum stetisse in Paradiso quadraginta diebus, atque adeo institutam esse Quadragesimam, ut jejuniis expiati eo revertamur, unde lapsi sumus. Sunt ibidem pulcherrima paralella

 Christi,

Christi, & Adami. Interrogatione 176. S. Joannem Evangelistam præfert Baptistæ diffuse, & eleganter. Ad interrogationem ultimam Dialogi 4. Judæos negat esse salvandos in fine mundi; & loca scripturæ, quæ de hac re afferuntur, spiritualiter interpretatur. Ancillam, ad cujus vocem Petrus negavit Dominum, Ballilam vocat interrogat. 177. & 192.

16. Anno 570. *Dorotheus Archi Mandrita* Doctrinas, sive sermones 24. scripsit valde utiles, spiritualis vitæ praxim edocentes, & omnem monasticam disciplinam, quamvis earum aliquæ sint censura dignæ. Duo fuerunt Dorothei, unus Acephalorum propugnator, alter Orthodoxus, ut notat Theodorus Studites *in sua confessione*, quem Bellarminus vixisse putat seculo IV. Alii Synchronum faciunt Magno Gregorio, scilicet circa finem seculi VI. Doctrina quarta de divino timore innuit nullo modo haberi posse timorem filialem, quin præcesserit servilis, quod est falsum, ut patet in subitaneis justificationibus, & cum quis per Sacramenta justificatur. Doctrina nona ait licere aliquando verba commutare, & æquivocis uti in casu necessitatis. Doctrina decima, censet aliquos peccatores non posse pœnitentiam agere, nisi adjuventur precibus alicujus S. Viri. Doctrina decima tertia videtur sentire, quod impuræ cogitationes etiam invitum, & nolentem pertrahant ad actionem peccati. Alias scripsit Epistolas consolatorias, & paræneticas ad fratres tentationibus oppressos. Ceterum cum Dorotheus Discipulus fuerit S. Barsanuphii Eremitæ, qui, ut docet Baronius, vivebat an. 548. consequens est vixisse circa finem VI. seculi; Bellarminus autem, qui IV. seculo eum adscribit, fortassis lapsus est, quod Monasterium S. Dorothei ab Hæreticis profanatum fuisse legitur tempore Hormisdæ Papæ factione Petri Pseudo-Episcopi Apameæ; sed non fuisse hujus Dorothei illud Monasterium, certissimum est, sed alterius Dorothei martyris, qui sub Juliano Apostata, cum esset Presbyter Tyri, martyrio in Syria coronatus est.

17. Anno 430. *Marcus* Eremita, Sanctissimus vir, cui Sanctam Communionem Angeli ministrabant, ut refert Palladius, multa Opuscula scripsit, quorum aliqua exstant, videlicet decem, quæ, ut credere par est, ab Hæreticis depravata fuerunt, nam multis scatent erroribus; quare cautissime, & cum acri judicio legenda sunt. Hic Marcus cognominatur græce athleta, latine *exercitator*. Primum Opusculum est de Paradiso, & lege spirituali per interrogationes, & responsiones, in quo nimium obscure loquitur de gratia Dei, labique videtur in errorem Pelagii. Secundum continet capitula, sive sententias 201. de lege spirituali. Tertium de his, qui se putant ex operibus justificari, ducentis, & undecim sententiis comprehensum. Perperam indicat Regnum Cœlorum non mercedem, sed gratiam esse; cum & gratia, & merces revera sit: sunt & alii errores. Opusculo sexto sunt præcepta animæ salutaria ad quemdam Nicolaum. Habitum Monasticum Angelicum vocat, & ipsum ordinem Angelicum. Optima sunt hæc documenta, & lectu dignissima. Opusculo septimo Capitula quædam ad temperantiam pertinentia. Hic liber valde sublimis est, & difficilis, styloque a ceteris diversus. Inter eos, qui mystica de Theologia documenta tradiderunt, locum non infimum habere debet. Notatur in margine, ac si aliquam stoicam apathiam inducere videatur, doceatque in justis peccati fomitem posse prorsus extingui; sed qui ejus verba cum Magni Dionysii Areopagitæ mystica Theologia contulerit, invenier

procul

procul dubio nihil alienum a Fide Catholica in hoc Scriptore contineri. Ob styli diversitatem dubitari potest, an idem sit Author hujus Opusculi, & cæterorum; est autem in fine mutilum, & aliqua desunt. Sententiæ autem, quæ notantur, sunt 4. 5. 11. 12. Opusculum octavum est Epistola Nicolai ad Marcum, gratias agentis ob præcepta salutaria transmissa. Opusculum nonum disputatio cum seculari quodam Causidico. Docet Christiano illicitum esse eum, qui tulit injuriam, in jus vocare: sed hoc falsum est; nisi forte velit dicere hoc esse consilii, & perfectionis. Vel loquitur de eo, qui ex odio, & mala voluntate litigat.

18. Anno 400. *Hesychius* Presbyter centurias duas animæ perutiles scripsit, de temperantia, & virtute, sive de ratione reluctandi, atque precandi. Quo tempore vixerit, incertum est. Apud Augustinum habetur Epistola Hesychii de die novissimo, cui S. Pater docte respondet. Sed ille erat Episcopus, & vivebat anno 419. & hic Presbyter nuncupatur; hoc solum Opusculum ad quemdam Theodulum dirigit. Stylo utitur non admodum claro; sed optimis documentis abundat, attente, & satis caute legendus. Multa hic habentur ad mysticam Theologiam pertinentia.

19. Anno 614. *Antiocus* Vir sanctus, & doctus, Monachus Palæstinus fuit in Laura S. Sabbæ Abbatis, vixitque sub Heraclio Imperatore, & cladem Hierosolymitanam vidit, cum Urbe capta lignum S Crucis in Persidem abductum est. Scripsit Homilias 130. stylo satis eleganti, sed conciso, rogatus ab Eustathio Præposito Monasterii Atalinæ Civitatis Ancyræ Galatiæ; qui quod cum suis sæpe locum mutare cogeretur ob incursiones Saracenorum, nec libros secum deferre posset, petierat ab eo epitomem quamdam sacrarum Scripturarum; ideo inscribi solent hæ Homiliæ: *Pandectes scripturæ divinitus inspiratæ*. Explicat ipse Antiocus suum institutum in hoc opere conscribendo, tum in Epistola dedicatoria ad præfatum Eustathium, tum initio homiliæ 66. Notatur hic quoque de errore Apathiæ: sed revera Apathiam sumit pro tranquillo statu animi compositi, & sedati ab imperio tumultuantium passionum. In Epistola dedicatoria destructionem Lauræ describit a Saracenis factam, & martyrium Monachorum. Porro Lauram vocant Græci insigne Monasterium pro magna hominum copia, qui instar aquarum multarum eo confluunt. In Prologo explicat allegorice sententiam canticorum 6. & 7. Per Reginas, intelligit libros Sacræ Scripturæ. Per Concubinas, scripturas apocryphas. Per adolescentulas, quarum non est numerus, scripta Patrum Orthodoxorum. Homilia 51. ait, quod Eliphaz erat Frater Patris Job. Homilia 61. duo Angeli dati sunt nobis, unus bonus, alter malus. Homil. 122. narrat factum S. JOANNIS EVANGELISTÆ, qui juvenem cuidam Episcopo commisit erudiendum, idque ex Irenæo, apud quem non extat, ut vel ex hoc colligas multa Irenæi opera periisse.

Ex Tom. II. Græco-Latinæ Bibliothecæ veterum PP. Parisiis 1624.

20. *Jacobi* Apostoli Fratris Domini Liturgia. Hanc antiqui PP. ut vere Catholicam approbarunt. Plura ex ea contra Sectarios de ritibus, & cæremoniis Ecclesiæ. Legendus Sixtus Senensis *lib. 2. Bibliotb.* & Jacobus Pamelius *in Liturgicis*. Quædam ex hac in suam Catechesim quintam transtulit S. Cyrillus Hierosolymitanus.

21. Anno 720. *S. Germani* Constantinopolitani Patriarchæ Historia Ecclesiastica, & mystica contemplatio rerum Ecclesiasticarum, & alia Opuscula. Hic scriptor existimat adventum Domini ad judicium futurum anno Mundi 6500. citatque pro hac re Hippolythum Romanum, & Cyrillum.

22. Anno 650. *S. Maximi* de Ecclesiastica Mystagogia &c. omnibus fere capitibus Beatum Senem commemorat, quem existimo esse Dionysium Areopagitam in libro de Ecclesiastica Hierarchia, in quem ipse S. Martyr edidit scholia. Pertinet hic tractatus ad Theologiam Symbolicam.

23. *Nicolai* Episcopi Methonensis &c. Fuit & hic Schismaticus, ut infra Cabasilas.

24. Anno 1300. *Nicolai Cabasilæ* Schismatici expositio Liturgiæ. Non caret erroribus recentioris Græciæ; seque infensum ostendit Ecclesiæ Latinæ cap. 29. & 30. Gentianus Hervetus ejus interpres conatur ipsum excusare in Præfatione, sed æthyopem lavat. Capitibus citatis perperam existimat non confici Eucharistiam solis verbis consecrationis; sed aliis, quæ in Græcorum Liturgiis apponuntur. Aliud opus ejusdem de vita in Christo satis pium.

25. Anno 1050. *B. Samonæ* Gazæ Civitatis Archiepiscopi disceptatio cum Acmet Saraceno de Sacramento Eucharistiæ. Optime Fidelem instruit rationibus naturalibus, & docet hoc mysterium & possibile, & convenientissimum esse.

26. Anno 1200. *Nicetæ* fragmentum ex lib. 20. Thesauri Orthodoxiæ de ordine, & ritibus, qui observantur, cum quis a Saracenismo ad nostram fidem convertitur. In anathematismis continentur insigniores nugæ, & blasphemiæ Alcorani. Sequitur narratio de ortu Mahometh, ex Theophanis Monachi Chronographia, & ex Anastasii Bibliothecarii Historia: itemque confutatio dogmatum Saracenorum ex Eutymii Zigabeni Panoplia *part.* 2. *tit.* 24.

27. Anno 1360. *Philothei* Patriarchæ Constantinopolitani in eximios Confessores, & DD. Basilium Magnum, Gregorium Theologum, & Joannem Chrysostomum laudatio. Serm. elegantissimo hanc Trinitatem Patrum, ut ipse ait, eorumque virtutes laudat, celebrat, exornat. Duplicem atheismum esse dixit: unum Ethnicorum, alterum Hæreticorum. Istos SS. PP. pares Apostolis vocat, & exprimit eorum dicendi characterem.

28. Anno 224. *S. Hippolythus* Martyr, Episcopus Portuensis scripsit elegantem orationem Græce de consummatione Mundi. Quod ex hac oratione citat Germanus supra relatus, in ea non reperitur. Censet Joannem Evangelistam adhuc vivere: & Antichristum futurum hominem phantasmaticum, seu potius Diabolum, qui ex impura muliere prodibit.

29. Anno 480. *Nemesius* Episcopus Emesæ Urbis in Phænicia, Philosophus Platoni nimium addictus scripsit lib. de natura hominis. Extat carmen Nazianzeni ad Nemesium; sed, an iste sit, incertum. Conjiciunt aliqui eum vixisse ante Imperium Justiniani; nam censet animas ante corpora existere, qui error damnatus est in Synodo Constantinopolitana sub præfato Imperatore cap. 41. Peccatum Angelorum fuisse, quod res terrenas concupierint, falso existimat. Hic liber a quibusdam Gregorio Nysseno perperam tribuitur. Quidam etiam hunc Nemesium cum Nemesio Ethnico confundunt, sed falso: hic enim Episcopus est, ille Ethnicus.

30. An-

30. Anno 400. *S. Asterius* Episcopus Amaseæ. Extant ejus quinque Homiliæ dulcissimi styli in Bibliotheca PP., citatur in actis secundæ Synodi Nicænæ. Est autem Amasea Civitas in Ponto, Strabonis Patria. Hom. 3. Apostasiam Juliani commemorat, eamque contigisse dicit sua ætate. Hom. 4. narrat, quomodo olim Kalendis Januarii dabantur munera, fiebant discursus per domos, fausta precantium. Nihil dantes verberibus per summam licentiam afficiebantur, personati homines incedebant, ut apud nos in Bacchanalibus, quæ vitia vir Sanctus acriter reprehendit.

31. *Titi* Bostrensis Episcopi Expositio in Evangelium Lucæ. Lege Guillelmum Cave; & adde, quod ad *cap. 2. vers. 35.* ait B. Virginem de Christi Resurrectione dubitasse, quod falsum est; ad *cap. 9.* multiplicem Magdalenam distinguit.

In aliquot Scriptores Ecclesiasticos Bibliothecæ PP. editionis 4. Parisiensis 1624. Tom. 1.

32. *Junilii* Episcopi Africani de partibus Divinæ Legis Lib. 2. ad Primasium Episcopum, quos accepisse se dicit ex scriptis cujusdam Pauli Persæ, qui in schola Syrorum in Nisibi Civitate eruditus fuerat: ibi etenim scriptura exponebatur publice, sicut in scholis Græcorum Grammatica, & Rhetorica. Eruditissimus est hic libellus, sensu profundus, eloquio dulcis, ad modum Dialogi conscriptus; ei, qui voluerit divinæ Scripturæ studio incumbere, necessario perlegendus.

33. Anno 480. *Mosis Bar-cephæ* Syri Episcopi in Betharaman, & Bethceno, ac Curatoris rerum sacrarum in Mozal, hoc est in Seleucia Parthorum, commentaria de Paradiso ad Ignatium. Conjectura non levis est hunc vixisse non multo post Chrysostomum, quod eum citer sine ulla honoris præfatione. In Præfatione memorat se scripsisse in Hexameron. Citat passim Philoxenum Mabugensem Episcopum. In sermone de arbore vitæ Jacobum Orrohaitam de Theologia; Jacobum Sarugensem de Adamo, & de Christi passione; Jacobum Bethanensem oratione de Adamo ejecto de Paradiso; Severum oratione de Epithronio; atque iterum Philoxenum in Capitulis contra Diodorum. Citat etiam commentaria cujusdam Julii in Joannem. Andreas Masius hunc librum de syriaco latinum fecit. Erravit autem Moses in quibusdam: putavit enim animas ante diem judicii in terrestri Paradiso detineri: non statim habuisse Adamum rerum omnium cognitionem; in statu innocentiæ non futuram generationem per commixtionem maris, & fœminæ: Diabolum cum serpente occultam quamdam indolis similitudinem habuisse: Angelos ante Mundum corporeum creatos fuisse. *Par. 1. cap. 20.* citat Numysium Philosophum Christianum, qui Author ignotus est. Putassem esse Nemesium, de quo supra; sed verba citata in ejus opere, quod extat, non reperiuntur.

34. *Salonii* Episcopi Viennensis in Gallia Opuscula. Hunc Episcopum fuisse certum est; sed an fuerit Viennensis dubitat Baronius *anno* 144. Erat filius legitimus S. Eucherii, frater Veranii item Episcopi. Scripsit Dialogos 2. inter ipsum, & Fratrem, in quorum primo mystico exponit Parabolas Salomonis; in secundo Ecclesiastem. In primo vocat hæreticos Angelos Satanæ. In cap. 6. Eccles. dicit ordines Angelorum fuisse decem, & decimum cecidisse: sed contra Theologi docent ex quolibet ordine quosdam peccasse.

35.

35. Anno 374. *Philo* Carpathiorum Episcopus scripsit Commentarium in Cantica, in quo multa reperiuntur totidem verbis in Commentario S. Gregorii Magni posita, inserta ab aliquo Philonis operi.

36. Anno 700. *Aponius* Scriptor Latinus, & elegans scripsit Commentaria in Cantica Canticorum, in quibus explicat exactissime nuptias Christi, & Ecclesiæ. Supersunt dumtaxat lib. 6. ab initio usque ad vers. 7. cap. 4.; reliqua interierunt, nisi quod quidam Lucas Abbas Montis-Cornelii, Ordinis S. Benedicti Summaria ex integro Aponii Commentario collegit, quæ adhue extant. Citatur Aponius ab Angelomo, qui vivebat anno 850. Quidam autem conjiciunt Aponium vixisse initio seculi 8. *semel lapsus in hæresim quotidie multa, & falsa invenit. Lib. 2.*

37. Anno 460. *Victor* Presbyter Antiochenus scripsit literale Commentarium in Evangelium S. Marci. Ejus Interpres Theodorus Peltanus conjicit eum vixisse circa tempora Juliani Apostatæ, quod in *cap.* 13. dicat suo tempore superfuisse reliquias templi Hierosolymitani, quas sub Juliano omnino disjectas cœlesti portento fuisse Historia Ecclesiastica commemorat.

38. *Theoduli* Presbyteri Cœlesyriæ Commentarius in Epistolam ad Romanos. Gennadius asserit hunc vixisse anno 490. At in hoc Opere citantur multi Authores, præsertim Photius, & Oecumenius, qui post annum 800. vixerunt; quare perperam Theodulo attributum videtur. Constat autem fere totum ex Oecumenii catena desumptum esse.

39. *Clementis* Alexandrini in aliquot Epistolas Canonicas adumbrationes, quæ quibusdam non carent erroribus, quos immissos ab Hæreticis existimant eruditi. Porro Gelasius in Concilio Romano hujus Authoris opera inter apocrypha numeravit.

40. Anno 303. *S. Victorini* Episcopi Pictaviensis, & Martyris brevis Commentarius in Apocalypsim. Hunc S. Hieronymus inter Chiliastas enumerat *in cap. 36. Ezechielis*. Hoc autem opus alicujus audacia, additionibus, & mutationibus variatum videtur. Censet animas non videre Deum ante judicium: Hieremiam non esse mortuum, sed venturum cum Elia adversus Anti-Christum: Neronem quoque non esse mortuum, sed futurum Anti-Christum: sed clarius circa finem illum quidem mortuum asserit, a Deo autem suscitandum, & venturum in fine Mundi.

41. Anno 680. *Juliani* Archi-Episcopi Toletani Commentarius in Nahum Prophetam, cui plura desunt; nam quatuor dumtaxat versus satis diffuse, & eleganter exponit secundum literalem, & mysticum sensum.

42. Anno 835. *Claudii* Episcopi Altissiodorensis doctissima enarratio in Epistolam ad Galatas. Admonet Joannes Tillius in antiquissimo Codice MS. hoc opus titulum præferre Claudii Episcopi Taurinensis Iconoclastæ. Author vero in Præfatione ad Abbatem Drutteranum se Claudium peccatorem intitulat; erat enim Monachus Discipulus Bedæ; dicitque se collegisse hoc Commentarium ex dictis SS. Augustini, & Hieronymi, atque asserit se vixisse in Aula Ludovici Regis, & Imperatoris.

43. *Primasius* Episcopus Uticensis in Africa; stylus ejus dulcis, & temperatus.

44. Anno 500. *Andreæ* Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ Commentaria in Apocalypsim. Quo tempore vixerit, incertum. Putavit Sanctos non videre Deum ante judicium. Inscribit lib. cuidam Macario, divi-

ditque

ditque in fermones 24. & Capitula 72. cap. 53. citat D. Hippolytum de duratione Mundi per annos 6000. Initio autem dixerat illum fcripfiffe fuper Apocalypfim: non igitur mirum, fi hæc Hippolyti fententia in oratione de confummatione feculi non invenitur. Vel dicendum duos fuiffe Hippolytos. Inter eos, qui fcripferunt in Apocalypfim, numerat in Præfatione Papiam, Irenæum, Methodium, Gregorium Theologum, & Cyrillum Alexandrinum.

Ex Tomo II. ejufdem Bibliothecæ PP.

45. Anno 386. *S. Gaudentii* Epifcopi Brixienfis fermones, five tractatus in varia Scripturæ loca &c. fermone 10. opinatur fexto millenario finem Mundi futurum.

46. *S. Simeonis Stylitæ* fermo de femper mente complectendo fuum cuique difceffum. Cum duo fuerint Simones Stylitæ, forfitan hic fermo Junioris erit, cujus quædam fcripta recitantur *Act. 5. Concilii II. Nicæni.*

47. *S. Cæfarii* ex Monacho Lirinenfi Arelatenfis Epifcopi fermones, five Homiliæ. Trithemius putat eum vixiffe poft S. Benedictum, deceptus quibufdam fermonibus ei perperam attributis, in quibus citantur SS. Gregorius, & Ifidorus. Legendus Baronius *Tom. 6.* Frequentiffimus eft hic Sanctus, ac pene totus in commendandis eleemofynis, eafque ad falutem neceffarias exiftimat omnibus, qui habent, unde pauperi fuccurrant. Immo homil. 2. ait jejunium fine eleemofyna nullum bonum effe, nifi quis fit ita pauper, ut non habeat omnino quod tribuat; fed eft hyperbole. Quædam ex hifce Homiliis Eucherio Epifcopo Lugdunenfi tribuuntur, quædam D. Auguftino.

48. Anno 1120. *Theofridi* Abbatis fermones duo &c. Afferit in fine fermonis fecundi non futuram perfectam Sanctorum beatitudinem, nifi poft judicium.

49. Anno 260. *S. Zenonis* Epifcopi Veronenfis, & Martyris fermones. Quidam ex his fermonibus Græce reperiuntur inter homilias Sancti Bafilii, nempe fermo in illud: *Attende tibi*; fermo de duplici tentationum fpecie, fermo de livore, & jejunio. Quidam fuper Pfalmos defcripti funt in Commentariis S. Hilarii, forte ab aliquo iis inferti. Nonnulli item alii Sancti Zenonis effe non poffunt, in quibus errores Arrii confutantur, qui pofterior ipfo fuit. Stylum habet ubique magnificum, & elatum; omnes materias, de quibus agit, eleganter pertractat; abundat defcriptionibus, & omnibus eloquentiæ nitoribus.

50. Anno 1110. *Berengofius* Abbas S. Maximi extra muros Trevirorum, quædam opufcula fcripfit multa pietate & eruditione referta. Affectat ubique claufulas fimili definentia in medio, & fine cadentes, ficut Philippus Abbas Bonæ-Spei.

51. *Jufti* Abbatis Ordinis Ciftercienfis, de quo Cavius filet, & qui vixit feculo XIV. fermo habitus in Conventu Abbatum, & Epifcoporum ejufdem Ordinis. Reprehendit acerrime, & deplorat ruinam Ordinis, quam ortam fuiffe dicit ex fuperbia, & fuperfluitate ædificiorum, & nimia avaritia, & ftudio cumulandi divitias, ex ambitione, qua plerique ad Epifcopatus promovebantur. Oftendit vix fieri poffe, ut Monafticam Regulam obfervent Epifcopi: *Excepta*, inquit, *voluptate carnis habemus omnia, in quibus bonum temporale confiftit. Voluptatem porro in aliquibus reprimit timor Dei, in aliquibus timor infamiæ, in pluribus vero appetitus honoris*; & infra: *Mementote Ordinis noftri, qui per majorem aufteritatem, quam*

olim

olim habuit, Antonomastice vocatur Ordo. Divitias aggregare, Dignitates ambire, negotiationes exercere, fora frequentare sine prævaricatione nostri Ordinis non possumus Mundo enim specialius, quam ceteri renuntiavimus. Gentes scandalizantur in nobis dicentes: apud Cistercienses omne, quod libet, licet; quod licet, possunt: quod possunt, faciunt. Ad finem hujus sermonis notatum est paucos respondisse *Amen*, quod indignatione pleni erant. Tunc Justus ait: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*. Proverb. 27. 6.

52. Anno 1140. *Drogo* Abbas, & postea Episcopus Ostiensis fuit æqualis D. Bernardo, ad quem scripsit Epist. 34. & de quo sunt Epist. 32. & 33. Hic enim ex Monacho nigro factus est Cisterciensis in Monasterio Pontiniacensi, de qua re scribit Bernardus locis citatis. Vide Tom. I. Annal. Cisterc. Scripsit librum elegantem de Sacramento Dominicæ Passionis ad modum meditationis, & soliloquii devotissimi, aliaque Opuscula, de quibus in Bibliotheca PP.

53. *B Theodori Studitæ* Abbatis, & Confessoris Opuscula. Vide Sirmondum. Libri quinque Epistolarum ejus sunt in Bibliotheca Vaticana.

54. Anno 850. Nicephori Cartophilacis Epistolæ 2. ad Theodosium Monachum, & inclusum Corinthi, continentes quarumdam quæstionum solutiones. In secunda Epistola meminit septimæ Synodi, & Canonum, quos collegit Joannes Jejunator. Ex his conjicio vixisse hunc circiter annum 820.

55. Anno 360. S. Paciani Barchinonensis Episcopi, viri castigatæ eloquentiæ, Epistolæ tres adversus Novatianos ad Sympronianum ipsius hæresis fautorem. Doctissime autem, & elegantissime dogma Novati confutat. Epist. 2. dicit: linguas, sive idiomata esse 120. Sequuntur alia duo opuscula, inter quæ sermo de baptismo, in quo ait, quod Catechumeni olim competentes dicebantur.

56. Anno 430. *Bachiarii* Epistola ad Januarium de recipiendis lapsis. In hac Salomonis pœnitentiam, & salutem adstruit, & Samsonem Martyrem fuisse dicit.

57. Anno 1294. *Athanasii* Patriarchæ Constantinopolitani Epist. 8. (de quo silentium apud Guillelmum Cave) de necessaria Episcoporum residentia. De hoc agit Nicephorus Gregoras *Hist. Rom. lib. 6. c. 11.* y. Vixit sub Andronico, detruso in carcerem Porphyrogenito ejus Fratre.

58. Anno 1125. *Hildeberti* Cenomanensis Episcopi, postea Turonensis Archi-Episcopi Epist. 82. styli elegantia, urbanitate, & suavitate præcipuæ. Amicus erat S. Bernardi, ut ex Epistolis utriusque constat. Narrat Petrus Blesensis *Epist. 102.* quod cum puer esset, has Epistolas eruditionis gratia discere cogebatur a Magistro; & revera dulcissimæ sunt. Epistola 21. meminit Concilii Barensis contra Græcos, de quo altum apud alios silentium. Vide Edinerum *lib. 2. de Vita S. Anselmi*. Epistola 24. narrat Insulam S. Honorati ipso die Pentecostes cæsis Monachis, & everso Monasterio a Pyratis devastatam, paucosque Monachos in Turri esse salvatos. Epist. 60. asserit Sacerdotem, qui ad defensionem propriæ vitæ latronem occiderat, non debere amplius ministrare; & addit: Christianum non debere aliena morte sibi vitam quærere, idque authoritate S. Ambrosii. Ep. 64. monet Abbatem, ut pravam tollat consuetudinem Eucharistiam nonnisi intinctam porrigendi: Christus enim Apostolis Corpus, & Sanguinem seorsum dedit. Epistola 82. Appellationes ad Papam non approbat semper. Scripsit Hildebertus exceptiones regula-

rum

rum Ecclesiasticarum ex Conciliis, & Epistolis Romanorum Pontificum, & ex tractatibus Orthodoxorum PP. incipiens a fide. Hujus Operis præfatio habetur post Epistolas.

59. Anno 1082. Alexii Comneni Græcorum Imperatoris (de quo Cavius tacet) Bulla aurea, sive rescriptum de donariis, & rebus sacris, ne quis ea temere contrectet, etiamsi urgeat extrema necessitas. Petit autem veniam, quod ipse bona fide acceperit, ærario exhausto: & fatetur se ob id in multa mala incidisse.

60. Anno 620. *S. Aldhelmi* Episcopi Schiriburgensis in Anglia, sive Occidentalium Saxonum lib. de Laudibus Virginitatis; stylo utitur tumido, & affectato, qualis est stylus Apuleii, & Fulgentii Planciadis. Abundat descriptionibus, verbisque scatet inusitatis, ac prorsus insolentibus. Cap. 6. hujus libri ait, se fidei rudimenta, & baptismum a S. Gregorio M. suscepisse. Cap. 15. laudat S. Benedictum. Ibidem falso asserit licere se occidere ob defensionem castitatis. Celebrat satis diffuse Virginitatem, pluraque affert exempla virorum, & mulierum, qui virgines fuerunt.

61. Anno 520. *Fausti* Regiensis Episcopi in Gallia Epistolæ. Ecclesia Regiensis ut Sanctum hunc colit, ut notat Baronius *in Appendice Tom.* X. *ad annum* 490. sed ejus doctrina damnata est, & forsitan cognita veritate se retractavit. Inter errores Fausti hic numeratur; nihil præter Deum esse incorporeum asserit ipse Epist. 16. & 17. satis prolixa, & insulsa disputatione. Contra Fausti errorem scripsit Claudianus Mamertus Presbyter Viennensis in Gallia.

62. Anno 520. *Ruricii* Lemovicensis Episcopi Epistolarum libri 2. Fuit Synchronus Fausti, nam multas sibi vicissim scripserunt Epistolas. Epistola IV. lib. 2. Parentes de morte Filiæ eleganter, & artificiose consolatur. Epist. 25. commendat Sidonii Apollinaris scripta, eorum damnans obscuritatem.

63. Anno 575. *Desiderii* Episcopi Cadurcensis Epistolarum liber unus. Vixit temporibus Sigeberti, & Dagoberti Regum. Epistola 2. invitat plures Episcopos ad Dedicationem Basilicæ, quam cum Monasterio ædificaverat. Continet hic liber Epistolas 16. Desiderii, & 21. aliorum ad ipsum. Prima est Sulpicii Bituricensis Episcopi.

64. Anno 995. *Fulberti* Carnotensis Episcopi Epistolæ, & alia Opuscula. Obiit anno 1028. 3. Idus Aprilis. Scribit Willelmus Malmesburiensis *lib.* 3. *de gestis Anglorum*, ipsum ægrotum sanatum fuisse a Beatissima Virgine lacte mammillarum suarum. Cum esset in extremis inter plures sibi adstantes vidit Berengarium, jussitque expelli, quod immanis Draco apud ipsum consisteret, narrat idem Malmesburiensis. Sunt Epistolæ Fulberti 134. De Sacramento Eucharistiæ eleganter Epist. 1. Epistola 6. vocat Odilonem Abbatem Cluniacensem Archangelum Monachorum, & plures ad eum scribit Epistolas. Epist. 95. & seqq. narrat, quod tempore Roberti Regis in Aquitania sanguinem pluit; de quo prodigio idem Rex Fulbertum, & Archiepiscopum Bituricensem consuluit. Serm. 2. de Nativitate B. M. V. asserit S. Joannem Evangelistam resuscitasse, & esse in Cœlo in corpore, & anima.

65. Anno 1160. *Arnulphi* Episcopi Lexoviensis Epistolæ 87. Vixit tempore Alexandri Papæ III. stylum habet dulcissimum, & nitidissimum. Epist. 49. ad Henricum Cardinalem Pisanum damnat obscuritatem Ennodii Ticinensis, ejusque licentiam in Metris; potiusque Innodium debere appellari, quam Ennodium. Epistola 55. habetur sermo

elegantiſſimus habitus ab Arnulpho in Concilio Turonenſi. Poſt Epiſtola 72. habentur quædam ejus poemata.

66. Anno 840. *Lupi* Abbatis Ferrarienſis Monaſterii in Diæceſi Senonenſi Epiſtolæ ad Hiſtoriam illorum temporum maxime utiles. Sunt autem 127. Epiſtola 25. *Clerici Palatii dominium Cœnobiorum ſibi optabant, ut ſuæ avaritiæ ſervorum Dei oppreſſione ſatisfacerent*. Sunt multæ quæſtiones de Proſodia.

67. Anno 996. *Gerberti* primo Rhemorum, deinde Ravennatum, poſtea Romani Pontificis Silveſtri II. Epiſtolæ 160. ante Papatum ſcriptæ. Fuit autem Monachus Floriacenſis, & Abbas Bobienſis. Sequuntur Epiſtolæ Stephani X., Nicolai II., & Alexandri II. Romanorum Pontificum ad Gervaſium Rhemenſem Archiepiſcopum. Spectant omnes ad negotia, & hiſtoriam illorum temporum.

68. Anno 1165. *Stephani* Abbatis S. Genovefæ Pariſienſis, poſtea Tornacenſis Epiſtolæ 240. de quibus vide editionem poſtremam Claudii du Molinet. Epiſtola 160. primæ editionis, ſecundæ vero 141. Hortatur Rhemenſes Canonicos, ut communiter vivant, ſicut hactenus fecerunt. Epiſtola 165., quæ ſub num. 147. a dicto Molinet poſita eſt, petit plumbum ab Epiſcopo pro tecto Eccleſiæ, & ait: *Anglico plumbo teguntur Eccleſiæ, nudantur Romano*; quod improprie fere dictum, uti & quod in Epiſt. 146. nov. edit., veteris vero 164. circa finem dicit: *ut qui aliquando Romanum conſueviſtis emere plumbum, in coemendo plumbo Anglico & benivolum aperiatis animum, & beneficam nobis extendatis manum. Illo plumbo* (*Romano* ſcilicet) *nudantur Eccleſiæ, teguntur iſto. Diſſimilis negotiatio, cum in illa ſemper mœreat acceptor, in iſta ſemper mereatur largitor. Illud litigioſo ſemper auro redimitur, iſtud religioſo precum pretio comparatur*. Vide etiam nota (*f*) dicti du Molinet, quem de omnibus conſule. Epiſt. 179. novæ editionis tamen 162. ſcribit Papæ, ne permittat Canonicos S. Joannis Sueſſionenſis, in Parochiis commorantes, ab Epiſcopis corripi, ſed ab Abbatibus, qui ſolent eos ad nutum amovere, alioquin peribit regularis diſciplina, quod ita exprimit: *Si peſtis iſta convaluerit, perit ordo Canonicus, pereunt & Sanctorum Patrum Regularia inſtituta, ſolvuntur fines, & funes obedientiæ, & erunt in Collegiis noſtris tot Abbates, quot Presbyteri Parochiales*; & poſt pauca ſic concludens: *His tantis malis, quæ ex radice omnium malorum cupiditate procedunt, per quæ burſa emungitur, nec vita corrigitur, Sancta Paternitas veſtra remedium afferat &c.* Epiſtola 193. novæ edit. 195. *Tria ſunt murmurantia ſuper terram, & quartum, quod facile non quieſcit: communia ruſticorum dominantium: cœtus fœminarum litigantium: grex porcorum ad unius vocem grunientium: Capitulum diverſa vota ſectantium. Cum primo pugnamus: ſecundum irridemus: tertium contemnimus: quartum ſuſtineamus. A primo & quarto libera nos Domine*. Epiſtola 211. vet. edit., novæ autem 207. Quidam Monachi accuſabant, quod *in loquela digitorum neſciat exprimere fabam, caſeum, vel ova &c.* Item Epiſt. CXLI. novæ editionis, quæ in veteri non reperitur, ſcribens Papæ, *reprehendit nimiam multitudinem Decretalium, & Profeſſores, qui eis abutebantur*. Alia Opuſcula ſcripſit Stephanus, de quibus conſule eumdem Molinet.

69. Anno 1130. *Barlaami de Seminaria* Epiſcopi Hieracenſis, non Gyracenſis, ut perperam præfert titulus, Epiſtolæ quædam ad Græcos dogmaticæ, & ſatis diffuſæ de unione cum Romana Eccleſia, & Proceſſione Spiritus Sancti; in quibus docte, & ſubtiliter confutat Græcos. Sequitur ejuſdem Barlaami Ethica ſecundum Stoicos in duas partes diviſa, & ex libris Stoicorum excerpta. Alia Barlaami Opuſcula vide apud Cavium.

Ex

Ex Tomo IV. adversus Hæreses.

70. Anno 369. *S. Philastrius* Episcopus Brixiensis de hæresibus veteris, & novi Testamenti. Verbo *Prodianitæ* dicit librum Sapientiæ conscriptum a Syrach. Quædam tamquam hæretica respuit, quæ non sunt talia, & quod Stellæ sint Cœlo infixæ.

71. Anno 1100. *R. Samuelis* ex Judæo Christiani liber, sive Epistolæ de adventu Messiæ ad Isaac Israelitam. Cap. 13. putat Mathusalem nondum mortuum, sicut Henoch. Ibidem asserit Moysen statim post mortem surrexisse, & esse in Cœlo & corpore, & anima, quod etiam tenuit Philo lib. 3. de vita Moysis. Sed hæc falsa sunt. De hoc videatur Bibliotheca Rabbinica Bertolotti.

72. Anno 350. *Marii Victorini* Afri Viri Consularis adversus Arrium lib. 4. cum judicio legendi: est enim obscurissimus, platonizat, & habet quædam duriora, quam ferat communis usus loquendi Theologorum.

73. Anno 383. *Idacius clarus*, Hispanus, scripsit de Trinitate insigne Opusculum adversus Varimandum Arrianum. Videtur ille fuisse, de quo agit S. Isidorus *lib. de viris illustribus cap.* 15. Vide etiam Severum Sulpitium *lib.* 2. *Historiæ Sacræ*; nam hic est, qui reum egit Priscillianum Hæresiarcham apud Maximum Imperatorem.

74. Anno 360. *S. Optati* Afri Episcopi Milevitani de Schismate Donatistarum adversus Parmenianum lib. 8. in quibus eorumdem hæresim elegantissime convincit. Lib. 4. arguit Donatistas, quod in salutatione solita oscula denegarent.

75. *Gelasio* Papæ falso attributum opusculum adversus Eutychen, & Nestorium, quod putanr eruditi esse alterius Gelasii scriptoris Græci, de quo Baronius *ad annum* 496.

76. *S. Vigilii* Episcopi Tridentini, & Martyris libri 5. adversus hæreses Eutychetis: sed Baronius, aliique eruditi negant S. hujus Vigilii esse posse hunc librum; nam hæc hæresis orta est post illius obitum. Vide Baronium *an.* 400. & *die* 26. *Junii*. Recentior igitur est Author, qui vixerit anno salutis circiter 500.

77. Anno 841. *Jonæ* Episcopi Aurelianensis de cultu Imaginum lib. 3. ad Carolum Calvum adversus hæresim Claudii Taurinensis. Hic autem Jonas, licet crederet sacras imagines delendas non esse ob instructionem fidelium, illis tamen omnem cultum, & honorem denegabat; quem postea errorem secuti sunt plures Galliæ Theologi, præsertim Walafridus Strabo, & Hincmarus Rhemensis.

78. Anno 367. *Faustini* Presbyteri liber de Trinitate, sive de fide contra Arrianos, qui vulgo tribuitur Gregorio Bætico Eliberitanæ Sedis Episcopo ad Gallam Placidiam. Porro Faustinus ille impius est, qui schisma Ursicini adversus Damasum acerrime tutatus est.

79. Anno 1329. *Bertrandi* Eduensis Episcopi, & Cardinalis liber, seu acta pro defensione Ecclesiasticæ libertatis coram Philippo Rege Franciæ, ejusque Curia. Itemque libellus alter de origine, & usu jurisdictionum, sive de spirituali, & temporali potestate cum multis allegationibus juris, & facti.

80. *Ebrardi* Betuniensis in Flandria (de quo silentium apud Cavium) Liber Anti-hæreseos adversus Waldenses, in quo hanc sectam egregie & diffuse confutat. Quo tempore vixerit, incertum. Cœperunt Wal-

denses sub Lucio Papa III. circa annum 1181. & forte ante ipsum anno 1160.

81. *Anonymi* Tractatus de Græcorum erroribus, nempe de Processione Spiritus Sancti, de animabus Defunctorum, de Azymis, & fermentato, de obedientia Romanæ Ecclesiæ, editus Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum anno Domini 1252. ex Codice MS. Bavaricæ Bibliothecæ. Dicit se scripsisse 380. annis post Photium, constatque ex opere Authorem esse Ordinis Prædicatorum.

82. Anno 1054. *Humberti* Sylvæ Candidæ Episcopi, & Cardinalis Ordinis S. Benedicti. Nimius mihi videtur in Græcorum castigatione, ac minutior quam par esset; cum præsertim Ecclesia permittat Sacrificium in pane fermentato, & debebat saltem ab injuriis abstinere.

83. Anno 850. *Ecclesiæ Lugdunensis* (de qua silet Cavius) liber adversus ineptias, & errores Joannis Erigenæ, cognomento Scoti de prædestinatione, & præscientia divina, & de vera humani arbitrii libertate. De hoc Joanne vide Baronium *an.* 884. Sunt qui dicant eum Martyrem fuisse, alii rectius negant. Lanfrancus enim *Lib. de Sacramento Corporis Christi* inter Sacramentarios enumerat Joannem. Porro Ecclesia Lugdunensis in hoc libro utitur versione Sacræ Scripturæ a vulgata admodum diversa, quæ forte propria erat illius Ecclesiæ. Sequitur alius liber ejusdem Ecclesiæ de tribus Epistolis trium Episcoporum adversus errores Godescalchi Monachi, qui vivebat tempore Nicolai I. de quo legendus Pithæus *in annalibus*, Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi*, & Serarius *lib.* 1. *cap.* 33. *Historiæ Moguntinensis*. Defendit autem hunc Monachum Ecclesia Lugdunensis, licet eum insolentem, & præsumptuosum appellet: nam revera ejus sententiæ de prædestinatione sensum Catholicum recipere possunt. Sequitur item ejusdem Ecclesiæ absolutio quæstionis de generali per Adam damnatione omnium, & specialiter per Christum ex eadem ereptione electorum. Item alius liber de tenenda immobiliter Scripturæ Sanctæ veritate, & SS. PP. Orthodoxorum authoritate fideliter servanda, & sectanda. Multa in hisce libris subtiliter disputantur de gratia Dei, de libero arbitrio, de prædestinatione, & reprobatione.

84. Anno 1395. *Petri de Pilichdorf* Sacræ Theologiæ Professoris liber, sive obviationes contra sectam Waldensium. Additi sunt tractatus quidam sine nomine Authoris contra eamdem sectam. Accesserunt Epistolæ 7. adversus Folmarum Præpositum Trieffenstenii, sive Petræ stillantis in Franconia infra Herbipolim, qui vixit tempore Alexandri III. & perperam sentiebat de Eucharistia, dicens: sub specie panis contineri Christi carnem sine ossibus, & nervis; & sub specie vini purum sanguinem.

85. Anno 360. *Titi* Bostrensis Episcopi adversus Manichæos lib. 4.; sed quartus deest, & solum exstat ejus argumentum. Quædam habet Philosophica de principiis.

86. Anno 870. *Athanasii* Abbatis Græci liber mutilus contra Judæos. Scribit se vivere octingentis, & amplius annis ab eversione Jerusalem per Titum. De hoc silentium apud Cavium.

Ex Tomo V. de Moribus.

87. Anno 560. *S. Joannis Climaci* Scala Paradisi 30. gradibus constans. Gradu 14. de gula reprehendit Evagrium, quod male scripserit de gulæ

gulæ impugnatione, eumque vocat insipientissimum. Gradu 26. de discretione cogitationum falso ait Angelos proficere in scientia, & gloria. In fine habetur Epistola Joannis Abbatis de Rhaitu ad S. Joannem Climacum, in qua vita perfecti Prælati vitæ Moysis eleganter comparatur; ejusdem item Rhaitu Scholia in Scalam Climaci.

88. Anno 390. *S. Diadochi* Episcopi Photices in veteri Epiro Illyrici cap. 100. de perfectione spirituali. Meminit hujus libri Photius in Bibliotheca. Citat quoque cap. ejus 100. S. Maximus Confessor in responsis de locis obscurioribus Scripturæ ad Thalassium. Cap. 63. & 64. docet non licere sua in judicio repetere, quod falsum est. Multa habet pertinentia ad mysticam Theologiam. Editus est seorsim cum notis marginalibus Francisci Turriani.

89 Anno 441. *S. Isaaci* Syri Presbyteri Antiocheni liber de contemptu Mundi. Meminit hujus S. Gregorius Magnus *lib. 3. Dialogorum.* dicitque de Syria venisse ad Urbem Spoletanam. Cap. 4. hortatur ad legendos libros de providentia Dei, quia ipsi dirigunt, roborant, & illuminant mentem. Phrases habet difficiles, & modum loquendi valde obscurum. Multa sunt pertinentia ad mysticam Theologiam. De hoc Isaaco Syro Juniore vide Cavium parte 2.

90. *Sixti* Pythagorici sententiæ e Ruffino Aquilejensi, S. Sixto Romano Pontifici, & Martyri perperam adscriptæ. Quam fraudem detexit S. Hieronymus *Epist. ad Ctesiphontem adversus Pelagianos*, & in *cap. 22. Hieremiæ*, ac in 18. *Ezechielis*. Itemque S. Augustinus *lib. 2. Retractationum cap. 42.*

91. *S. Sixto* Pontifici Maximo hujus nominis III. falso adscripti libri de divitiis, de malis Doctoribus, de operibus fidei, de judicio futuro, & de castitate. In primo totus in eo est Author, ut ostendat hominem divitem non esse a Deo, quæ est hæresis Pelagianorum, quorum alia dogmata secundo, & tertio astruit.

92. *Hormisdæ* Papæ Epistola de Pœnitentia; inter alias ejusdem Pontificis Epistolas nondum edita, extat post Halitgarii Episcopi Cameracensis modum reconciliandi pœnitentes.

93. Anno 490. *S. Cæsarii* Arelatensis Episcopi Regula Sanctimonialium. Optima est hæc regula, habetque adjunctam recapitulationem, sive additamentum habens capita 21. quorum 20. de Celleraria, & 21. de pertinacia ad verbum desumpta sunt ex regula S. Benedicti; nisi forte S. Benedictus a S. Cæsario acceperit. Ex capite 7. Recapitulationis constat olim Sanctimoniales non fuisse tonsas. Vide notas Francisci Mainardi ad hanc regulam.

Ex Tomo VI. Liturgicorum.

94. Anno 730. *Gregorii* III. Pontificis Maximi Canones pœnitentiales, qui legendi omnino essent a confessariis. Dum dicit cap. 6. *ridiculosum esse, ut pro tactu, vel osculo, vel amplexu mulierum quis damnatus inveniatur*, intellige, non esse damnandum tamquam reum patrati concubitus. Cap. 32. *non esse*, ait, *orandum pro his, qui puniuntur pro suis sceleribus*: quod intellige, si moriantur impœnitentes.

95. Anno 1175. *Odonis* Parisiensis Episcopi Synodicæ Constitutiones; (de hoc Cavius silet). Agit in principio de modo celebrandi Synodum. Sequuntur alia quædam diversorum Episcoporum statuta Synodalia.

96. Anno 1295. *Jacobi* S. Georgii ad Velum aureum Diaconi Cardinalis

dinalis Liber de Centesimo, seu Jubilæo. Julius Rosius in scholiis ad hunc librum scribit, hunc Jacobum fuisse familia Cajetanum, Nepotem Bonifacii VIII. ab eo Cardinalem creatum anno 1295. (de hoc etiam Cavius silet).

97. *S. Ludovici* Francorum Regis Pragmatica Sanctio in favorem Ecclesiæ, & fœdus cum Raimundo Comite Tolosano.

Ex Tomo VII. Historiarum.

98. *Tatiano* Encraticarum Principi, de quo supra, adscripta Harmonia 4. Evangeliorum, quæ est Ammonii Alexandrini, de qua vide Baronium *an.* 174. *cap.* 5. Sequitur autem ipsius Tatiani vera Harmonia, Ammonio perperam adscripta. Vixit autem Ammonius anno 224 fuitque Magister Origenis.

99. *Synopsis* de vita, & morte Prophetarum, & Apostolorum, quæ S Dorotheo Martyri falso adscribitur; & videtur esse alterius Dorothei recentioris Abbatis Romani. Item ejusdem de 70. Christi Discipulis historia in fide vacillans.

100. *S. Procoro* Diacono, & Christi Discipulo falso adscripta historia de vita S. Joannis Evangelistæ, indigna prorsus, quæ legatur.

101. *S. Lini* Romani Pontificis de Passione SS. Petri, & Pauli Apostolorum libri 2. Pseudepigraphi, & nullius authoritatis.

102. Anno 395. *S. Severi Sulpitii* Presbyteri Primuliacensis, & Monachi, quem plures cum Severo Sulpitio Bituricensi confundunt, de cujus sanctitate etsi aliqui dubitent, tamen certum est, fuisse sanctum, cum sit inscriptus Martyrologio Romano die 19. Januarii. Ejus præcipua opera hæc sunt: Sacræ Historiæ libri 2. stylo brevi, & eleganti ab orbe condito. Asserit concubitum Angelorum cum mulieribus, & Neronem futurum Antichristum. Vita S. Martini, & tres Epistolæ de eodem. Dialogi tres, in quos tamen irrepserunt aliqui errores, præsertim de mille annis Regni Christi in terra; ideo a S. Gelasio in classem apocryphorum rejecti sunt.

103. Anno 369. *Q. Julii Hilarionis* Chronologia, sive libellus de Mundi origine, & duratione. Futurum judicium ait post Christi passionem anno 470. ex quo apparet hujus Scriptoris antiquitas; ex his jam suo tempore ait transisse annos 369.

104. *Anonymi* Authoris de excidio Monasterii Lirinensis, deque martyrio S. Porcharii, & 500. Monachorum fragmentum. Omnes Monachi ierunt obviam Saracenis vestibus albis induti, tamquam Agni immaculati. Accidit hoc martyrium sub Genserico Rege Wandalorum.

Ex Tomo VIII. Poetica.

105. *Homerocentra*, sive centones Homerici ex Iliade, & Odyssæa, quos nonnulli ab Eudoxia Theodosii Junioris uxore contextos, alii a Pelagio Patricio, Zenone imperante, arbitrantur. Sed verius hos versus a Pelagio incœptos Eudoxia perfecit de vita, prædicatione, passione, & resurrectione Christi. Præmittitur autem descriptio peccati primi Parentis.

106. *Apollinarius* ex Laodicæa Syriæ, æqualis Gregorio, & Basilio, qui postea in hæresim lapsus est; scripsit Metaphrasim Psalmorum versibus heroicis. Ejusdem esse dicitur Tragœdia Christi patientis, Gregorio Theologo tributa.

107. An-

107. Anno 570. *Amœni* Enchiridion veteris, & novi Testamenti per tetrastica; tribuitur etiam Prudentio. Ejusdem Amœni Acrosticis Jambica in Leontium Episcopum redditum Ecclesiæ Burdigalensi, quæ tribuitur Fortunato *lib.* 1.

108. Anno 650. *Drepanii Flori*, Galli, Psalmi 22. & 26. carmine heroico: 27. carmine jambico dimerro. Hymnus etiam trium Puerorum; Hymnus ad Michaelem Archangelum: De Cereo Paschali; Epistola ad Moduvinum Episcopum Augustodunensem; ad amicum gratiarum actio; ad Vulfinum Grammaticum Aurelianensem.

109. Anno 520. *Merobaudis*, Hispani Scholastici, Epigramma de Christo.

Ex Tomo IX. diversorum Tractatuum.

110. *S. Ildefonsi* Archiepiscopi Toletani liber de Virginitate; abundat supra modum Synonimis, estque diversus ab aliis stylus hujus libri.

111. *S Eulogii* Cordubensis martyris, & electi Archiepiscopi Toletani, Opera. Initio libri Apologetici Sanctorum Martyrum ait Sanctum Latronem cum Christo crucifixum, fuisse fratricidam.

112. Anno 1170. *Hugonis Ætheriani* de regressu animarum ab inferis lib. ad Clerum Pisanum. Historia Trajani ab Inferis liberati propugnat *cap* 15. Ostendit diffuse non esse lugendum pro mortuis.

113. *Joanni* 44. Episcopo Hierosolymorum perperam tributus liber de institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium, ad Caprasium Monachum, qui revera Authoris Latini, & recentioris est, ab aliquo Carmelita fictus. Vide Baronium *Anno* 444. *num.* 18.

114. Anno 326. *Luciferi* Episcopi Calaritani Opera ad Constantium Imperatorem. Hujus Luciferi lapsus notissimus est in Ecclesiastica Historia. Baronius eum impœnitentem obiisse affirmat: at Sardiniæ historici ejus pœnitentiam propugnant, & eum tamquam Sanctum colunt. Videatur Bollandus. Hujus scriptoris libelli ex centonibus scripturarum compacti sunt, in iis quædam pertinentia ad Historiam.

115. *Agobardi* Lugdunensis Episcopi Opera adversus dogma Felicis Urgellitani. Initio hujus libri: *Et ut Plinius*, inquit, *Doctor dicit, sic est veritas Christus*. Incertum, quis hic Plinius sit, nisi sit lapsus Typographiæ; quare legi debet: *& ut alius doctor dicit*. In fine hujus opusculi citat Fidentium in Matthæum; quis autem fuerit iste Fidentius, incertum. Opusculo 14 de picturis, & imaginibus, negat iisdem cultum, præter Crucem. Vide de hoc Theophilum Raynaudum de Sanctis Lugdunensibus, & Stephanum Baluziom in Bibliotheca Patrum.

Ex operibus S. Hieronymi editionis Parisiensis anno 1643. in novem Tomis distributis.

116. *Tom.* 1. Vita Divi Hieronymi; obiisse creditur anno 420. ætatis 78. Epist. 49. ad diversos. Epistola 9. ad Salvinam de servanda viduitate: iniquior videtur esse secundis-nuptiis. Item Epistola 2. ad Ageruchiam viduam de Monogamia, late, & eleganter a secundis nuptiis eam dehortatur. Narrat, quod vir, qui 20. Uxores sepelierat, viduam duxerit 22. Maritorum. Epistola 14. ad Celantiam de ratione pie vivendi inter divitias, & onera matrimonii, non est Hieronymi, sed Paulini. Epist. 28. ad Lucinium laudat Eucharistiam sumi quotidie,

tidie, dummodo pungente conscientia non sumatur. Epistola 49. ad Innocentium de muliere Vercellensi septies icta, & illæsa, quæ adulterium, quod non commiserat, fateri noluit, delato juvene confitente per tormenta. Sequuntur Vitæ Sanctorum. Item liber de Scriptoribus Ecclesiasticis, cujus Græca versio Sophronii est, qui & alia Hieronymi Opera Græce transtulit.

Tom. 2. Opuscula, & Epistolæ aliæ usque ad 83. quæ est ad Oceanum, an sit irregularis, qui alteram post baptismum ducit Uxorem, cum unam habuerit ante baptismum: concludit non esse, laudes describens, & figuras baptismi; contrariam tamen sententiam tenet Ecclesia.

Tom. 3. Aliæ Epistolæ. Epistolæ 132. Vitali scribit Salomonem genuisse filios undecimo suæ ætatis anno.

Tom. 4. Commentaria in Isaiam, Hieremiam, ejusque Lamentationes. Sunt qui negant esse Hieronymi hæc Commentaria, de qua re sententia non ferre audet Marianus Victorinus. Habentur inter Opera Rhabani, suntque in eis quædam sententiæ a D. Gregorio excerptæ.

Tom. 6. Commentaria in Evangelium Marci, etsi bona sint, non sunt tamen Hieronymi.

Tom. 7 Commentaria in Psalmos, qui liber a quibusdam D. Hieronymi esse negatur: aliis contra germanum ipsius fœtum esse contendentibus. Crediderim ego revera esse Hieronymi, sed cui plura addiderit scriptor aliquis recentior.

Tom. 8. Commentarii in Job, & in Proverbia Salomonis perperam Hieronymo attribui. Sunt autem communi eruditorum consensu Bedæ venerabilis. Sequuntur Homiliæ Origenis 4. in Cantica Canticorum; incertum, an a Hieronymo in latinum translatæ, qui duas breviores transtulit, quæ habentur in hoc Tomo in fine. Commentarii in Epistolas Pauli; Hominis Pelagiani sunt, tantum abest, ut ad Hieronymum spectent. Quæstiones, seu traditiones in libros Regum, & Paralipomenon; non sunt Hieronymi, sed aliquo studioso ab ejus scriptis excerptæ.

Tom. 9. Aliena, & pseudepigrapha continens. Epistola 1. ad Demetriadem Virginem de virginitate incipiens: *Si summo ingenio* tribuitur Pelagio; & a S. Augustino confutatur *lib. de Gratia Christi cap.* 22. 27. 38. *&* 40. docta autem, & erudita est, & in quibusdam exemplaribus Cœlestii nomen præfert, qui Pelagianus fuit. Epistola 3. ad Geruntii filias de contemnenda hæreditate, item Pelagiana est. Epistolæ duæ, videlicet 4. ad Marcellam, ut adversa toleret, 5. ad virginem in exilium missam consolatio, phrasim redolent S. Paulini. Sexta ad amicum ægrotum, quæ est Dialogus inter infirmum, & consolatorem; septima de viro perfecto; sunt qui adscribant S. Maximo Episcopo Taurinensi. Octava de cognitione Divinæ Legis, ad amicum, Pelagiana est. Decima ad Paulam, & Eustochium de Assumptione B. M. V. quæ incipit *cogitis me*, creditur esse Sophronii: & quidem phrasis Græci hominis esse videtur, qui latine loqui incipiat. Decimatertia de 7. gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, ubi primus gradus Fossariorum est, qui mortuos sepeliunt, deinde Ostiarii, Lectores, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Episcopi. Vigesima prima de celebratione Paschæ tribuitur S. Augustino. Vigesima tertia in Evagrium objurgatio, quod Levitam lapsum non

non fit consolatus, censetur esse S. Paulini; itemque vigesima quarta hortatio ad militem seculi, ut militet Christo. Quadragesima de duobus filiis, frugi, & luxurioso, Pelagiana est. De reliquis vide Dupinium. Tertia pars Tomi IX. opusc. 58. Eusebii Cremonensis de morte Hieronymi ad Damasum Epistola spuria. Quinquagesima nona Augustini Cyrillo Hierosolymitano de miraculis Hieronymi, falsa, & suppostitia. Sexagesima Cyrillus Augustino de eadem re, ejusdem farinæ. Demum vita D. Hieronymi ab incerto conscripta, in qua plura falsa, & commentitia.

Desunt animadversiones in Tom. V. Vide autem novissimam editionem Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri.

Ex Operibus Sancti Joannis Chrysostomi Editionis Parisiensis 1614. Tom. 5.

117. *Tom.* 1. De vita S. Joannis Chrysostomi Dialogus. Colloquuntur Palladius Chrysostomi discipulus, Episcopus Helenopolitanus, & Theodorus Diaconus Romanæ Ecclesiæ. Incertum est autem, quis Dialogi scriptor sit: nam plerique Palladio, alii Theodoro adscribunt. Post alias vitas continentur hoc Tomo, quæ faciunt ad explicationem veteris Testamenti. In Genesim Homiliæ 67. Habuit has Homilias Chrysostomus in Quadragesima, quare in his quædam de jejunio. Homilia 4. plures negat esse Cœlos. Valde populares sunt istæ Homiliæ, & aptæ ad docendum populum: in principio, & fine semper morales. Omnes fere dividuntur in tres partes; in parasceven, exegeticen, & ethicen. Ab allegoriis, & anagogiis abstinet, soli literæ, ac tropologiæ insistens. Stylus medius est inter accuratum D. Basilii dicendi genus, & Gregorii Nazianzeni cothurnum. Nusquam in eo sententiarum argutiæ, ut in Ambrosio; Poetarum illecebræ, & Mimorum sales, ut in Hieronymo; facetiæ, & joci, ut in Tertulliano; sed dictio candida, pudica, æqualis, matora, ac vere attica. Homilia 20. explicans illud *Genesis 6. 2. Videntes Filii Dei filias hominum*; negat per Filios Dei intelligi Angelos, quia nunquam in scripturis dicuntur Filii Dei. Homilia 29. *Si Abel*, ait, *unum cognovisset, & illud Deo obtulisset*. Homilia 44. excusat filias Loth a culpa. Homilia de Adam, & Eva, primus Angelus dictus est *Satbabel*. De patientia Job Homiliæ 5. quarum ultima vocat Job parem Apostolis, idque repetit Hom. 34. in Matthæum. Expositio in Psalmos; quosdam explanat diffusius, deinde fere omnes pressius.

Tom. 2. in Evangelia. In Matthæom Homiliæ 90. Operis imperfecti in Matthæum Homiliæ 53. Authore Anonymo Latino, qui multas hæreses huic operi interserit. Commentarius perpetuus est usque ad cap. 25. inclusive, licet divisus sit ab aliquo in Homilias. Deest expositio cap. 14. 15. 16. 17. 18. In Evangelium Marci Homiliæ 14. pseudepigraphæ.

Tom. 3. In Evangelium Joannis Homiliæ 87. Multus est hic Sanctus in laudanda, & persuadenda eleemosyna.

Tom. 4. In Epistolas Pauli. In Epistolam ad Hebræos Homiliæ 34. editæ a Constantino Presbytero Antiocheno post mortem Chrysostomi.

Tom. 5. Homiliæ 21. ad populum Antiochenum, nam hæ solæ legitimæ sunt; ceteræ usque ad 80. vel non sunt Chrysostomi, vel sunt

Centones ex aliis locis aliarum Homiliarum conflati. Florilegia, seu Centones, reliquæ nimirum Homiliæ ad populum Antiochenum falsò inscriptæ num. 59. Prima istarum in ordine 22. de pœnitentia, continentia, & virginitate, est Joannis cognomento jejunatoris.

118. Anno 300. *Arnobii Afri* adversus gentes lib. 7. edit. Parif. 1580. cum scholiis Laurentii de la Barre. Lib. 1. respondet calumniis Ethnicorum asserentium, postquam cœperunt esse Christiani, mundum a suis legibus aberrasse, ipsosque Cœlites ejus curam abjecisse. Irridet Deos gentilium. Lib. 2. non obesse Christianis simplicitatem. Probat inductione multa Ethnicos ignorare. Plura de anima, ejusque origine. Respondet iis, qui Religionem nostram aspernantur, ut novam, & recentem. Lib. 3. Præsidium Religionis non a numero audientium, sed a veritate pendere. Deum corpore, & sexu carere. Irridet, & confutat Deos gentilium a multitudine, flagitiis, libidine, atque id prosequitur eleganter lib. 4. & 5. Lib. 6. adversus templa, & simulacra Paganorum. Septimo adversus Sacrificia Deorum, & festa.

Arnobii castigatissima editio prodiit anno 1651. *Lugduni Batavorum in* 4. cum notis diversorum, quibus addendus in ea editione omissus Joannis Meursii Criticus Arnobianus cum Hypocritico Minutiano editus Leidæ anno 1598.

119. Anno 460. *Arnobii* alterius recentioris Commentaria in Psalmos perperam priori attributa. Breviter mystice Psalmos explanat, illud ubique observans, ut Psalmi series omni ex parte sibi cohæreat, quod & jucundum, & ingeniosum est. Plus indicat oratio, quam loquitur: & sæpe ex unius versiculi explanatione alii versus lucem habent, de quibus silet. Semper alacritate lectionis sublevat, & recreat Lectorem, sicque finit, ut sitientem, & adhuc plura desiderantem dimittat.

120. *S. Dionysius Areopagita*, de quo, & cujus scriptis vide Sirmondum, Cavium, Dupinum, & Natalem Alexandrum. In Epistolarum libro Epist. 2. Apollophani Philosopho. Hujus Epistolæ nec Græci authores mentionem faciunt, nec habetur in Græcis Codicibus MSS. Præter opera omnibus nota, & impressa alios scripsit Dionysius libros, qui non extant, citantur autem ab ipso isti. Lib. Divinorum Hymnorum *cap.* 7. *Cœlestis Hierarchiæ*. Lib. de legali Sacerdotio, sive de legis Hierarchia *ibid cap.* 3. Liber de intelligibilibus, & sensibilibus *cap.* 1. *&* 2. ejusdem Cœlestis Hierarchiæ. Liber Theologicarum hypotyposeon, seu institutionum *cap.* 1. *&* 2. *Divin. Nomin.* Liber de justo Dei judicio *ibid. cap.* 4. De proprietatibus Angelorum, & de Anima *ibidem*. Liber de symbolica Theologia *cap.* 13. *Divin. Nomin.* & alibi.

Dionysii librorum materia quarti seculi exordium sapit, & stylus pompaticus hominem Asiaticum potius, quam Atticum. Sergius Episcopus in Synodo Romana Martini I. vocat opera cujusdam Dionysii Episcopi Atheniensis. Sophronius Hierosolymitanus in literis a VI. Synodo approbatis ad Sergium Constantinopolitanum citat eumdem, quem ait a Paulo conversum. Ivo Carnotensis Epist. 41. aitbene dictionem Monachorum S. Antonio, ac aliis antiquis Monachis fuisse ignotam: & hinc liquet Dionysium, qui de hac adeo luculenter scribit, S. Antonio, ejusque Discipulis posteriorem esse. Citatur, & laudatur Canon 1. Synodi octavæ.

121. Anno 300. *Lucii Cœlii Lactantii Firmiani* Opera. Divinarum institutionum libri 7. Lib. 2. censet Angelos peccasse cum mulieribus. Lib. 3. negat Antipodas, & adstruit errorem Millenariorum. Tria Poemata Lactantio perperam tributa, nempe Phœnix, de Paschate, & de Passione Domini.

122.

122. *Clementis Alexandrini* Opera. Oratio exhortatoria ad gentes: de musica Mundi; de falsa Gentilium Religione, & turpibus mysteriis: Diagoram, Theodorum, & alios non fuisse Atheos, sed negasse Deorum pluralitatem. Citat Berosum 3. Chaldaicorum. Antiqui Sapientes unum Deum esse crediderunt. Hortatio ad veram Religionem, & ad cultum Dei. Hic liber Protrepticus nuncupatur. Pædagogi lib. 3. Lib. 2. c. 2. de calceamentis: *Viros decet soleis dumtaxat uti*. Mulieres olim amatorias salutationes imprimebant calceis. Lib. 3. cap. 2. de variis fœminarum ornamentis eleganter, & diffuse. Cap. 8. de bonæ vitæ exemplis citat librum suum de Nuptiis, in quo de re œconomica exacte disseruit. Stromatum lib. 8. Lib. 1. Acephalus de Prædicatoribus, & Prælatis, de Scripturis Divinis, de Philosophia, de Seculari Doctrina, ejusque utilitate. Historia & Chronologia sacra, & prophana ab initio fere orbis usque ad Christum diffuse, & erudite. Lib. 2. Philosopos Græcos fures fuisse, & pleraque ex nostris Scriptoribus surripuisse, & adulterasse: nam in suprascripta Chronologia jam ostendit nostros Sapientes, Prophetas scilicet, Græcis fuisse antiquiores. De fide citat Barnabæ Apostoli scripta, & visionem Hermæ; item Matthiam Apostolum, & Evangelium secundum Hebræos. Lib. 3. de Matrimonio, & continentia citat Evangelium secundum Ægyptios. Lib. 6. de mutuis Græcorum furtis eleganter & erudite, Græcos quoque fures esse Scripturarum. Lib. 8. de rerum cognitione mutilus est; sed & alii plures desunt, nam & alia plura se tractaturum promisit passim in superioribus libris.

123. *Theodoreti* Episcopi Cyrenensis Opera. Quæstiones selectæ in sacram Scripturam breves, & accuratæ, nempe 109. in Genesim, in Exodum 72. in Leviticum 38. in Numeros 52. in Deuteronomium 46. In Josue 19. In Judices 19. Interpretatio in omnes Psalmos. Commentariorum in Cantica lib. 4. His autem inserti sunt Commentaria Pselli, & trium PP. Anonymorum, idest secundo quosdam Gregorii Nysseni, Nili, & Maximi; & alia. Tom. 2. Alia Commentaria in Epistolas Pauli. Ecclesiasticæ Historiæ lib. 5. Incipit ab eo tempore, quo desiit Eusebius, usque ad mortem Theodori Episcopi Mopsvestiæ. Eranistes, seu Polymorphus, in quo tribus Dialogis contra quosdam sui temporis hæreticos acerrime, & subtilissime disputat. *Eranistes*, idest, *Emendicator: Polymorphus*, idest, *forma multiplex*. Hæreticarum fabularum lib. 5. Liber 5. Epitome est divinorum Decretorum, Catholica Dogmata supra descriptis hæresibus contraria edisserens. In fine Operum habetur Epistola ad Sanctum Leonem Papam, ejusque responsio.

124. Anno 250. *Origenis Adamantii* Opera Parisiis 1619. Plura de illo Gilbertus Genebrardus in hac editione, tum in Epistola dedicatoria ad Carolum IX. Regem Francorum, tum in Collectaneis de Origenis vita, rebus, scriptis, ac sententiis, ubi errores ejus per loca communia recensentur. Tom. I. in Genesim Homiliæ 17. Hom. 1. de creatione Mundi, omnia refert Tropologice ad animam nostram, idque devote, & elegantissime. Secunda de Arca, approbat mysteria Numerorum. Tertia de Circumcisione moraliter. Quinta excusat filias Loth, & laudat, quod post concubitum non expetierint. 12. de Rebecca Tropologice, *Duæ gentes in nobis sunt, populus virtutum, & populus vitiorum*. 13. de Puteis, quæ sint scientiæ. In Exodum Homiliæ 13. Hom. 3. de via trium dierum in solitudine optime. In Leviticum Homiliæ 16. In Numeros Homiliæ 28. In Josue 26 In Judices 9. Verum Homiliæ

in Numeros, & Judices Authoris Latini fuut. In cap. 1. lib. 1. Regum Homilia unica, sed falsa. In Job lib. 3. usque ad medium 3. cap. perperam tribuuntur Origeni, & videntur hominis Arriani. In Psalmos. In Canticum Homiliæ duæ Interprete D. Hieronymo; eodemque Interprete Homiliæ 4. (sic enim dividuntur) cum sit perpetuus Commentarius in duo priora capita: verum earum stylus Latinus est. Periatchon, seu de principiis lib. 4. a Rufino translati. Lamentum Origenis, & Apologia sub nomine Pamphili Martyris, omnia a Rufino conficta sunt. Commentarius in Job Pseudepigraphus; itemque in eumdem ejusdem notæ lib. 3. jam supra notati.

Tom. 2. in Matthæum Tractatus 35. A cap. 13. usque ad finem non sunt Origenis, sed hominis Latini. Contra Celsum lib. 8. pro defensione Christanæ Religionis doctissimi, & pleni omni eruditione, ac politiori litteratura. Origenis Philocalia ex ejus scriptis a Gregorio Nazianzeno, & Basilio Magno excerpta, de aliquot præcipuis Theologiæ locis, & quæstionibus ad Theodorum Episcopum Theanæum. Est autem Philocalia amor pulchritudinis, quo nomine utebantur antiqui ad significandam rerum summarum, & spiritualium Philosophiam. Sunt hic plura collecta ex lib. Origenis, quæ non extant. Habet hic lib. cap. 27. Julii Africani Epistola ad Origenem de Historia Susannæ, octo conjecturas proferens, ex quibus eam esse confictam a Græco Authore dubitabat: cui respondet Origenes, ejus adstruens veritatem, confutatis Julii conjecturis. Scripsit etiam Origenes Stromateos, idest variegati Operis libros X. & alia Commentaria in Scripturam, quæ non extant.

Severus Sulpitius Dialogo 1. de virtutibus Monachorum Orientalium cap. 2. hæc habet de Origene: *Ego miror unum eumdemque hominem tam diversum a se esse potuisse, ut in ea parte, quæ probatur neminem post Apostolos habeat æqualem: in ea vero, quæ jure reprehenditur, nemo deformius errasse videatur.*

Baronius, & Holstenius putant Origenem Adamantium unum, & eumdem esse cum Origene Plotini condiscipulo: sed Hadrianus Valesius in notis ad Eusebium pag. 120. aliter erudite ostendit. Origenem Adamantium Ammonii auditorem fuisse asserit Porphirius ab Eusebio relatus lib. 6. cap. 19.; sed fuit alter Origenes Hereunii, ac Plotini Condiscipulus, de quo idem Porphirius in vita Plotini, Eunapius, & alii. Hic teste Longino lib. de fine nihil scripsit, præter librum unum de Dæmonibus, idemque asserit Porphirius loco citato.

125. *Dionysii a Rickel* Carthusiani Opera Tom. 2. fol. Coloniæ 1532. Vide de hoc Authore Trithemium, cui adde has notas. De laudibus superlaudabilis Dei opusculum, in quo adinstar Psalmi, vel Hymni rythmice laudat Deum ex attributis, ex operibus, ex vita Christi, ex Epistolis Pauli, & aliorum Apostolorum, ex Apocalypsi, & ex operibus Dei. Adjunctum est in fine Officium parvum de Sanctissima Trinitate, & alterum Officium de Passione Christi. Item Tom. 2. agit de laudibus Dei ex attributis, ut supra, sed aliis verbis, & sine rythmis.

126. Anno 1198. *Innocentii III.* Pontificis Maximi Opera Tom. 2. Coloniæ 1575. Commentaria in 7. Psalmos Pœnitentiales, quæ seorsim edita sunt Venetiis, perperam attributa S. Bernardo.

127. *S. Gregorius Nazianzenus*. Tom. 1. Vita a Gregorio Presbytero scripta. Oratio 1. Apologetica, cur fugerit Episcopatum. Docet in ea qualem oporteat esse Episcopum, doctissime, & diffusissime.

Ter-

Tertia & quarta contra Julianum sunt elegantissimæ, & omni sacra, ac profana eruditione refertissimæ. De moribus nihil recte ab Ethnicis dici posse, quia carent verarum virtutum exemplis. 17. ad Cives suos afflictos insignis est ad moveadam clementiam. 18. in laudem S. Cypriani Martyris, non illius doctissimi, sed alterius magi, qui etiam Episcopus Carthaginensis fuit. Ex hac homonymia decepti quidam hanc laudationem priori Cypriano tribuerunt, cum nullomodo ei conveniat, ut patet ex ejus vita a Pontio Diacono edita. Funebres, & demonstrativæ sunt in laudem diversorum suorum præsertim, & amicorum Orationes 10. 11. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Oratio 33. est prima de Theologia, cui de eadem materia altissimæ, & doctissimæ subsequuntur 34. 35. 36. 37. Metaphrasis in Ecclesiasten, sive Oratio 53. non videtur esse hujus Gregorii, sed alterius. Quidam adscribunt eam Gregorio Neocæsariensi, cujus vere est.

128. Anno 1220. *S. Francisci Assisinatis* Opuscula. In iisdem Cantica, seu cantiones quædam italice scriptæ, mysticæ Theologiæ ardibus refertissimæ.

129. Anno 1230. *S. Antonii Patavini* vulgo dicti sermones de tempore, & de Sanctis in communi, qui sunt circiter 146. Brevis, & mystica expositio in sacram Scripturam, in qua tropologice explicat loca insigniora utriusque Testamenti. Concordantiæ morales sacrorum Bibliorum in quinque lib. distributæ. Hoc opus doctissimum est, miroque ordine, & ingenio universam sacram Scripturam ad locos communes morales redactam exhibet.

130. Anno 341. *Eusebii* Emisseni Episcopi homiliæ ad populum 56. Parisiis 1547. Harum decem ad Monachos, reliquæ de tempore, & de Sanctis sunt. Est autem jam fere omnibus notum has fere omnes Eucherii Lugdunensis esse. Sunt & aliæ, quæ Cæsario Arelatensi, aliæ, quæ aliis tribuuntur; multique sermones sub diversis titulis inutiliter repetuntur.

131. Anno 165. *Irenæi* Episcopi Lugdunensis adversus hæreses lib. 5. videtur sentire animas non statim videre Deum, sed reservari in diem resurrectionis. Sunt qui putant eum latine scripsisse: & quidem Barnabas Brissonius lib. *Observationum divini, & humani juris*, ait: Hos libros de Græcis elegantibus Latinos nudos factos esse. Capita 27. primi libri habet Epiphanius Panar. hæresi 31. cetera Græce non extant.

132. Anno 1080. *S. Bruno* Carthusianorum Institutor. Ejus Opuscula impressa Coloniæ 1611. Tom. 3. Opuscula quædam continentur, quæ a nonnullis Brunoni Signiensi adscribuntur. Sermone de S. Benedicto, qui est secundus de Confessoribus, applicat S. Patri illud Matth. 12. 42. *Ecce plus quam Salomon hic*, & dicit, quod si Regina Saba videret nunc ordinem Monasteriorum, plus miraretur.

133. *Absalonis* Abbatis Sprinkirbacensis sermones in præcipuas solemnitates 51. Erat Canonicus Regularis, cujus sanctitatis, & doctrinæ luculentum perhibet testimonium Cæsarius noster *Histor. memorabil. lib* 4. *c.* 89. citat S. Bernardum serm. 29. qui est primus de Annuntiatione his verbis: *Quia sicut dicit Claræ illius Vallis Magister Bernardus, nec etiam Virginitas Mariæ sine humilitate Deo placuisset*.

134. *Raymundus Jordanus* dictus *Idiota* Canonicus Regularis, & Abbas Cellensis, quem edidit Theophilus Raynaudus. De eo satis Cavius.

135. Anno 1130. *Philippus* Abbas Bonæ-Spei Ordinis Præmonstratensis vixit tempore D. Bernardi. Ejus Opera impressa sunt Duaci 1621.

Dice-

Dicebatur Philippus de Harvengh, alias ab eleemosyna, fuitque secundus Abbas dicti Monasterii. Epist. 26. quibus explicantur quædam quæstiones Theologicæ. Epistola 11. Bernardo inscribitur, haud dubie nostro Claravallensi Abbati, in qua miratur crescentibus novis reformationibus Religiosorum non crescere inter ipsos mutuam charitatem; ejusque rei causam ab ipso sibi scribi petit. Epist. 12. ad Eugenium Papam, Abbatem de Clara-Valle nominatissimum vocat cæterorum. Tractatus de damnatione Salomonis. Ex scriptura, & Patribus ostendit Salomonem esse damnatum, & respondet contrariis authoritatibus. Stylum habet hic author asperum, ac prorsus affectatum, clausulis ad instar rithmi similiter desinentibus. *Lib. 6. in Cantica cap.* 13. tenet B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali.

136. *Joannis Gersonii* Cancellarii Parisiensis, qui obiit anno 1429. die 12. Julii, ætatis 66. Opera in 4. Tomos distributa Parisiis 1606. Tom. 1. inter cetera hæc continentur. De laude Scriptorum: utrum liceat diebus Festis scribere libros devotionis gratia, & concludit affirmative duodecim de causis, quæ his versibus continentur.

Prædicat, atque studet scriptor, largitur, & orat,
Affligitur, saldat fontem, lucemque futuris
Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.

In lib. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia, considerat. 19. contendit Papam posse deponi etiam sine culpa. In tractatu de defectibus, & peccatis Virorum Ecclesiasticorum num. 68. *Videte*, inquit, *si tanta Religionum numeritas, & varietas conveniat*, ubi Religiosis videtur hoc loco non parum infensus. Errores circa præceptum: *Non occides*, contra M. Joannem Paruum, qui dicebat licere occidere tyrannum, qui error damnatus fuit in Concilio Constantiæ. Disceptatio mendicitatis, & proprietatis, ubi multa contra opes Ecclesiæ. An sit vera illa assertio: *Sententia Pastoris etiam injusta est timenda*: Favet in hoc Potestati Regiæ. Accesserunt huic Tomo quidam Tractatus aliorum Doctorum de potestate Papæ, & Concilii; de immunitate Ecclesiastica, de potestate laica, & multis aliis difficultatibus circa jurisdictionem Principum, & Prælatorum. Quia vero tunc agitabatur quæstio, an Papa esset supra Concilium; tam Gerson, quam multi alii in hoc errarunt, quod Papam subjecerunt Concilio.

Tom. 2. Compendium Theologiæ de articulis fidei Gersoni adscriptum; itemque de Sacramentis, & aliis materiis. Varii sermones, inter quos unus de S. Bernardo.

Tom. 3. De Consiliis Evangelicis, & statu perfectionis dicit, quod Papa non possit dispensare vota solemnia. De directione, seu rectitudine cordis, considerat. 16. superstitiosum censet invocare certum Sanctum pro tali morbo. Alphabetum divini amoris, quod quidam existimant non esse Joannis Gersonis, sed Joannis Nider.

Tom. 4. Alia Opuscula. Vide ejus Opera edita Antuerpiæ anno 1706. in Tom. 5. distributa, & redacta, auctaque studio, & cura L. Ellies Dupin.

137. Anno 604. *S. Gregorii* M. Opera Tom. 6. Antuerpiæ 1615. Præfat. in Job cap. 1. ipsummet Job sua gesta scripsisse affirmat. Lib. 19. moralium cap. 13. Historiam Eleazar citat ex libris Macabæorum, vocatque eos non Canonicos, qui tamen nunc Canonici sunt.

sunt. Ex initio primæ, & secundæ partis Homiliarum in Dominica prima Adventus colligitur, quod olim SS. PP. Sermones suos vel per se, vel per Notarios recitabant. Homilia 26. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta semper timenda*. Lib. 4. Exposit. in 1. Regum citat Regulam S. Benedicti, quem vocat arctissimæ vitæ Magistrum optimum. Inscriptiones, & titulos Homiliarum S. Gregorii M. alicujus recentioris esse fere omnes, contra Onuphrium, & Baronium demonstrat Joannes Fronto *in prænotatis ad suum Kalendarium* §. 9. qui inter exscribendum eos præfixit. Patet in Dominicis, quæ notantur post Trinitatem; nam hæc die festo coli cœpit multos post S. Gregorium annos. Obiit autem Gregorius anno 604. qui fuit Phocæ Imperii 2. Reliqua de scriptis S. Gregorii Magni vide in novissimis editionibus Petri Goussainvillæi, & Monachorum Congregationis S. Mauri, necnon & in Pagio Brev. gest. Pontif. Tom. 1.

138. Anno 397. *S. Ambrosii* Mediolanensis Archiepiscopi Opera Tom. 5. Parisiis 1603. Tom. 1. Hexameron. De David Apologiæ 2. quarum posterior dubia est. De Elia, & jejunio lib. 1. c. 10. Olim in Quadragesima Sabbato, & Dominica non jejunabant. Tom. 3. Commentariorum in Evangelium Lucæ libri 10. Initio lib. 1. Pseudo-Evangelia enumerat. Sequuntur Commentaria in omnes Epistolas Divi Pauli, sed Epistolam ad Hebræos solum usque ad cap. 10. exclusive explanat, cetera desunt. Tom. 4. ad Gratianum Augustum de fide lib. 5. præcipue adversus Arrianos. Initio lib. 3. ostendit licere dicta Poetarum gentilium miscere sermonibus sacris. Ad eumdem de Spiritu Sancto libri tres doctissimi. De Filii Dei divinitate, & consubstantialitate contra Arrianos lib. 1. qui est Gregorii Nazianzeni ab Ambrosio latine translatus. Lib. 1. de dignitate Sacerdotali videtur esse S. Anselmi. De Pœnitentia adversus Novatianos lib. 2. quos P. Soto negat esse Ambrosii, sed errat. Tractatus ad Virginem lapsam videtur dubius. De virginibus ad Marcellinam Sororem lib. 3. floridissimi, & elegantissimi. Lib. 3. initio refert concionem S. Liberii Papæ ad Virgines, cujus non meminit Cavius. De vocatione Gentium lib. 2., qui Ambrosii non sunt, sed Prosperi Aquitani. Tom. 5. Serm. de Tempore, & de Sanctis, quorum posteriores nonnulli S. Maximo Taurinensi tribuuntur. Epistolarum lib. 8. Appendix, sive Opuscula S. Ambrosio adscripta, videlicet Commentaria in Apocalypsin, & alia, ut in Cavio Parte 1. cui adde librum de pœnitentia, qui Victoris Cartennæ in Africa Episcopi ab aliquibus censetur esse, ex eo, quod in fine libri se Victorem vocari dicat, est Victoris Episcopi Tunonensis in Africa, prout Labbæus ex MSS. ostendit: & revera phrasim redolet Africani. Exhortatio ad pœnitentiam est fragmentum cujusdam sermonis S. Augustini. Obiit autem D. Ambrosius anno 397. ætatis suæ 64. De ejus autem operibus vide nuperrimam editionem PP. Maurinorum, & Apparatum ad Theologiam positivam P. Annati.

139. Anno 450. *S. Petrus Chrysologus* Ravennæ Archiepiscopus scripsit de diversis materiis sermones diversos eloquentissimos. Sunt autem 176. Dicitur etiam scripsisse diversas Epistolas, præsertim adversus errores Eutychetis. Cum aliquando circa finem sermonis obmutuisset. S. Petrus, illius taciturnitatis rationem reddit serm. 68. Familiaris est huic initio sermonis hæc vox: *hinc est*, distorta quoque verbi collocatio, congeminationes, & periodorum conformatio.

140. An-

140. Anno 500. *S. Fulgentii* Rufpenfis Epifcopi opera omnia, quæ extant a Theophilo Rainaudo edita Lugduni 1633. Ad Monimum lib. 3. lib. 1. cap. ult. objectum fuiffe ait D. Auguftino, quod peccatores prædeftinatos ad peccatum dixerit in libro de prædeftinatione Sanctorum; fed Auguftinum defendit S. Profper. Ad Petrum Diaconum lib. unus de fide orthodoxa: hic liber perperam tribuitur D. Auguftino. Ad Felicem Notarium de Trinitate lib. unus. Angelos effe corporeos afferit hoc libro cap. 89. idque afferunt viri magni, & docti. Reliqua vide apud Cavium, & Dupinum.

141. Anno 450. *Valeriani* Cemelienfis Epifcopi Homiliæ 20. morales, & Epiftola una ad Monachos. Eft autem Cemelium Civitas prope Nicæam in Provincia, cujus folæ fuperfunt ruinæ. Coævus fuiffe exiftimatur Leoni Magno. Scripfit pro Valeriano fatis longam, & doctam defenfionem Theophilus Rainaudus, eumque liberat a fufpicione Semi-Pelagianifmi; eique Sancti titulum, quo in MSS. Codicibus infignitur, non effe abrogandum oftendit, faltem ex ufu veteris Ecclefiæ, quo omnes Epifcopi, interdum etiam Hæretici, Sancti vocabantur.

142. Anno 1144. *S. Amedei* ex Abbate Altæ-Cumbæ Ordinis Ciftercienfis Epifcopi Laufannenfis de laudibus Gloriofæ V. Mariæ Homiliæ 8. Fr. Henricus Villot in fuis Atheuis Orthodoxorum Sodalitii Francifcani has Homilias fupino errore tribuit cuidam Amedeo Hifpano, qui in Ordine Minorum vixerit fub Sixto IV. veritate ipfa, multifque Authoribus in contrarium reclamantibus. Vide decretum Sacræ Congregationis.

143. Anno 250. *S. Cyprianus* martyr, Epifcopus Carthaginenfis, ex Jacobo Pamelio Antuerpiæ 1589. Tom. 1. continet Epiftolas 83. Epiftola 2. ad Donatum de vitiis, & erroribus mundi elegantiffima eft. Epift. 62. de Virginibus pollutis, quas infpici ab obftetricibus jubet. Sed hunc morem damnavit poftea S. Ambrofius Epift. 64. ad Syagrium, tum aliis de caufis, tum quod incerta admodum fit fides infpectionis. Epift. 67. fuppofititiam multis rationibus oftendit Joannes Launojus Parifienfis, tum quia in MSS. non eft, tum aliis de caufis. Epift. 70. 71. 72. 73. de Hæreticis rebaptizandis, qui fuit error S. Cypriani: exiftimabat enim non effe verum baptifma apud Hæreticos. Nimius autem eft, & valde acerbus in hoc dogmate defendendo; fcribitque acriter Epift. 75. adverfus Romanum Pontificem, qui hanc doctrinam damnaverat. Epift. 77. ad Martyres in metallo conftitutos doctiffima eft, & elegantiffima; fingulis tormentis fingula folatia pulchra antithefi opponens. Reliquæ Epiftolæ res geftas illorum temporum, & Ecclefiæ negotia continent. Tom. 2. opufcula, & tractatus de Difciplina, & habitu Virginum. Multa huc tranftulir e libro Tertulliani de cultu fœminarum, quod & in aliis opufculis fecit. De lapfis; increpat eos, & ad pœnitentiam hortatur. Infans puella, quæ panem mero mixtum de immolatis acceperat, Sanguinem Domini retinere non potuit. Quædam arcam aperiens, ut fumeret Corpus Chrifti, igne inde furgente deterrita eft, quia erat indigna. Ad Demetrianum: hic erat Afiæ Pro-Conful, qui dicebat debere Chriftianis imputari multa mala, & clades, quibus tunc Mundus vexabatur, calumniam regerit in Deos gentium, eofque irridet, & damnat. De mortalitate: confolatur fuos, hortaturque ad patientiam, dum peftis graffaretur. Ex hoc tractatu habetur, quod atræ veftes induebantur in funeribus fuorum.

fiorum. De bono patientiæ: etiam hic liber fere totus ex Tertulliano De exhortatione martyrii ad Fortunatum. Sunt, qui putant hunc librum Hilarii esse, non Cypriani, authoritate D. Hieronymi. Tom. 3. Opera adscripta Cypriano. De spectaculis; hunc librum Cypriani genuinum censet Pamelius, sicut & 3. sequentes; de secundo non est dubitandum, cum stylus nimium poeticus videatur. De operibus Cardinalibus Christi ad Cornelium Papam, quem Theophilus Rainaudus adscribit Lucio Papæ, est Arnoldi Abbatis Bonævallis ad Papam Hadrianum, habeturque in Bibliotheca Collegii Oxoniensis teste Riveto in *Critica Sacra lib. 2. cap. 15*. Ejusdem sunt etiam undecim, quæ subnectuntur opuscula, prout in Cavio. De singularitate Clericorum liber tributus Origeni. De duplici martyrio ad Fortunatum. Sunt, qui putant hunc Tractatum ab Erasmo confictum esse.

144. Anno 356. *S. Hilarii* Pictavorum Episcopi Opera Parisiis 1631. De Trinitate lib. 12. quorum crisim vide apud Dupinum, cui addi potest lib. 10. Quomodo Christus doluerit, ac timuerit. Hic erravit Hilarius, nam scripsit nullum fuisse in Christo metum mortis, nullum doloris sensum: *in quem*, inquit, *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans*. Quod autem non habuerit metum mortis fuse ostendit per totum lib 12. Christum non esse Creaturam. Censet Angelos fuisse creatos ante Mundum. In Evangelium Matthæi Commentarius, sive Canones 33. Deest præfatio, ex qua sententiam citat Alcuinus *lib. 4. ex septem contra Felicem Urgellitanum*. In plerosque Psalmos enarrationes, præmisso prologo: sunt autem Psalmi, quos explanat 1. 2. 13. 14. 51. 52. & reliqui per ordinem usque ad 69. inclusive. Tum diffusissime 118. Deinde Cantica graduum; & demum reliqui Psalmi a 134. usque ad finem Psalterii. Porro hic Author non caret quibusdam erroribus; nam Canon 4. in Matthæum docet, quod Uxorem adulteram liceat abjicere, & aliam ducere. Can. eodem innuit omne juramentum Christianis esse interdictum. Can. 5. asserit, nihil incorporeum esse creatum; ac propterea Angelos, & animam habere aliquam corporeitatem. Can. 31. nititur excusare S. Petrum, quasi non negaverit Christum. Can. 33. videtur intelligere Divinitatem ab Humanitate Christi morientis recessisse: sed hoc benigne interpretatur Magister Sententiarum *lib. 3. dist. 21*. Can. quoque 1. docet Josephum Virum Mariæ ex priore conjugio Filios suscepisse. In Psal. 64. docet electionem esse ex prævisis meritis. In Psal. 118. ad vers. *Concupivit anima mea &c.* sentit omnes fore igne purgandos, etiam B. Virginem. Eodem Psal. vers. *Portio mea, Domine*, videtur sentire non convenire Sacerdotibus terrenas possessiones. In Psal. 129. vers. *Fiant aures*, censet animam Adæ creatam ante corpus. Item can. 18. in Matthæum subscribit opinioni de Mundi duratione per annos tantum 6000., & can. 20. Moysen non esse mortuum.

145. Anno 727. *S. Joannis Damasceni* Opera; Trithemius duos facit Damascenos magno errore: unum, qui scripserit de Fide Orthodoxa sub Theodosio Juniore; alterum sub Leone, qui pro Imaginibus disputavit. Sed unus, & idem fuit, floruitque tempore Leonis Iconoclastæ. Ejus Opera hæc sunt: Parallela, sive loci communes ex Scriptura, & SS. PP. juxta seriem Græci Alphabeti; sunt autem lib. 3., quos primo Damascenus ediderat ita distinctos, ut primus contineret

quæ ad res divinas, & fidem pertinebant; secundus de rerum humanarum statu: Tertius de virtutibus, & vitiis dissereret. Postea vero, mutato consilio, materias alphabetice distribuit magno incommodo latinæ translationis. De Fide Orthodoxa: Oratio, quod iis, qui cum fide ex hac vita excesserunt, vivorum Missis, & Sacrificiis juventur. De Trajano precibus S. Gregorii ab inferno liberato historiam totius Orientis, & Occidentis testimonio veram esse affirmat. Citat quædam ex Athanasio, & Gregorio Nisseno, quæ hodie non extant. Meminit tertii, noni, quadragesimi, ac Anniversarii diei, quibus justa pro Defunctis agi solent. Oratio de Christi Transfiguratione, scribit S. Joannem Evangelistam adhuc vivere. Dialogus adversus Manichæos, qui Damasceno perperam tributus videtur; nam solam damni pœnam in damnatis admittit, atque ignem metaphorice explicat. Vita S. Stephani Junioris, qui ob cultum SS. Imaginum sub Copronymo martyrio coronatus est: ea tamen non est Damasceni. Historia SS. Barlaam, & Josaphat a quibusdam Synaitæ falso tributa; ut observat Billius.

146. Anno 430. *S. Cyrillus* Alexandrinus. Hujus Opera Basileæ impressa sunt anno 1566. Tom. 5. deinde Parisiis 1638. Tom. 6. In Leviticum libri 16. quos quidam Origeni adscribunt, in quibus quicquid corporaliter, & secundum literam observandum statuitur, id omne ad spiritualem intelligentiam transfertur. Quartæ, & sextæ feriæ jejunium solemne erat antiquis Christianis lib. 10. semel tantum concedi locum pœnitentiæ in gravioribus criminibus ait lib. 15., quod intelligitur de publica pœnitentia. Magis videntur pertinere ad Origenem hi Commentarii, & habentur inter Opera ipsius. Lib 7. ait: *Salvator meus luget etiam nunc peccata mea*, de qua re arguitur a D. Bernardo serm. *de verbis Origenis*, qui est 34. de diversis. Epistolæ 39. fere omnes sunt de Nestorio, ejusque damnatione, qui B. Virginem non Theotocon, sed Christotocon, aut Theodocon dicebat. Sunt inter has quædam ipsius Nestorii Epistolæ. Homiliæ 10., inter quas sunt 2. Pauli Episcopi Emeseni, scilicet prima, & octava dictæ Ephesi contra Nestorium, & de laudibus Cyrilli. Ultima est de exitu animæ, & de secundo adventu, docta, elegans, & pia, & alia &c.

147. Anno 1130. *Richardus a S. Victore* edit. Venetiis 1592. Prima pars de exterminatione mali, & promotione boni tract. 3. Primo agit de contemptu sui; Secundo de studio contemplationis; Tertio de confirmatione in bono. Desumit autem disserendi materiam ex his, quæ acciderunt, quando Israel transivit Jordanem. De statu hominis interioris ex verbis Isaiæ: *Omne caput languidum*. Tractatus tres de malis innatis, & illatis, eorumque remediis. De eruditione interioris hominis lib. 3. accepta occasione ex somnio Nabuchodonosor apud Danielem. De præparatione animi ad contemplationem liber unus, dictus Beniamin minor, ex Historia Jacob, & duarum Uxorum ejus, & filiorum. De gratia contemplationis libri 5. ex arca fœderis sumpta occasione: vocatur autem hoc opus Beniamin major. Describit in eo docte, & diffuse sex genera contemplationis, agitque in fine de triplici mentis excessu. Allegoriæ nonnullæ Tabernaculi fœderis, cum brevissima recapitulatione eorum, quæ continentur in prænotato opere de gratia contemplationis. De Trinitate libri 6.; liber 6. cap. 22. scribit, & defendit, quod substantia in divinis generat substantiam, quæ sententia est contra fidem; nam postea definitum est in Conciliis, quod essentia nec generat, nec generatur. Ita definivit Innocentius III. in Concilio La-

Lateranensi, & habetur cap. *Damnamus Extrav. de SS. Trinitate, & Fide Catholica*. De tribus appropriatis Personis respondet D. Bernardo Abbati Claræ-Vallis, qui quæsierat ab ipso, quomodo deberet intelligi sententia D. Augustini, quæ dicit attribui Patri unitatem, Filio æqualitatem, & Spiritui Sancto utriusque concordiam. Item, cur tribuatur Patri potentia, Filio sapientia, & charitas, sive bonitas Spiritui Sancto. De Verbi Incarnatione liber unus ad D. Bernardum Abbatem Claræ-Vallis: ostendit necessarium fuisse Deum incarnari; nullamque Personam congruentius, quam Filii. Mystice explicat illa verba Isaiæ: *ad me clamat ex Seir, Custos quid de nocte?* quorum explicationem ab eo petierat S. Bernardus. De Emanuele lib. 2. Disputat contra Tractatum cujusdam Magistri Andreæ, qui objectiones Judæorum contra nos ponebat, nec solvebat. Lib. 2. Dialogus est inter Hugonem, & Richardum: in utroque autem differit de Mysterio Incarnationis adversus Judæos, deque Infantia Salvatoris. Ille vero Hugo est Discipulus Magistri Andreæ. Multa hic de laudibus B. Virginis, & alia opuscula. Pars secunda mysticæ adnotationes in plures versiculos aliquot Psalmorum, & in Canticum Habacuch. Non explicat totum Psalmum, sed versum unum, aut alterum cujusque Psalmi notati. Explicatio Psalmi 35. est devotissimum soliloquium. Optime etiam explanat Psalmum 28. de Religiosis totum, & diffuse. Sunt & alia soliloquia. Expositio in Cantica Canticorum. Prologus est D. Gregorii Magni; non explicat totum librum, sed loca tantum insignia. Capitibus 32. multa hic de laudibus B. Virginis. Incipit a versu: *In lectulo meo quæsivi per noctem &c.*

148. Anno 165. *S. Justinus* Philosophus, & Martyr. Ad Græcos, sive Gentiles oratio parænetica. Probat inductione falsa esse, quæ de Diis a Philosophis, & Poetis dicta sunt. Nostræ Religionis fudamenta, & initia. Unum esse Deum etiam sapientum Ethnicorum. Quæ recte scripserunt Philosophi, acceperunt a libris sacris. Ad Senatum Romanum pro Christianis Apologia: occasio scripti, casus cujusdam mulieris Christianæ. Ad Antoninum Pium Apologia altera diffusa, & omni eruditione Græca, & Christiana refertissima. Quæstiones ad Orthodoxos 146. cum suis responsionibus, quæ tamen Justini Martyris non sunt, sed alterius recentioris: nam videntur scriptæ circa finem extincti Helenismi; & quæst. 86. citat Origenem.

149. Anno 340. *Eusebius* Pamphili Cæsariensis Episcopus. Evangelicæ demonstrationis de Salvatore nostro Jesu Christo lib. 10.; primo deest priucipium. De Evangelica præparatione lib. 14., quorum ultimo videntur plura deesse.

150. Anno 404. *Joannes Cassianus* Eremita. Gelasius Papa Cassiani Opera inter Apocrypha recenset, & S. Prosper collationem 13. ex professo impugnat, quod in ea dicat initium aliquod gratiæ a nobis esse. Collatione item 17. ait licere quemquam mentiri ob bonum finem, quæ sententia erronea est. Angelos esse corporeos scribit, eosque fuisse creatos ante mundum hunc visibilem. Collatione sequenti opinatur; qua etiam dicit dari cuique duos spiritus, quorum unus bonus, alter malus est. Sed his non obstantibus Massilienses colunt Cassianum tamquam Sanctum, ut notat Theophilus Rainaudus in suo *Valeriano c.* 3, eumque Sanctum vocari ait a Gregorio Magno lib. 9. registr. Indict. 15. Epist. 12. ad Respectam Abbatissam. Certe ejus institutiones, & collationes viam certissimam demonstrant ad apicem perfectionis.

151. Anno 619. *S. Isidorus* Hispalensis. De differentiis, sive proprietatibus verborum lib. 2., quorum primus mere grammaticus est; alter inscribitur de differentiis spiritualibus, & explicat discrimen multarum rerum pertinentium ad Theologiam. Sinonymorum lib. 2. Sunt autem soliloquia, in quibus introducit personam hominis in ærumnis seculi se deflentis, cui ratio obviat, & eum consolatur. Est igitur Dialogus inter hominem, & rationem: abundat autem sinonymis, unde titulum sortitus. Lib. de contemptu mundi videtur collectus ab aliquo ex sinonymis: multa enim ex illis repetit. Lib. de norma vivendi ejusdem farinæ. Lamentum pœnitentis ad instar versuum trochaicorum: non enim observat quantitatem. Lib. de natura rerum ad Sisebutum Regem; explicat præcipue meteora. Chronicon breve ab orbe condito ad an. V. Heraclii Imperatoris, ad æram Scilicet 654. nostræ salutis 616 qua ipse scribebat. De conflictu vitiorum, & virtutum, qui liber tribuitur SS. Ambrosio, Augustino, Leoni, & aliis: sed stylus arguit ad Isidorum pertinere. Alius liber differentiarum diversus a superioribus, mere grammaticus, ordine alphabetico. Commentaria in Scriptura ab antiquis PP.; fere omnia ad verbum excerpta sunt. Expositio Regum habetur etiam apud Eucherium, & Bedam. Dicitur hic Isidorus junior ad differentiam alterius, qui vixit tempore D. Augustini, & Pauli Orosii.

152. *S. Thomas Aquinas* Ordinis Prædicatorum. Quædam opera, quæ sub nomine S. Thomæ edita sunt, S. Antoninus 3 *part. hist. tit.* 18. *cap.* 10 aliena esse testatur. Lectura in Matthæum est Fr. Petri de Andria, qui multa addidit libris de Cœlo. Postilla in quosdam Psalmos est Fr. Reginaldi socii ipsius Thomæ, sicut etiam liber de anima, & expositio in Joannem, excepto primo capite. Alia etiam Opera S. Thomæ sunt præfati Petri de Andria. Vide Antoninum. Sixtus Senensis abnegat D. Thomæ Commentaria in Isaiam, Hieremiam, &c. Hieronymus Vielmus etiam Ordinis Prædicatorum negat ejus esse expositionem in Apocalypsim, super Genesim, super Ecclesiasten, atque Compendium Theologiæ. Michael Pius excludit Commentaria in Epistolas Canonicas, & alia; item Antoninus Senensis. Joannes Paulus Nazarius aufert 20. Opuscula. Non sunt D. Thomæ. Scriptum super sententias ad Annibaldum; Liber de regimine Principum; Responsio ad Magistrum Joannem, De natura generis, De potentiis animæ, De natura materiæ, De dimensionibus interminatis, De tempore, De pluralitate formarum, De natura syllogismorum, summa Logicæ, De sensu respectu singularium, De inventione medii, De natura hominis, De natura loci, De quo est, & quod est, De universalibus duo opuscula, De Sacramento Altaris, De humanitate Christi, De dilectione Dei, De divinis nominibus, De beatitudine, De modo confitendi, De officio Sacerdotis, De expositione Missæ, De emptione, & venditione, De modo acquirendi divinam Sapientiam, De vitiis, & virtutibus, De concordantiis sui ipsius, De usuris in communi, quæ omnia vel spuria sunt, vel dubia. Commentaria in Metaphysicam sunt Alexandri de Ales, ut quidam ajunt. Tertiam partem complevit quidam ejus Discipulus, dictus Albertus de Brixia. Catena aurea in Codicibus MSS. tribuitur Pontio Carbonello Minorum Magistro S. Ludovici Francorum Regis Ita etiam asserit Martinus Perez de Guevara Ordinis Minorum in suo Libro inscripto: *Judicium Salomonis de Authore Catenæ aureæ* in formam Dialogi, ubi probat dictam Catenam auream opus esse memorati Carbo-

Carbonelli, de qua etiam re \\ adingus. Item ſcriptum ſuper ſententias ad Annibaldum, de quo ſupra diximus, citari ait nomine ipſius Annibaldi a Dionyſio Carthuſiano, & in quodam MS. adſcribi Annibaldo Carmelitæ. Liber Perihermenias non eſt D. Thomæ, nec expoſitio Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ. Commentaria in libros Politicorum, excepto primo, & ſecundo libro, & parte 3. ſunt Petri Alvernatis Ordinis Prædicatorum, cujus etiam ſunt Commentaria in libros Perihermenias, & poſteriorum Analyticorum. Libros de Anima perfecit Reginaldus. In Epiſtolas D. Pauli major pars fuit addita, ut affirmat Michael Pius. Commentaria in Boethium de conſolatione ſunt Thomæ Anglici, cui tribuuntur & alia. Alia multa habet Petrus de Alva Ordinis Minorum in *Nodo indiſſolubili edito Bruxellis 1661. Nodo 1. pag. 6. & ſeqq.* §. 1. Opera D. Thomæ, ut conſtat ex Ægidio Romano in ſuo *defenſorio librorum Doctoris Angelici*; initio erant tantum VII. Deinde creverunt uſque ad XX. poſtea ad LVIII. tum emerſerunt CXXVIII. & CLXX. anno 1277. paulo poſt ejus obitum quædam ejus propoſitiones Pariſiis damnatæ fuerunt, ut ex eodem Alva pag. 168. Vide Chronicon Trivetti in Spicilegio Lucæ Dacherii Tom. 8. pag. 632.

153. *S. Bonaventuræ* Opera Tom. 7. In Appendice Tomi VII. habentur opera dubia, vel aliena; nempe de inviſibilitate, & immenſitate Dei, qui tribuitur D. Hieronymo. Tractatus de ſex alis Cherubim Alano de Inſulis adſcriptus. De modo confitendi, & puritate conſcientiæ tribuitur etiam D. Thomæ; ſed Gerſon ait ſub nomine Bonaventuræ. Theologia myſtica Henrico de Palma inſcripta conſtat eſſe opus Authoris Carthuſiani. Et quidem in Codice MS., qui erat Leonis Allatii antiquo ſic inſcribitur: *Incipit myſtica Theologia Hugonis de Palma*. In particula ſecunda de modo purgativo circa medium in impreſſo hæc leguntur: *Tertio illud, ad quod vocatur, recolat; quia cum non ad Regulam S. Auguſtini, vel Benedicti Redemptoris gratia vocatur, ſed ad illam, quam ipſemet elegit; quando ductus eſt in deſertum, ubi quadraginta diebus, & noctibus continuis jejunavit; & in maxima paupertate per Mundum prædicavit, & ſaluti omnium ardentiſſime intendit*. At in MS. deſunt hæc verba, *& in maxima &c.* addita, ut author videretur Franciſcanus, cum ſit Carthuſianus. Et paulo ante, ubi impreſſus ait *ad Religionem Fratrum Minorum*, in MS. legitur: *ad Religionem Carthuſienſem*. Compendium Theologicæ veritatis Ægidio Romano, & Alberto Magno tributum.

154. *Paſchaſii Radberti* Abbatis Corbejenſis Opera. Obiit anno 851. Nunquam aſcendit Paſchaſius ad Presbyterii honorem, Diaconi officio contentus. Initio habetur carmen Engelmodi Epiſcopi Sueſſionenſis ad eumdem Radbertum. Commentariorum in Evangelium Matthæi lib.12. Diffuſiſſimi ſunt hi Commentarii, & docti ex Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, & Beda, ſive ex eorum ſenſibus excerpti. In lamentationes Hieremiæ libri 5. Explicat ſatis diffuſe, literaliter, allegorice, tropologice, quamquam etiam anagogice. Ad Paſchaſii tumulum multa patrata ſunt miracula, & eum Corbejenſes ut Sanctum colunt.

155. *S. Proſper* Aquitanus obiit anno 460. Ejus operum criticem vide apud Cavium, cui adde: Proſperi Epiſcopatus incertus eſt; nam cum tres ſint Civitates, quæ Rhegium dicuntur, una in Calabria, altera in Inſubria, tertia in Gallia Narbonenſi; omnes iſtæ eum Epiſcopum ſibi vindicant. At Sirmondus in notis ad Sidonium Apollinarem audacter

ćter affirmat hunc D. Prosperum Aquitanicum nunquam fuisse Episcopum. Libros de vita contemplativa S. Prospero tributos Isidorus Hispalensis Pomerio adscribit, & in antiquo Codice MS. Archiepiscopi Tolosani, sicut etiam in Vaticanis Bibliothecæ Reginæ Sueciæ intitulatur: *Pomerii ad Julianum de vita contemplativa*, ut ait author *Apologiæ pro SS. PP. par. 1. art. 4.* Prædictos libros tres de vita contemplativa S. Prospero tributos constat in Concilio Aquisgranensi *anno 816. lib. 1. cap. 19.*; sed Prosperi non sunt, quia Gennadius ejus Opera recensens, hujus non meminit. Deinde in hoc Opere *lib. 2. cap. 9.* sermo est de Hilario Arelatensi, qui Prosperi æqualis fuit; sed ita tamen, ut Author significet eum ætate sua superiorem fuisse; denique, ut dictus Sirmondus notat in notis ad præfatum Concilium, in antiquis Codicibus MSS. Pomerio Juliano adscribitur, quod etiam asserit Isidorus *lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus*. Fuit porro Pomerius Afer, Maurusque patria; sed in Gallia primum Rhetor, tum Presbyter, & Abbas, quod ex Ruricii ad ipsum Pomerium Epistolis, & ex vita Cæsarii colligitur. Libros de vocatione gentium inter Opera S. Prosperi, non esse Prosperi Aquitani, nec alterius Episcopi Aurelianensis, nec S. Hilarii socii S. Prosperi, idem Author fuse ostendit, conjiciens esse potius tribuendos incerto Authori Africano, qui scripta SS Augustini, & Prosperi legerit. Convenire ait stylum ejus cum Epistola ad Demetriadem. Scriptos videri circa annum 440. Citari a S. Gelasio in Opusculo contra Pelagianos, qui obiit anno 496. *Sicut quidam Magister Ecclesiæ sapienter docuit dicens: ad magnam enim utilitatem fidelium materia est servata certaminum, ut non superbiat Sanctitas, dum pulsatur infirmitas*. In Conciliis hactenus editis citatur perperam ad hanc sententiam in margine S. Augustinus.

156. *S Bernardus* Abbas Claravallensis. Operum ejus perfectior editio est novissima Monachorum S. Mauri, quæ necessario videnda erit. Ad ejus Opera supposititia, quæ recenset Cavius, adde *num 6 in Ordine*: De ordine vitæ, sive doctrina puerorum. De amore Dei lib. 3. quorum tertius ex Merloni Horstii editione accessit. Duorum priorum Author est Guillelmus a S. Theodorico, tertius ex Richardo Victorino fere excerptus. Tractatus de conscientia est Petri Cellensis. Sermones XV. de Cœna Domini sunt Ogerii Abbatis Lucedii Ordinis Cisterciensis, ex veteri MS. Bibliothecæ Ducis Sabaudiæ. In Bibliothecis S Antonii Venetiis pluteo 18. habetur expositio super sermones D. Bernardi. SS. Joannis, & Pauli, pluteo 2. partis sinistræ S. Bernardi Homiliæ in Lucam, & pluteo 4. S. Bernardus de Deo cum tabula rerum prædicabilium, & diversorum Sanctorum: S. Nicolai de Tolentino, Planctus Virginis S. Bernardi; Cœnobii S. Francisci a Vinea S. Bernardus de excæcatione hominis, de contractibus, de contemptu Mundi, quæ omnia an genuina sint, judicent, qui eadem MSS. legendi copiam habent.

157. *Thomas* Cisterciensis scripsit in Cantica Canticorum Commentariorum libros XII. secundum allegoricum, & tropologicum sensum, stylo conciso, & aspero, crebrisque divisionibus, ac subdivisionibus intricato, impressos Parisiis 1521. apud J. Budium Ascensium.

158. Anno 596. *S. Gregorii* Turonensis Historiæ Francorum libri 10. Ducitur hæc Historia ab initio Orbis usque ad annum primum Gregorii Magni; dicit in fine se scripsisse libros 7. Miraculorum: unum de vitis PP., unum in Psalterium, unum de cursibus Ecclesiasticis. Sequitur liber XI, sive Appendix Historiæ Francorum usque ad Carolum Magnum.

De

De gloria Martyrum libri 2. De gloria Confessorum liber 1., in quo Gregorius nominatur *Georgius Florens*. Cap. 107. dicit B. Paulinum Episcopum Nolæ scripsisse lib. 6. versu de virtutibus S. Martini, quos alteri Paulino adjudicat Cavius, sed falso: etenim, Gregorio teste, Paulini Nolani sunt. De miraculis S. Martini libri quatuor, de his videlicet, quorum nec Paulinus, nec Severus Sulpitius, nec Fortunatus meminerunt.

159. *C. Sollii Sidonii Apollinaris* Opera. Epistolarum libri 9. sunt omnes Epistolæ 137. Lib. 1. Epist. 2. describit eleganter pulchritudinem, & mores Theodorici Regis. Epist. 5. iter suum Romanum describit. Lib. 2. Epist. 2. pulchra Villæ descriptio est; itemque Epist. 9. Lib. 3. Epist. 13. elegantissima descriptio hominis deformissimi. Lib. 9. Epist. 14. Quinam sint versus recurrentes, ut illud *Roma tibi subito; & præcipiti modo*.

160. Anno 302. *S. Methodii* Episcopi Patarensis, & Martyris in Festo Purificationis sermo. Item de rebus, quæ ab initio Mundi contigerunt; quæ deinceps contingere debent, Revelationes. Sed hic liber suppositius est, & cap. 1. citat Magistrum sententiarum, totusque scatet fabulosis narrationibus.

161. Anno 516. *S. Orentii* Episcopi Illiberitani Commonitorium editum a Martino Del-Rio versu elegiaco, suntque versus circiter 600. Sed desunt multa in fine, estque carmen elegantissimum, totum documentis moralibus refertum.

162. *S. Laurentii Justiniani* Opera. Inter cetera de incendio divini amoris aureus liber est plenus affectibus, orationibus, & inflammatissimis cum Deo colloquiis. Libro de compunctione ingenti spiritu, & verborum copia, & elegantia deplorat damna militantis Ecclesiæ, & hodierni Cleri depravatos mores.

163. Anno 233. *S. Gregorii* Thaumaturgi Episcopi Neocæsareæ Opera. Duodecim Capitula de fide, sive 12. Anathematismi cum suis interpretationibus voce Ομουσιος utitur ante Concilium Nicænum cap. 2.

164. *Petri Abailardi* Opera. Liber adversus hæreses censetur suppositius. Scripsisse alia dicitur, quæ non extant: videlicet Dialecticam, scito te ipsum, quem librum Ethicam intitulavit. Glossas in Ezechielem, Carmina amatoria, Hymnos sacros, &c.

165. *Bruno* Astensis ex Abbate Cassinensi Episcopus Signiensis; vixit tempore Gregorii VII. & Paschalis II. Opera ejus impressa sunt Venetiis 1651. Inter ejus Opuscula adest Epistola ad Episcopum Portuensem, & Paschalem Papam liberrima, & increpatoria de investituris. In fine sunt faculæ ad loca obscura quædam S. Brunonis sine nomine Authoris, sed sunt Theophili Rainaudi. Dicta præcipua Brunonis notata sunt; quod omnia opera Infidelium sint peccata, quæ fuit sententia Augustini, Fulgentii, Prosperi Ariminensis, Capreoli, Catharini, & aliorum. Iterandam esse confirmationem pro Simoniacis, quod Sacramentum esse iterabile, quando collatum est ab hæreticis, Veteres censuerunt. Nulla esse Sacramenta collata a Simoniacis, intelligitur quoad usum..

Errores porro hac in editione emersos doctissime innuit, supplendique modum indicat Gabriel Bucellinus in Epistola ad Reverendissimum P. D. Philippum Malabaila Congregationis Reformatæ Monachorum S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Visitatorem, quæ annexa reperitur ejusdem S. Brunonis Operibus in Bibliotheca S. Bernardi ad Thermas litera A. Plut. 6. num. 10.

166.

166. De *Bedæ* Collectaneo in Epistolas D. Pauli dubitant nonnulli; sed litem dirimunt Servatus Lupus Epist. 76. & Hincmarus in posteriori Opere adversus Gottescalcum cap. 1. qui Bedæ tribuunt. Est & aliud Collectaneum Flori Magistri in ejusdem Epistolas ex scriptis S. Augustini, cujus meminit Baluzius in notis ad præcitatam Epistolam Lupi. Ex quo factum est, ut Commentarius Bedæ Floro tributus sit a Trithemio de viris illustribus S. Benedicti c. 44. Flori Expositionem in Epistolas testatur Sirmondus in *notis ad Avitum* ex decem PP. conflatam esse Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem Diacono, Paulino, Leone, Fulgentio, & Avito.

167. *Librum de Pœnitentia* Tertulliani negant esse Erasmus, & Rhenanus; alii dubitant, quod dissimili stylo, & diffusiore sit scriptus.

168. *Hieronymus Savonapola*. De eo Ambrosius Catharinus ait: Triumphum Crucis non esse suum opus, sed alterius cujusdam Fr. Ordinis Prædicatorum: Stylus enim, ait, Fr. Hieronymi non est adeo elegans, quod verissimum est, ut patet conferenti hoc opus cum aliis ab eo Latine scriptis.

169. *Anonymi* Altercatio Synagogæ, & Ecclesiæ, impressa Coloniæ 1640. fol. Ejus Authorem tempore Caroli Calvi floruisse conjicit editor, quia fol. 11. loquens de Theologis ait: *Theologus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro, & nostri temporis Scotus de decem Categoriis in Deum*. Hic autem Scotus floruit sub Carolo Magno. Observo quod fol. 26., & 29. habet quædam præcisa verba D. Bernardi *Tract. de Gratia, & libero arbitrio*. Quare dubium est, quo tempore vixerit. Num. 2. & 48. explanat Genesim, Exodum, ac totum fere vetus Testamentum. De peccato Angelorum docte, & subtiliter cap. 3. Sunt, qui ejus Authorem faciunt Gislebertum Westmonasteriensem.

170. *S. Wolphemlus* Abbas. Surius in hujus Sancti vita ad diem 22. Aprilis affert ejusdem Epistolam de Sacramento Eucharistiæ adversus Berengarium doctam, & elegantem; sed affectat similes desinentias. Sunt etiam ejusdem quidam versus Leonini, videlicet: *Late diffusus sic Ecclesiasticus usus &c.*

171. *Magister Robertus Paululus* Clericus Ambianensis, de quo nihil Cavius, scripsit lib. 3. de officiis Ecclesiasticis, quos MSS. se vidisse testatur Dacherius in Epistola ad Lectorem præfixa Tom. 1. Spicilegii, qui libri inserti sunt libris eruditionis Theologicæ Hugonis Victorini. Vivebat Paululus anno 1180.

De Libris Apocryphis.

1. PAssim occurrunt PP. voces de Hæreticis conquerentium, quod ut suis erroribus authoritatem conciliarent, libros suos Doctorum Ecclesiæ, immo & Apostolorum nominibus inscribere ausi sint. Hinc Apocrypha Clementis, Barnabæ, Petri, Thomæ &c. Sic Nestoriani Epistolam in defensionem Theodori Mopsvesteni sub nomine Cyrilli Alexandrini evulgarunt *Concil. 5. Collat. 5. pag. 560.* Sic Eutychiani quosdam Libros Apollinaris Doctoribus Orthodoxis tribuerunt. Marcian. *Epist. ad Mon. Alexand. ad Calcem Concilii Chalcedonensis Tom. 2. pag. 450. litera* E. Leontius quoque demonstrat ipsos Eutychianos nominibus fuisse abusos Gregorii Neocæsariensis, Julii Papæ, & Athanasii Alexandrini. Immo librum inscriptum: *Fides singillatim exposita*, qui Gregorio Neocæsariensi a plerisque tribuitur, docet Leontius esse

Apol-

Apollinaris. Monothelitæ duos libros in defensionem suæ hæresis sub nomine Vigilii ad Justinianum, & Theodorum ediderunt, *Concilio 6. act. 3. pag. 23. & act. 3. pag. 23. & act. 14. pag. 214. & seqq. Tom. 3.*

2. *Epistolam Christi ad Abagarum* non esse veram censet Procopius *lib. de Bello Persico 2. cap. 12.*

3. *Georgius Syncellus* in sua Chronographia ab initio Mundi multa excerpsit ex libro Apocrypho Enoch, & ex Monethone, aliisque historicis, qui interciderunt.

4. *Sybillarum carmina* ab otiosis hominibus circa tempora Hadriani Imperatoris fuisse conscripta, & conficta censet Valesius in notis ad Eusebium pag. 265. Nemo certe antiquior Justino eorum mentionem facit; & Celsus, qui vixit sub Marco Antonino Christianos Sybillinis carminibus multa falso inseruisse ait, cujus verba refert Origenes *lib. 7.* Et revera non est credibile, quod Sybilla clarius, quam Isaias de Christo prædixerit; neque Apostolus, qui non est dedignatus Aratum, & alios Gentiles citare, tam clarum Sybillæ testimonium non omisisset. Vide Orationem Constantini ad Sanctorum Cœtum apud Eusebium.

Notæ in Euchologium.

1. EUchologium Arabicum, cujus examen nobis commissum est; nihil ferme distat a Græco. Fol. 1. & deinceps habentur ordinationes: & pro minoribus Ordinibus sola habetur ordinatio Lectoris; sive tres omittantur, sive unica Lectoris ordinatione comprehendantur; de qua re legendus Arcudius *lib. 6. cap. 10.* & Goar in *notis ad Euchologium Græcum pag. 238.* Morinus in *Præfat. lib. de sacris Ordinibus*; non satis tutum arbitratur ex solis placitis Scholasticorum de re tanti momenti pronunciare; nec temere damnanda est constans Euchologii observatio per tot secula, & apud tot Nationes. Minorum Ordinum institutionem juris tantum Ecclesiastici esse censent Viri gravissimi: & apud veteres non *Ordines*, sed *Officia*; non *Sacramenta*, sed *Sacramentalia* credita sunt. Morinus *part. 3. exercit. 11. cap. 3. num. 8.* ridiculam vocat, & inutilem hanc quæstionem, an sint cogendi Græci ad minores Ordines; quærendum potius ait, cur Latini eos promovent ad istos Ordines, qui nunquam eorum muneribus functuri sunt.

2. Fol. 2. & 3. *Forma deprecativa in Ordinatione Subdiaconi, Diaconi &c.* Nunquam legimus Græcos post schisma revertentes ad unionem fuisse ab Ecclesia Romana ordinatos. In Concilio Florentino diligentissime inquisitum est in Ritus Græcorum; nulla tamen lis mota est de Ordinationibus. Clemens VIII. Ruthenos recepit, nullo illis facto negotio de Ordinationibus.

3. Cum Ecclesia Dei unum sit corpus, satagendum est, ut inter omnia membra unitas, & consensus foveantur, & conserventur. Diversi ritus fidei unitatem non tollunt: neque rem Christianæ charitati consentaneam faciunt, qui ex hodierno usu antiquissimas, & receptissimas Ecclesiæ consuetudines metientes, quicquid exorbitat a præsenti tempore, acerrimis concertationibus convellunt; & Ecclesiasticæ antiquitatis ignari, ex solis Scholasticorum placitis de rebus maximi momenti pronunciare audent; & veteres Sanctissimos Patres erroris, & criminum damnare, dissidia foventes, quæ astu diabolico Ecclesiam

Orientalem ab Occidentali per tot secula miserando schismate divisérunt.

4. Oportet igitur primo controversiæ statum optime stabilire, rem controversam ad sua principia reducendo; hoc enim veluti fundamento constituto, quicquid dissidii est, facillime componi poterit, & optata pax conciliari. Tum solerter animadvertendum est, an olim fuerint utriusque Ecclesiæ iidem ritus, a quo primum, qua de causa, & qua authoritate mutari cœperint; quo animo ea diversitas introducta; an ei statim a viris doctis, ab Episcopis, sive a Romano Pontifice contradictum fuerit; an recepta sine fidei, & unitatis dispendio. A Christo una Ecclesia per totum Mundum in multa membra divisa est; sicut solis multi sunt radii, & lumen unum, ut ait Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ.

5. D. Thomas 4. *sentent. dist.* 3. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. Scotus *ibidem qu.* 2. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 21. *sect.* 1. *&* 2. & alii communiter asserunt valere baptismum forma deprecativa, eo quod talis sit forma Ecclesiæ Orientalis. Idem dixissent de Ordinationibus, si notitiam earum habuissent.

6. *Materia est manuum impositia*. Instrumentorum porrectio abest etiam ab antiquis Ritualibus latinis, ut ostendit Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 292. & seqq. Ad Bullam Eugenii in Concilio Florentino respondetur, quod instrumentorum traditio est materia accessoria. Alii dicunt materias fuisse dilatatas. Idem Menardus pag. 296. confutat Arcudium, qui dicit ipsam instrumentorum porrectionem esse manuum impositionem.

7. Fol. 7. *Dat ei Pontifex sanctum panem, dicens: accipe depositum &c.* His verbis formam Sacerdotii constitui quidam perperam putarunt apud Goar pag. 299. Constat ex Ordine Romano, & ex Fulberto Carnotensi *Epist. ad Finardum* olim novis Sacerdotibus integrum panem consecratum solitum dari, ex quo quotidie per quadraginta dies communicabant.

8. Fol. 8. habetur *Ordinatia Chorepiscopi*, quæ non est in Græco. Pontifex dicit: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, Effice eum dignum ad hunc ordinem, ad quem promotus est, ut præsideat pagis &c.*

9. Fol. 9. In professione fidei ordinandi in Episcopum: *Et in Spiritum Sanctum procedentem a Patre.*

10. Fol. 12. In eadem Professione enumerans octo prima Concilia, in quinto damnat impium Theodoretum, quæ est celebris controversia trium Capitulorum, & in sexto damnat Honorium.

11. Fol. 13. *Forma Episcopatus . . . . . . Gratia divina &c.* sequitur impositio manuum post prolatam formam. Idem est in ordinatione Patriarchæ.

12. Fol. 14. *Domine Deus . . . . constituisti Doctores similes tibi in passionibus*. In Græco 303. *Doctores simili nobiscum ratione passibiles*. Repetitur in ordinatione Patriarchæ.

13. Fol. 18. & 21. ait, quæ quinque mensibus uterum gerit, si abortum facit per aliquod accidens, uti est timor, aut pavor, aut gestatio rei gravis, ream esse homicidii. Ita censent Græci apud Goar pag. 331. juxta Canonem 22. Synodi Ancyrenæ, & Epist. 1. S. Basilii ad Amphylochium cap. 8. & leges Constantini Porphyrogeniti, & Emmanuelis Comneni, quos citat Balsamon in Can. 9. Trullanum.

14. Fol.

14. Fol. 22. Obſcure loquitur de Hæreticis rebaptizandis.

15. Fol. 24. *Forma confirmationis. Signaculum doni Spiritus Sancti*. Agit de his, qui ab hæreſi redeunt ad fidem Orthodoxam, quos ſancto Oleo ungi præcepit. Hunc ritum damnat Arcudius, ſed defendit Goar pag. 887. Dicendum non eſſe iterationem Confirmationis, ſed unctionem mere cæremonialem; ejuſque initium a Metodio Conſtantinopolitano circa annum 840.

16. Fol. 35. *Unctio confirmationis in fronte, oculis, naribus, auribus, ore, pectore, manibus, pedibus*. Sacerdotes arrogarunt ſibi confirmandi officium, ex quo baptiſmus extra ſolemnes dies conferri cœpit, ex commiſſione Epiſcoporum. Confirmatio autem ſeorſum a baptiſmo non confertur a Græcis. Poſt formam baptiſmi additur: *Et nunc, & ſemper*, quod eſt votum Sacerdotis, ut ſemper in eo maneat gratia. Uſus antiquiſſimus eſt apud Græcos, ut idem, qui baptizat, confirmet, ſive Epiſcopus, ſive Presbytèr ſit, neque de hoc ritu unquam a ſacris Conciliis reprehenſi leguntur.

17. Duo ſunt in Sacramento Confirmationis: *Manuum impoſitio*, & chriſmatio. Primum Epiſcoporum dumtaxat eſt, alterum etiam ad Presbyteros pertinet. Græci vero, cum ceſſaſſet miraculorum, & linguarum donum, manuum impoſitionem Chriſmationi non adjunxerunt. Auguſtinus *Tract. 6. in Epiſt. 1. Joannis*: *Olim*, inquit, *cadebat ſuper credentes Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis. Significatum eſt illud, & tranſiit &c.* Eccleſia autem Latina duplicem Chriſmationem induxit, unam Presbyteralem in vertice, alteram Epiſcopalem in fronte.

18. Tempore Nicolai I. Eccleſiæ Romanæ conſuetudo per omnes Occidentis Provincias recepta, priſci moris memoriam obliteraverat. inde Chriſmatio Græcorum, ut diverſa, ſic etiam Latinis illicita viſa eſt; hinc illæ diſſenſiones. Rem vero ineptiſſime faciunt, qui prima Eccleſiæ ſecula ad poſteriorem uſum Eccleſiæ Romanæ exigere volunt.

19. Hanc Chriſmationem non fuiſſe cæremonialem, ſed Sacramentalem patet ex Concilio Conſtantinopolitano I. Can. 7. de quo Theodoretus, qui vixit 40. circiter annis poſt Concilium *lib. 3. de fabul. hæret.* ubi agens de Novatianis: *Iis*, inquit, *quos baptizant, Sanctiſſimum Chriſma non conferunt; ideoque ab hac hæreſi ad Eccleſiam revertentes Venerandi illi Patres ungi præceperunt*. Hæc una ratio eſt. Altera, quia hæretici extra Eccleſiam Catholicam Spiritus Sancti gratiam nullatenus conferre poſſunt. Hic fuit ſenſus veteris Eccleſiæ, ut omnes baptizati ab hæreticis, redeuntes ad Eccleſiam per Sacramentum Confirmationis Catholicis copularentur. Ita S. Leo Epiſt. 95. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & S. Gregorius lib. 9. Epiſt. 61. His antiquior Cyprianus Epiſt. 76. ex hoc confirmat ſuum Dogma de hæreticis rebaptizandis, quia eoſdem Eccleſia iterum confirmabat. Hi vero, qui in Eccleſia Catholica baptizati, & confirmati poſtea defecerunt ad hæreticos, revertentes non confirmabantur, ſed ſola manuum impoſitione, qua per pœnitentiam reconciliabantur, recipiebantur.

20. Fol. 49. *Bigami non communicant, niſi poſt duos annos, Trigami poſt quinque*.

21. Fol. 56. *Soli Sacerdotes conficiunt Oleum ſanctum*. Hic eſt uſus Eccleſiæ Orientalis; nam licet feria v. magna conſecretur a Pontificibus, totum tamen conſumitur in unctione adſtantium, omnes enim, etiam ſani, unguntur. Goar 432. & ſeqq.

22. Fol. 117. c. 27. *Sanctissimi Theodori*, nempe Balsamonis.

23. Fol. 123. Adest rubrica, quæ etiam habetur in Græco pag 538. quæ irridet diversa officia pro viris, mulieribus, & pueris: & dicit se mirari, cur non etiam sit officium pro Eunuchis, quod Goar pag. 544. num. 24. inscitiæ, & petulantiæ editoris Euchologii adscribit.

24. Fol. 132. Orans pro mortuo ait: *Justificatum fide, & gratia*. In Græco est: *Fide, & Gratia justificatum*.

25. Fol. 133. In exequiis puerorum orat pro ipsis: 134. *Sanctorum Choris aggregabis.*. Græcum *aggregas*; pro iisdem pueris 138. *Parce ei*, Græce est *eis*: ideft omnibus defunctis, non autem puero.

26. Fol. 140. *Salvator* &c. *Omnes a seculo mortui adstant ante tribunal expectantes justum judicium*, ac si non judicentur statim post mortem. *In loco amœno, & viridi* dicitur metaphorice, quia sæpe orat, *ut ante Dei Thronum deducantur, ubi sunt Angeli*. Unde non potest trahi ad hæresim opinantium animas ante judicium non videre Deum.

27. Fol. 155. *Virgo sponso carens*: Græce *Anympheure*. Goar traduxit *inviolata* 159. *Nuptiarum expers*. Græce, ut supra.

28. Fol. 182. *Oratio super eo, qui comedit aliquid immundum* Supponit esse cibum aliquem lege Dei vetitum. Sed notandum, quod in antiquis pœnitentiariis imposita est pœnitentia illis, qui comederint carnem animalis suffocati, vel morbo extincti, ut apud Bedam, Rhabanum, Halitgarium. Vide Goar 672.

29. Fol. 184. *Oratio super pœnitentem post mortem*. Non est absolutio Sacramentalis.

30. Fol. 190. Adjurat infecta per *Nomen magnum, quod fuit inscriptum petræ*. Alludit ad aliquam fabulam. Goar 700., & sup. fol. 184. *Oratio super pœnitentem post mortem*. Non est absolutio Sacramentalis.

31. Fol. 193. *Sicut visitasti Abimelech &c.* ex ignotis, & fabulosis, qui dormierat, ne videret ruinam Hierusalem. Goar 705.

32. Fol. 200. *Benedixisti domum Amdarach in ingressu Arcæ*. Græce 719. *Aminadab*.

33. Fol. 208. Filium vocat *principii expertem*, Græce Anarchon, Goar traduxit *causæ expertem*.

34. Fol. 212. Orat. 6. *Domine Deus omnipotens, excelse, intentande*, Græce 733. *απειρατε, mali cuncti expers.*

35. Fol. 215. c. 84. Nimis dejicit animam moribundi. Græce 742.

36. Fol. 225. c. 87. *Spiritus Sanctus principii expers, a se ipso bonus*. *αυτάγαθον*.

37. Fol. 230. *Fili æqualis Patri in æternitate, & principii carentia*.

38. Fol. 235. *Spiritus a Patre procedens, & in Filio manens*.

39. Fol. 241. *Ut eruisti olim Manassen ex æneo tauro &c. ex nugis Rabbinorum*.

40. Fol. 265. *Eripe nos a morbis animas nostras consumentibus*; Græce *vitam* nostram.

41. Fol. 278. c. 95. *Opus voluntatis tuæ perfectum est, consummatum est, ut dixit olim quidam gratus. Sed convenientius est, ut ingratus aliquis dicat: Ipse iratus es, & nos peccavimus; sed nos modo dicimus hoc tempore aliquod contrarium, & est: Nos peccavimus, & tu iratus es*. Aliter in Græco 808.

42. Fol. 280. *Tua manu omnipotenti* (loquitur ad Beatissimam Virginem) Græce, *robusta, & valida* 813.

43.

43. Fol. 290. Debet clarius explicari quod dicit : *Quia prædicamus Filium unigenitum tibi esse consubstantialem , o Pater principii expers , & spiritui tuo optimo tibi æqualem in honore* . Græce 818. *Quia te unigenitum Dei Patris Filium consubstantialem , ejusdem naturæ Patri , & Sanctissimo Spiritui prædicantes* .

44. Fol. 306. 2. ad Deiparam . *Gaude Sponsa Sponsum non habens* , Græce Goar *amplexus maritalis expers* χαιρε νυμφη ανυμφευτε.

45. Fol. 312. 2. *De his , qui post abnegatam fidem revertuntur ad Ecclesiam* : præcipit eos lavari , & ungi ; & infra 317. *Unctio fit signo Crucis in fronte , oculis , &c.* sicut in confirmatione prolata forma : *sigillum doni Spiritus Sancti* , de qua re supra fol. 24.

46. Fol. 325. & seqq. *agendum de forma Sacramenti Pœnitentiæ* .

Ex antiquis Codicibus MSS. Cisterciensium Monachorum S. Crucis in Jerusalem de Urbe , Opera ; quæ hactenus Eminentissimi S. R. E. Cardinalis JOANNIS BONA judicio creduntur inedita , nonnullis additis Animadversionibus .

1. EX 1. Codice Haymonis in Isaiam expositio. *Mos , & usitata consuetudo Scriptorum , qui nobis sacras literas &c.* puto , quod sit Haymonis Halberstadensis, qui teste Sigeberto apud Miræum de Scriptoribus Ecclesiasticis scripsit in Isaiam . Verum quia Sixtus Senensis affirmat tale opus Haymonis aliter incipere , idest : *sciendum quod diviso populo* , propterea adhuc hæsito.

2. Ex Codice X. Egberti Archiepiscopi Eburacæ Civitatis Scarpsum, idest excerpta ; de Canonibus Catholicorum PP. vel pœnitentiæ ad remedium animarum , sic exorditur: *Institutio illa , quæ fiebat in diebus PP. nostrorum , rectas vias nunquam deseruit , qui instituerunt pœnitentibus &c.* Sunt ritus, & formulæ pro pœnitentibus instruendis, recipiendisque ab Ecclesia , cum aliis egregiis precibus , quarum nonnullæ veniunt sub nomine Missæ . De hoc Authore silent Bibliothecæ Scriptorum : ipsius tamen meminit Beda in suo Breviario Historiæ Anglicæ sub anno 732., & ibid. ad Dominum migrasse legitur sub anno 766. Scholiastes S. Lanfranci ad Epistola 3. litera A. ex Malmesburiensi refert , quod Egbertus Eboracensis, sive Eburacensis (Eburacum vocat S. Gregorius Magnus. Epistola ad Augustinum, quam refert idem Scholiastes eadem Epist. 3 litera H.) fuit Magister Alcuini . Sigebertus sub anno 674. dixit Theodorum Archiepiscopum in Anglia scripsisse Pœnitentialem librum mirabili , & cauta discretione, distinguens modum singularium.

3. Ex Codice XI. fol. 30. S. Thomæ Apostoli Passio . *Cum Apostolus Thomas , qui & Didymus , esset apud Cæsarem , apparuit ei &c* Habetur apud Mombritium Tom. 2. sed hic præmittitur prologus , sic exordiens : *Thomas , qui interpretatur abyssus , & didymus &c.* Immo quæ de morte , & sepultura desiderantur apud Mombritium , hic leguntur .

4. Fol. 45. S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ vita . Præmittitur Prologus . *Joannes interpretatus gratia Dei* . Vita sic incipit: *Melitus servus Christi , Episcopus Ecclesiis &c. Volo sollicitatam esse Fraternitatem vestram de Leutio quodam , qui scripsit Apostolorum actus* . Apud neminem vidi acta hæc per Melitonem Episcopum . Baronius 27. Decembris affirmat acta nomine Melitonis de transitu Dei genitricis erroribus scatere , sed de his nullam mentionem facit.

5. Fol.

5. Fol. 90. S. Silvestri Papæ corporis translatio ad Monasterium Nonantulæ Ordinis S. Benedicti. *Anno enim Dominicæ Incarnationis 753. cum Longobardorum jam per Italiam sceptra fulgerent &c.* De hac translatione Sigebertus sub anno 752. & Ughellus Tom. 2. Italiæ Sacræ de Episcopis Mutinensibus, Episcopo decimo; at nihil Baronius.

6. Fol. 108. S. Geminiani Episcopi Mutinensis Vita. *Post Passionem Domini, & sanctam ejus Resurrectionem &c.* Hæc acta omnino diversa sunt ab iis, quos ex Mombritio edidit Bollandus Tom. 2. Januarii, quæque dicat Baronius 37. Januarii emendatione vehementius indigere.

7. Fol. 114. S. Severi Archiepiscopi Ravennatensis Vita. *Igitur de electione S. Viri, ac Beatissimi Severi Antistitis, quod superius nominatum est, & quod mihi narratum fuit a senioribus, vobis verissime expleam &c.* Continuant præcedentem Historiam S. Geminiani; & inde conjicio eumdem utriusque Authorem.

8. Fol. 174. S. Georgii passio. *Anno igitur ab Incarnatione Domini fere 291. residente in Urbe Roma Marcellino Summo Pontifice &c.* Sunt acta illa carminibus contexta, quæ Baronio 23. Aprilis ceteris probabiliora visa sunt; quæque idem Baronius dixit extare in Bibliotheca suæ Congregationis.

9. Ex Codice 13. Aponii in Cantica Canticorum lib. 12. completi. Prologus: *Magno quidem ille B. Daniel exemplo*: Lib. 1. *Admirantibus nobis vocem Spiritus Sancti, qui in multis Divinæ Scripturæ locis &c.* Primi sex libri habentur Tom. 9. Bibliothecæ PP. editionis Coloniensis; at sex posteriores nondum impressi fuere. De Aponio Possevinus, Miræus de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Labbeus.

10. Ex Codice 14. fol. 87. SS. Petri, & Pauli Passio. *Cum venisset Romam Paulus, convenerunt ad eum omnes Judæi, dicentes: Nostram fidem &c.* Hæc scripta sunt ab Authore, qui vixit post Constantinum Imperatorem.

11. Fol. 118. S. Augustini Sermo in Nativitate Beatissimæ Mariæ Virginis: *Celebritas hodierna die nos admonet, ut laudem Virginis innovare &c.*

12. Fol. 123. S. Hieronymi Homilia in Dedicatione S. Michaelis in illud Matth. 18. *Quis putas major est? Ignorantes adhuc Discipuli, quanta esset gloria humilitatis, de meriti sui, vel honoris prælatione certabant.*

13. Fol. 152. S. Felicis Episcopi, & martyris Passio. *Qui passus est sub Marciano Judice 8. Kalendas Novembris in Civitate Nola. In illo tempore erat quidam puer nomine Felix in Civitate Nola, Provincia Campaniæ, annorum quindecim.* Consonat cum Martyrologio, sed impressam non puto.

14. Fol. 169. S. Severi Archiepiscopi vita. *Post Passionem Domini, & Sanctam ejus resurrectionem &c.* Per vigintiduas lineas est vita S. Geminiani, de qua supra Codice XI. fol. 108. Quæ sequuntur sunt vita S. Severi, quam pariter superius vidimus eodem Codice XI. fol. 114.; sed hic prolixiora sunt.

15. Ex Codice 16. fol. 104. S. Augustini sermo ad Virgines. *Dilige Dominum, & amabit te; serve illi, & illuminabit cor tuum.*

16. Ex Codice 20. fol. 296. S. Paulini Sermo ad Populum in Quadragesima. *Audite, Fratres carissimi, & sollicite pertractantes intelligite, quia de salute animarum vestrarum.*

17. Fol. 302. S. Isidori Episcopi Homilia: *Satis nos oportet timere tres causas, Fratres carissimi, per quas totus mundus perit; hoc est gulam, cupiditatem, & superbiam.*

18. Fol.

18. Fol. 304. S. Hieronymi Homilia: *Cum ingloriosus fueris, beati illi, qui habent oculos spirituales, & contemplant.*

19. Ex Codice 22. Pauli Apostoli Epistolarum concordia. *De unitate Ecclesiæ* Ad Cor. 1. c. 2. Ad Ephes. cap. 14. 15. Ad Philippenses 5. 6. 7. Ad Colossenses cap. 14. de *perfectis*.

20. Fol. 131. Petri Damiani Sermo contra Clericos conjugatos: *Gratia, & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo omnibus, qui credunt, quod Apostoli docuerunt. Utcunque, proh dolor! Lupi gregem dilaniant, & spargunt, & non est qui resistat, non est qui contradicat. Canes defecerunt &c.*

21. Ex Codice 26. Ordo Romanus ab impresso in Bibliotheca PP. diversus. Procedit enim multo brevior, simpliciterque, cæremonias concise, & magis anguste enarrans, atque ad Codicem Sacramentorum expresse in aliquibus se remittens. Ejus antiquitas est annorum plusquam octingentorum, ut ex precibus quibusdam manifestum est, in quibus nominantur Nicolaus Papa, Ludovicus Imperator, & Exercitus Romanorum, atque Francorum. Soli autem Nicolaus I. & Ludovicus II. Imperator, Caroli Regis Francorum Frater corregnasse leguntur ab anno videlicet 858. per novem subsequentes. Videtur insuper antiquior Ordine Romano jam edito: tum quod ille omnia prope hujus verba contineat; sed pluribus in locis, & fere ubique insuper addat, quod in hujusmodi libris certæ novitatis est argumentum; tum etiam, quod ille hoc nostro longe ordinatior sit. Incipit ab ordine Processionis universalis Romani Pontificis: *Primum omnium observandum est septem esse Regiones Ecclesiastici Ordinis in Urbe Roma, & unamquamque &c.*

22. Fol. 128. Ordo Episcopi. *Antiqua SS. PP. institutio, maximeque Canon Carthaginensis Concilii edocet, ut is, qui ad Ordinem Episcopatus eligitur, diligentissime examinetur de fide Sanctissimæ Trinitatis.* Terminat sic: *Et inexcusabiles sunt etiam hi, qui ordinationis ejus manus imponunt.* Habetur in Ordine Romano edito in Bibliotheca PP. Tom. VIII. pag. 445.

23. Fol. 129. Præfatio Pontificis ad electum: *Authoritate SS. Ecclesiasticorum Canonum jussi, dilectionem tuam charitate sincera, Frater, inquirimus, si omnem prudentiam tuam, quantum tua natura capax est*: Sunt septem interrogationes, quæ in eodem Ordine Romano leguntur pag. 446. ubi tamen sunt num. decem: desunt namque hic interrogationes circa observantiam traditionum PP., ac Constitutionum Sedis Apostolicæ circa subjectionem B. Petro, ejusque Ecclesiæ, ac successoribus; & tandem circa fidem servandam propriæ Ecclesiæ, ipsi ordinanti, & ejus successoribus. Finiunt sic: *Hæc omnia cum ceteris bonis tribuat tibi Dominus, & custodiat te, atque corroboret in omni bono. Respondent omnes: Amen.*

24. Iterum interrogat Pontifex: *Credis secundum intelligentiam tuam, & secundum capacitatem sensus tui sanctam Trinitatem?* Sunt novem ulteriores interrogationes, quæ in impresso dicuntur. *Interrogatio de credulitate.* Concludunt his verbis: *Hæc fides tibi augeatur a Domino ad veram, & æternam beatitudinem, dilectissime Frater; & omnes: Amen.* Et statim subsequitur: *Ita quoque examinatus, & plene instructus, consensu Clericorum, & Laicorum &c.* Est ordo rituum usque ad orationem Missæ, varians ab eo, qui traditur in impresso. Ejus ultima verba sunt hæc: *Et in hanc orationem intrat.*

25. Oratio. *Adesto supplicationibus nostris, Omnipotens Deus, &c.* Et subsequitur Ordo Rituum usque ad Graduale, terminans his verbis: *Finito Graduali Domnus Apostolicus ascendit ad Altare, oblato sibi ab Archidiacono electo, atque curata, dicens ad Ecclesiam*: Quæ omnia præter Orationem,

tionem, non habentur in impresso jam dicto; sicut nec ista Præfatio, quæ mox prosequitur.

26. Præfatio Episcopi: *Clerus, & Plebs de Civitate illa, cum adjacentibus Parochiis suis rogant sibi Episcopum consecrari. Nunc autem electus est Venerabilis Frater noster N. in hoc opus. Oremus itaque pro eo, ut Deus, & Dominus noster Jesus Christus tribuat ei Cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam suam, & plebem universam. Tum Schola incipit &c.* Et prosequitur ordo rituum usque ad benedictionem Episcopi, quæ pariter in impresso non habetur.

27. Benedictio ejus: *Dominus vobiscum: Propitiare Domine supplicationibus nostris; qua expleta excelsa voce dicit &c.*

28. Consecratio ejusdem: *Deus bonorum omnium, Deus omnium dignitatum &c.* Et subsequitur item ordo rituum usque ad Evangelium diversus ab impresso. *Finito Evangelio, si Domnus Apostolicus non vult celebrare Missam, Archidiacono exclamante: Procedamus, omnes discedunt. Porro si Missam rite complere voluerit, hanc secretam dicet.* Hæc non habentur in impresso.

29. Secreta ad Missam Episcopi: *Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta*; diversa ab ea, quæ ordinatur in impresso.

30. Infra Canonem. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed &c.* Et continuat ordo rituum usque ad Orationem Completam, sed diversus ab impresso.

31. Oratio ad Completam: *Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cælestibus remediis faciat esse consortes.* Per &c. Non habetur in impresso.

32. Fol. 158. Opusculum de baptismo, officio, ac mysticis sensibus, eorumque Authoribus nominatim designatis, & de ordine venientium ad fidem, ejusdemque mysteriis. *Incipit de Cathecumenis. Isidori lib. officiorum. Cathecumeni sunt, qui primum de Gentilitate veniunt.* Authores, qui nominatim designantur, sunt Isidorus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Cœlestinus Papa, Beda, Joannes (puto Chrysostomum), Leo Papa, & Cyprianus. Inter alia habentur hic tres expositiones Symbolorum. *Symbolum græce dicitur, quod latine interpretatur collatio, sive inditium.* Ita incipit prima. Secunda sic: *Symbolum enim in Græca lingua dicitur, quod in latina sonat collatio pecuniæ.* Tertia vero sic: *Credo in Deum, nullam itaque creaturam esse, quæ ab Omnipotenti non creata sit:* Altera expositio super Pater noster: *Dominus, & Salvator noster Jesus Christus inter cætera sacra præcepta Discipulis suis petentibus &c.* Item expositio Missæ Canonicæ: *Dominus vobiscum. Salutat Sacerdos populum, & orat.* Et formula quædam professionis Fidei: *Fides autem Catholica, quam me secundum SS. PP. doctrinam retinere profiteor &c.* Quas impressas non puto.

33. Fol. 178. Ordo ad benedicendam Ecclesiam: *In primis erunt parata quæcumque* necessaria.

34. Fol. 190. Ordo suscipiendi pœnitentes. In primis dicat Psalmum totum: *Miserere mei Deus.*

35. Fol. 196. Opusculum de Baptismo: *Quod infantes Cathecumeni efficiuntur .... Quicumque enim credentes &c.* Est expositio rituum, qui servantur pro Baptizandis, & Cathecumenis in decem, & octo quæstiones partita, quarum indiculus legitur in fine.

36. Ex Cod. 33. fol. 89. Opusculum, cui talis præfigitur titulus: *Opus excerptum ex libris S. Ambrosii, quorum titulus est: liber de officiis*; & subsequitur præfatiuncula sic: *Nam textus eorum magis de PP. exemplis,*

&

& de mandatorum observatione, quam de officio cantilenæ editus esse videtur. Opusculum sic exorditur: *legimus igitur officium diei a nobis posse &c.* Quæ sunt verba cap. 8. primi eorumdem librorum S. Ambrosii.

37. Ex Codice 34. fol. 1. Ambrosii Homilia in illud Matthæi: *Liber generationis: Breviter S. Evangelista & quo tempore, & quo modo, & quo loco.*

38. Fol. 9. Augustini Homilia in illud Joannis: *In principio erat Verbum: Fratres carissimi, si vultis Deum mente contingere, purgate mentem &c.*

39. Fol. 26. Augustini Homilia in illud Lucæ: *Postquam consummati sunt dies octo: Quid est autem hoc, charissimi, quo octava die circumciditur.*

40. Fol. 49. Hieronymi Homilia in illud Lucæ XI. *Erat Jesus ejiciens Dæmonium; Post restitutam hominis in Synagoga sanitatem.*

41. Fol. 107. Hieronymi Homilia in illud Matthæi 14. *Jussit Jesus Discipulos suos ascendere in naviculam: Post Divinam virtutis suæ potentiam ostensam, qua de quinque panibus &c.*

42. Fol. 114 Innocentii Papæ brevis Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, in qua ei mandat, ut Monachis de Nonantula illuc proficiscentibus promissum S. Georgii Monasterium consignet: *Significaverunt nobis dilecti Filii &c. Datum Laterani Idibus Aprilis Anno Pontificatus X.*

43. Ex Codice 35. Hieronymi Presbyteri Psalterium, sive Commentarius in Psalmos. Prologus *Psalterium ita est, quasi magna Domus, quæ unam quidem habet exterius clavem in porta &c.* Commentarius *Beatus vir: Quidam putant istius Psalmi clavem super Christi Domini nostri persona referendam &c.* Servat Commentator iste divisionem Psalmorum in quinque libros ad ea loca factam, ubi Psalmi terminant in *fiat fiat*, quam Hieronymus Epist. ad Sophronium impugnat, & rejicit. Unde deduco hoc opus Hieronymi esse non posse.

44. Fol. ultimo. Psalmi centesimi quinquagesimi expositio metrica. *Sint Domino laudes, sint grates, sint & honores, agmina Sanctorum, qui sic pollere suorum fecit &c.* Sunt versus numero 35.

Nonnulla ejusdem Eminentissimi Bonæ remanent Analecta, quæ, Deo favente, in fine Libri Armoniæ psallentis Ecclesiæ producentur.

I N D E X

RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC MANUSCRIPTO CONTINENTUR.

Littera P. indicat paginam, An. Annotationes, Ep. Epiſtolas, N. numeros.

A

Afcen-

B

C

Cho-

F

G

Hæ-

H

I

error.

L

M

Card.

N

O

Opta-

Pœni-

Q

R

S

dit

Ejus

V

Z